


VERITAS
RELIGIONIS CHRISTIANÆ.

VERITAS
RELIGIONIS CHRISTIANÆ
CONTRA

Atheos Polytheos Idololatras Mahometanos & Judæos

Ex prodigioſo ejus inter Paganorum perſecutiones augmento & mirabili conſtantia Martyrum

DEMONSTRATA

PER

FR. VINCENTIUM LUDOVICUM GOTTI
ORDINIS PRÆDICATORUM
In Bononienſi Univerſitate Controverſiarum Fidei Profeſſorem
NUNC
S. R. E. CARDINALEM.

TOMUS VI.



ROMÆ, ex Typographia Bernabò, MDCCXXXVIII.

SUPERIORUM PERMISSU.



IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Apoſtolici Palatii.

Phi. Epiſcopus Piſaurienſis Vicesgerens.

APPROBATIONES.

I.

AD Veritatem Chriſtianæ Religionis oſtendendam confirmandam vindicandamque, mirum quantum facit ſtudiosè recolere innumerorum prope Martyrum ſanguinem, in ejuſdem Veritatis, quam conſtantiſſime profitebantur, odium ubique effuſum, ſemen factum eſſe Chriſtianorum: Adeò ut eiſdem artibus, quibus Chriſtianæ Religionis hoſtes eam ſive præfocare, ſive evellere conati ſunt, Deo mirificè diſponente, immensùm crevit, ac propagata fuerit. Hujuſmodi autem argumentum eximiis, quibus pollet, ſcribendi dotibus ex profeſſo verſat Eminentiſſimus Fr. Vincentius Ludovicus S. R. E. Cardinalis Gotti in Opere ab ſe inſcripto: *Veritas Religionis Chriſtianæ &c.* quod, jubente Reverendiſſimo Patre Fr. Johanne Benedicto Zuanello S. P. A. Magiſtro, cùm perlegerim, ac libraverim; id quemadmodum ſacrâ eruditione refertiſſimum ita ſaniſſimum atque utiliſſimum adinveni, luce præloque maximè dignum. Romæ Nonis Septembribus 1737.

Thomas Sergius Congr. Piorum Oper. S.R.Inquiſ. Conſultor.

DE Republica Fideque Christiana pergit benemereri Eminentissimus Cardinalis Gotti, dum in præsenti Opere, quod legi de mandato Reverendissimi P. Magistri Sacri Palatii Apostolici, ut veritatem Christianæ Religionis contra Atheos cæterosque Infideles demonstret, veteres in Christianos persecutiones & Martyrum gloriosam invictamque constantiam, more suo, hoc est more hominis omni doctrina eruditi, ex aureæ vetustatis monumentis accuratè graviterque recenset. Et optimo quidem meâ sententiâ consilio: quoniam majori nunquam triumpho vicit adversarios suos Christiana Religio, ut ferè cum Sulpitio Severo loquar, quàm cum trium sæculorum stragibus vinci non potuit. Etenim nisi eadem à Deo fuisset, inter continuatas diuturnasque per secula strages non triumphatrix, sed potiùs tetris carceribus, flagellis, ungulis, equuleis, metallis, ignibus, stipitibus, crucibus, sive quibus aliis pœnis, quas tanto tempore excogitavit ingeniosa crudelitas, prorsùs oppressa fuisset. Cui argumento, cùm perspicuum sit Soleque illustrius, homines minimè obcæcatos, ita necesse est cedere, quemadmodum lancem in libra ponderibus impositis necesse est deprimi. Optimum ergo fuit hujus etiam libri consilium: in quo cum omnia puris ex fontibus hausta, incorruptis atque integris testibus confirmata, maximâque cum dignitate explicata fuerint; idcircò censeo, & quòd maximam ob eumdem gratiam Eminentissimo Authori habere debeamus, & dignissimum esse qui ab omnibus attentè legatur.

Ex Hospitio nostri Monasterii S. Crucis in Jerusalem de Urbe Kalendis Augusti 1737.

D. Joachim Besozzi Abbas S. Crucis in Jerusalem, Procurator Generalis Cistерciensium Lombardiæ, & S. Rom. Inquis. Consultor.

IMPRIMATUR.

Fr. Jo: Benedictus Zuanelli Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolici Magister.

ELEN-

ELENCHUS

Eorum quæ in hoc ſexto Tomo continentur.

CAPUT PRIMUM.

De Perſecutionibus in Generali.

CAPUT II.

De Neronis in Chriſtianos Perſecutione.

CAPUT III.

De Perſecutione Domitiani.

CAPUT IV.

De Perſecutione ſub Trajano.

CAPUT V.

De Perſecutione ſub Hadriano.

CA-

CAPUT VI.

De Perſecutione ſub Marco Aurelio Antonino.

CAPUT VII.

Perſecutio ſub Severo.

CAPUT VIII.

De Perſecutione ſub Maximino I.

CAPUT IX.

De Perſecutione Decii.

CA-

CAPUT X.

De Gallo & Volusiano.

CAPUT XI.

De Valeriani Persecutione.

CAPUT XII.

Persecutio Aureliani.

CAPUT XIII.

Persecutio Diocletiani & Maximiani.

§. III.


CAPUT XIV.

Continuatio Persecutionis sub Licinio.

CAPUT XV.

Martyres quorum ætas nescitur.

§. III.



CHRI-



CHRISTIANÆ RELIGIONIS VERITAS

Ex ejus inter persecutiones augumento.



AXIMUM pro Veritate Religionis Christianæ eam unicè à Deo esse invictè demonstrans argumentum est, quòd è Sanguine Jesu Christi vix nata totum contra se Mundum ex Judæis & Gentibus conspiratum invenerit, tantumque abfuerit ut suffocata remanserit, quin potiùs illum ad se victum attraxerit: & hoc non armis non potentiâ, sed humilitate & patientiâ passiones tolerando; adeò ut quò plures ex suis pro ea sanguinem vitamque offerrent & reipsa darent, eò magis augeretur, ut brevi tempore totum Orbem pervaserit, eumque Christo subjugarit. Is erit præsentis Tractatus Scopus, hæc Christianæ Religionis gloria.

CAPUT I.

De Persecutionibus in Generali.

§. I.

Mirabilis in hoc Providentia Dei.

I. MIrabile primò est, quòd Deus, qui misit Filium in Mundum ut salvetur Mundus per ipsum & ut omnia traheret ad se, non statim omnia traxerit, sed solis paucis electis, reliquos omnes turpissimis erroribus illaqueatos reliquerit. Admiratur hoc Lactantius L. 5. Divin.Inst.

cap.7. & ait: *Sed moveat fortasse aliquem, cur si hæc sit justitia, non omni humano generi sit data, nec in ea multitudo universa consenserit*. Cui respondet, voluisse Deum hanc bonorum & malorum distantiam, ut qualitatem boni ex malo, & mali ex bono sciamus: *Deus ergo*, inquit, *non exclusit malum, ut ratio virtutis constare posset. Quomodo enim patientia vim suam nomenque retineret, si nihil esset quod pati cogeretur? Quomodo laudem mereretur devota Deo suo fides, nisi esset aliquis, qui à Deo vellet avertere? Nam & ideo potentiores esse injustos permisit, ut cogere ad malum possent; ideò plures, ut virtus esset pretiosa, quòd rara est..... Alioquin si natura pares omnibus affectus dedisset, pietas nihil erat. Hoc quàm verum sit, docet necessitas ipsa rationis. Si enim virtus est malis ac vitiis fortiter repugnare, apparet, sine malo ac vitio nullam esse virtutem, quam Deus, ut absolutam perfectamque redderet, retinuit id quod erat ei contrarium, cum quo depugnare posset. Agitata enim malis quatientibus stabilitatem capit, & quantò frequentiùs impellitur, tantò firmiùs roboratur. Hæc nimirùm causa effecit, ut quamvis sit hominibus missa justitia, tamen aureum Seculum non esse dicatur, quia malum non sustulit, ut retineret diversitatem, quæ Sacramentum Divinæ Religionis continet sola*. His Lactantius ostendit, mirabile consilium Divinæ Sapientiæ fuisse permittere Persecutores, & quidem plures, ut Confessorum Christi in Fide constantia magis appareret juxta commune eloquium: *Opposita juxta se posita magis elucescunt*. Et hic primus fuit Persecutionum fructus.

II. Confirmat hoc S. Augustinus L.10. de Civit. Dei cap.21. dicens: *Moderatis autem præfinitisque temporibus, etiam potestas permissa Dæmonibus, ut hominibus quos possident excitatis, inimicitias adversùs Dei Civitatem tyrannicè exerceant, sibique Sacrificia non solùm ab offerentibus sumant & à volentibus expetant, verùm etiam ab invitis persequendo violenter extorqueant; non solùm perniciosa non est, sed etiam utilis invenitur Ecclesiæ, ut Martyrum numerus impleatur: quos Civitas Dei tantò clariores & honoratiores Cives habet, quantò fortiùs adversùs impietatis peccatum etiam usque ad sanguinem certant*.

III. Alterum mirabile Divinæ Providentiæ consilium fuit, ut Veritas Religionis Christianæ sub velamine stultitiæ Mundi Sapientibus proponeretur, & quidem à vilibus & illiteratis hominibus, quò major esset confusio sapientiæ Mundi, dum ab ea, quam velut stultitiam aspernabatur, se victam agnosceret. De hoc gloriabatur Paulus 1. Cor.1. v.18.: *Verbum Crucis* (ajebat) *pereuntibus stultitia est: iis autem, qui salvi fiunt, idest nobis Dei vir-*

virtus est. Et v.21. &c. *Nam quia in Dei sapientia non cognovit Mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Quoniam & Judæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt. Nos autem prædicamus Christum Crucifixum: Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam. Ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis Christum Dei virtutem & Dei Sapientiam. Quia quod stultum est Dei sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei fortius est hominibus.... Quæ stulta sunt Mundi elegit Deus ut confundat Sapientes, & infirma Mundi elegit Deus ut confundat fortia* &c. Porro quodnam majus scandalum, quænam major stultitia humanæ sapientiæ apparere poterat, quàm hominem prædicari ut Deum, & hunc non in Sina tonantem, non ut Jovem fulminantem, sed ut Cruci ignominiosè affixum; & hoc à paucis iisque contemtibilibus asseri? Sed hoc fuit consilium Sapientiæ Dei, ut Mundi sapientiam confunderet, quæ etiam infirma Mundi elegit, ut confunderet fortia: scirentque homines, mysterium hoc solis à Deo vocatis & electis posse penetrari.

IV. Hæc advertens Lactantius L.5. citato cap.13. vidensque huic, quam supponebant stultitiam, plures etiam ex Gentibus nomen dare, sic discurrit: *Cùm autem noster numerus semper Deorum Cultoribus augeatur, nunquam verò ne in ipsa quidem persecutione minuatur.... quis est tam demens tam excors tamque cæcus, qui non videat, in utra sit parte sapientia? Sed illi malitiâ & furore cæcantur, ne videant; stultosque arbitrantur esse, qui cùm habeant in sua potestate supplicia vitare, cruciari tamen & emori malunt, cùm possint ex eo ipso pervidere, non esse stultitiam, in quam tanta hominum millia per Orbem totum unâ & pari mente consentiunt.* Et cap.19. *Sed idcirco virtutem ipsam Deus sub persona stultitiæ voluit esse celatam, ut mysterium Veritatis ac Religionis suæ esset arcanum, ut has Religiones sapientiamque terrenam extollentem se altiùs, sibique multùm placentem, vanitatis errorisque damnaret; ut propositâ denique difficultate per angustissimos tramites ad immortalitatis præmium perduceret.*

V. Quia tamen adhuc stultitiam esse contendebant vitam prodigere potiùs, quàm thus adolere: *Nam cruciari atque interfici malle, quàm thura tribus digitis comprehensa in focum jactare, tam ineptum videtur, quàm in periculo vitæ alterius animam magis curare quàm suam*: ideò citato cap.19. eos ignorantiæ ita redarguit: *Nesciunt enim quantum sit nefas adorare aliud, præterquam Deum, qui condidit Cœlum ac terram, qui humanum genus finxit, inspiravit, luce donavit. Quòd si servorum nequissimus habetur, qui Do-*

Dominum suum fugâ deserit, isque verberibus & vinculis & ergastulo & cruce & omni malo dignissimus judicatur: etsi filius eodem modo perditus atque impius existimatur, qui patrem suum derelinquit, ne illi obsequatur; ob eamdemque causam dignus putatur, qui sit exhæres, & cujus nomen de familia in perpetuum deleatur, quantò magis qui Deum deserit, in quem duo vocabula Domini & Patris æquè veneranda conveniunt? Nam ille qui servum comparat, quid in eum beneficii confert, præterquam alimenta, quæ illi utilitatis suæ gratiâ subministrat? Et qui filium generat, non habet potestatem, ut concipiatur, ut nascatur, ut vivat. Unde apparet, non esse illum patrem, sed tantummodò generandi ministrum. Quibus ergo suppliciis dignus est desertor ejus, qui & Dominus & Pater est? His demonstrat Lactantius non stultitiam, sed fidelem veræ Religionis actum esse dare potiùs propriam vitam, quàm falsis Diis thus adolendo verum Deum deserere.

VI. Hinc invictum format argumentum S. Athanasius L. de Incarn. Verbi Dei num. 27. *Mortem enim dissolutam esse & cruce devictam, nec ampliùs vim ullam habere, sed verè mortuam esse, non tenue argumentum, sed certissimum indicium est, quòd ab omnibus Christi Discipulis illa contemnatur, omnesque eidem insultent, nec jam ab illis timeatur, sed signo Crucis & fide Christi tanquam mortua conculcetur. Olim siquidem ante Divinum Salvatoris adventum ipsis etiam Sanctis mors erat terribilis, cunctique eos qui moriebantur tanquam pereuntes deflebant. Jam autem postquam Salvator Corpus suum à mortuis excitavit, mors non amplius terribilis est, sed omnes qui Christo credunt, eam, tanquam quæ nihil sit, calcant, potiùsque mori eligunt quàm Fidem Christi negare. Nimirùm certò sciunt, se moriendo non perire sed vivere, & incorruptos per resurrectionem fieri.... Hinc ipsi etiam infantes mori festinant, seseque contra mortem non viri tantùm, sed & mulieres exercent. Ita scilicet infirma facta est, ut & mulieres, quas priùs deceperat, nunc illi velut mortuæ & dissolutæ illudant. Quemadmodùm enim si Tyrannus aliquis à vero Rege superatus manibus ac pedibus vinciatur, nemo jam illàc transierit, quin illum irrideat verberet ac distrahat, ejus furorem ac sævitiam ob victoriam à Rege de illo reportatam non ampliùs extimescens: Ità devictâ morte, & à Salvatore in cruce velut in cippo manibus pedibusque ligatis expositâ, omnes qui in Christo transeunt, eam intrepidè calcant, & Christo dantes testimonium, mortem derident, & acriter objurgant, ea quæ supra scripta sunt dicentes*, Ubi est Mors victoria tua? (*1. Cor.15. v.55.*) ubi tuus, inferne, stimulus, (*Oseæ 13. v.14.*) Ita Athanasius exponit causam contemtus mortis, quod in Christianis Ethnici reputabant stultitiam.

§. II. *Exi-*

§. II.

Exitus Persecutionum.

I. QUod Divina Providentia sapienter dispofuit, feliciter evenit, ut, quod mirabile fuit, persecutiones quæ ad delendum Christianum nomen fuerant institutæ, in ejus augmentum verterentur. Tantâ alacritate Fideles Spiritus Dei donaverat, ut hilares currerent ad supplicia, & qui adstabant non solùm non terrerentur, sed ad eadem perferenda etiam Gentiles conceptâ fide excitarentur. In hoc quasi triumphans Lactantius L. 5. cap. 13. ait: *Cùm videat vulgus dilacerari homines variis tormentorum generibus, & inter fatigatos Carnifices invictam tenere patientiam, existimant, id quod res est, nec consensum tam multorum nec perseverantiam morientium vanam esse, nec ipsam patientiam sine Deo posse cruciatus tantos superare. Latrones & robusti corporis Viri ejusmodi lacerationes perferre nequeunt, exclamant & gemitus edunt; vincuntur enim dolore, quia deest illis inspirata patientia. Nostri autem (ut de viris taceam) pueri & mulierculæ tortores suos taciti vincunt, & exprimere illis gemitum nec ignis potest. Eant Romani, & Mutio glorientur aut Regulo, quorum alter necandum se hostibus tradidit, quòd captivum puduit vivere, alter ab hostibus deprehensus, cùm videret se mortem vitare non posse, manum foco injecit, ut pro facinore suo satisfaceret hosti, quem voluit occidere, eáque pœnâ veniam, quam non meruerat, accepit. Ecce sexus infirmus & fragilis ætas dilacerari se toto corpore urique perpetitur, non necessitate, quia licet vitare si vellent, sed voluntate, quia confidunt Deo.*

II. Insuperabilis hæc Fidelium in tormentis perferendis constantia, quâ Religionem, ad cujus destructionem conabantur, in dies etiam suorum numero augeri videbant, in ipsorum Tyrannorum & Carnificum rabiem vertebatur, quòd illi nimirùm plus pati possent, quàm possent ipsi torquere. Hominis potestatem habentis ea est præsumtio, ut quamvis infallibilis in suis decretis non sit, infallibilis tamen apparere velit: sic ut eis evulgatis non liceat an justa vel injusta sint perpendere, sed omnes parere teneantur; qui secùs fecerit, reus habeatur. Cùm ergo Imperatores, Principes, Proconsules, Edicta promulgassent, quibus Christiani sacrificare Idolis jubebantur, etsi injusta ac iniqua essent, honor tamen majestatis exigebat, ut omnes causâ non discussâ colla submitterent, & capitale piaculum esset eis

eis refragari. Videntes igitur, Christianos eorum Edicta aspernari, nec tormentis terreri, imò tortores ipsos irridendo provocare, quâ rabie quo furore discruciabantur? Dacianus, referente S. Augustino Serm. 276. aliàs 12. de Sanctis, videns S. Vincentium in craticula succenso igne positum ac ardentem ad ejus voluntatem non flecti, sed irridere potiùs, ac si in deliciis esset; violentiori igne interiùs ipse consumebatur, quàm Martyr exteriùs. Et de S. Laurentio in crate igne supposito distento, & his verbis Tyrannum subsannante *Assatum est, jam versa & manduca* idem S. August. Serm. 20. de Sanctis modò 205. in Append. dicit: *Hoc igitur igne* (Spiritus Sancti) *Laurentius accensus flammarum non sentit incendium, & dum Christi ardet desiderio, persecutoris pœnam non sentit. In quantum enim in illo Fidei ardor fervet, in tantum supplicii flamma frigescit. Corporali enim Beatus Laurentius laborat incendio; sed Divinus Salvatoris ardor materialem Tyranni restinxit ardorem. Quamvis enim in favilla membra solvantur, Fidei tamen fortitudo non solvitur.*

III. Hæc igitur & alia videntes, ac nedum tormentis Christianorum numerum non absumi sed augeri, irascebantur, fremebant dentibus, tabescebant, & incassùm se laborare deprehendebant. Implebatur in eis Davidis vaticinium Psalm. 111. v. 10. *Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet: desiderium peccatorum peribit.* Sed nesciebant vel potiùs nescire volebant, se non invadere opus hominis, sed opus virtutis Dei, contra quod homo non prævalebit; & stulta Mundi elegisse Deum ut confundat Sapientes, & infirma Mundi ut confundat Potentes. Et sicut in illis verificabatur dictum Psalmi 2. v. 2. *Astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adversùs Dominum & adversùs Christum ejus*: ita impleri debebat promissum factum Christo ibidem v. 8. *Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Quemadmodùm ergo omnes Palæstinæ Reges, qui in unum contra Josue convenerant, non aliud quàm perniciem & confusionem consecuti fuere, sic teste Origene homil. 9. in Josue, Principes & Populi insurgentes adversùs nomen illius, cujus Josue typum gerebat, impedire non potuerunt, quin ejus Religio toto Orbe ei in possessionem promissò diffunderetur. Et tandem contingere debebat Christianis quod Israelitis in Ægypto contigit, ut scilicet quò magis opprimerentur, eò magis crescerent, eorumque vires augerentur.

§. III.

§. III.

Persecutionum diversitas.

I. DUplici Persecutionum genere voluit Deus Ecclesiam suam hic in terris militantem exerceri, donec veniat tertium, post quod in æternum sit triumphatura. Primum persecutionis genus ab Idololatria adhuc nascens passa est, de quo modò. Secundum ab Hæresi variis temporibus. Tertium in fine ab Antichristo patietur. De hac re audiendus est S. Augustinus L.18. de Civit. Dei cap.50.: *Primùm se ab Jerusalem diffudit Ecclesia, & cùm in Judæa atque Samaria plurimi credidissent, & in alias Gentes itum est, eis annuntiantibus Evangelium, quos ipse, sicut luminaria, aptaverat verbo & accenderat Spiritu Sancto. Dixerat enim eis* (Matth.10. v.18.) „ Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere „. *Qui ut frigidi timore non essent, igne caritatis ardebant. Denique per ipsos non solùm qui eum & ante passionem & post resurrectionem viderant & audierant, verùm etiam post obitum eorum per posteros eorum, inter horrendas persecutiones & varios cruciatus ac funera Martyrum prædicatum est toto Orbe Evangelium, contestante Deo signis & ostentis & variis virtutibus & Spiritus Sancti muneribus; ut Populi Gentium credentes in eum, qui pro eorum redemtione crucifixus est, Christiano amore venerarentur sanguinem Martyrum, quem diabolico furore fuderunt; ipsique Reges, quorum legibus vastabatur Ecclesia, ei nomini salubriter subderentur, quod de terra crudeliter auferre conati sunt; & falsos Deos inciperent persequi, quorum causâ cultores Dei veri fuerant antea persecuti.*

II. *Videns autem Diabolus* (prosequitur S. Doctor ibidem cap.51.) *Templa Dæmonum deseri, & in nomen liberantis Mediatoris currere genus humanum, Hæreticos movit, qui sub vocabulo Christiano doctrinæ resisterent Christianæ, quasi possent indifferenter sine ulla correptione haberi in Civitate Dei, sicut Civitas confusionis indifferenter habuit Philosophos, inter se diversa & adversa sentientes.* (Nota hic Lector, quàm benè ista aptentur Hæreticis hodiernis, qui licèt adversa tum Ecclesiæ tum inter se sentientes, indifferenter volunt haberi in Civitate Dei, cùm sint in Civitate confusionis). *Qui ergo in Ecclesia Christi morbidum aliquid pravumque sapiunt* (audiant Protestantes) *si correpti, ut sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt; Hæretici fiunt,*

fiunt, & foras exeuntes habentur in exercentibus inimicis. Etiam sic quippe veris illis Catholicis Membris Christi malo suo prosunt, dum Deus utitur & malis benè, & diligentibus eum omnia cooperantur in bonum. Inimici enim Ecclesiæ quolibet errore cæcentur vel malitiâ depraventur, si accipiunt potestatem corporaliter affligendi, exercent ejus patientiam, si tantummodò malè sentiendo adversantur, exercent ejus sapientiam; ut autem etiam inimici diligantur, exercent ejus benevolentiam, aut etiam beneficientiam, sive suadibili doctrinâ cum eis agatur, sive terribili disciplinâ. Ac per hoc Diabolus princeps impiæ Civitatis adversùs peregrinantem in hoc Mundo Civitatem Dei vasa propria commovendo, nihil ei nocere permittitur. His ostendit S. Augustinus, hasce duas persecutiones, unam ab Idololatria, alteram ab Hæresi, quas Diabolus excitavit in Ecclesiæ exitium, Deum vertisse in ejusdem profectum & incrementum.

III. Diverso tamen modo in una ac in altera ex dictis persecutionibus se gessit auctor Diabolus. Nam in prima violentiam adhibuit, in secunda fraudolentiam, donec adveniat tertia; in qua tanquam extremo conatu utrumque exerceat, violentiam scilicet & fraudolentiam. Ita idem S. Augustinus in Psalm.9. his verbis: *Prima persecutio Ecclesiæ violenta fuit, cùm proscriptionibus tormentis cædibus Christiani ad sacrificandum cogerentur: Altera persecutio fraudolenta est, quæ nunc per cujusmodi Hæreticos & falsos Fratres agitur: Tertia superest per Antichristum ventura, quâ nihil est periculosius, quoniam & violenta & fraudolenta erit. Vim habebit in imperio, dolum iu miraculis.* De hac tertia persecutione, ejusque exitu fusè locutus sum tom.16. Theolog. quæst.1. de Antichristo. De secunda inferiùs dicam. Nunc de prima, quæ Ecclesiam adhuc nascentem & in suis exordiis terrificè aggressa est, sermo mihi est, & in sequentibus erit. De hac tamen aliqua generaliter indicavi tomo 1. Verit. Relig. Christ. cap.11. §. 7. huc revocanda. Ibi enim ostendi, non ab alio, quàm à vero Deo prodire potuisse, & non aliâ quàm Dei potentiâ fulciri Religionem illam, pro qua omnis ætas, omnis sexus etiam infirmior cum vitæ dispendio pugnavit & vicit: adeò ut vel ipsi persecutores tantam fortitudinem admirantes convicti, facti tandem fuerint ejus professores. Sed hæc Prolegomena quædam generalia sunt; singulas persecutiones percurrenti veritas hæc Sole clarior apparebit.

***

CAPUT II.

De Neronis in Christianos Persecutione.

§. I.

An & quomodò fuerit prima.

I. QUidam referente S. Augustino L.18. de Civit. Dei cap.52. opinati fuerunt, Ecclesiam usque ad tempus Antichristi decem passuram persecutiones, primam à Nerone, secundam à Domitiano, à Trajano tertiam, quartam ab Antonino, à Severo quintam, sextam à Maximino, à Decio septimam, octavam à Valeriano, ab Aurellano nonam, decimam à Diocletiano & Maximiano. Et has censebant adumbratas fuisse à decem plagis Ægyptiorum antequam inde exire inciperet Populus Dei, ut novissima Antichristi persecutio similis esse videatur undecimæ plagæ, quâ Ægyptii dum hostiliter persequuntur Hebræos in Mari Rubro, Populo Dei per siccum transeunte, perierunt. Ita sensisse visus est Orosius L.7. cap.27.

II. Attamen S. Augustinus laudato loco in illis decem plagis Ecclesiæ persecutiones præsignificatas esse non arbitratur, sed mentis humanæ conjecturis comparatas cum illis esse autumat; eò vel maximè, quòd plures quàm decem usque ad sua tempora passa fuerat Ecclesia persecutiones: *Quid enim*, inquit, *qui hoc sentiunt, dicturi sunt de persecutione, quâ ipse Dominus Crucifixus est? in quo eam numero posituri? Si autem hâc exceptâ existimant computandum, tanquam illæ numerandæ sint, quæ ad corpus pertinent, non quâ ipsum caput est appetitum & occisum; quid agent de illa, quæ posteaquam Christus ascendit in Cœlum, Jerosolymis facta est, ubi Beatus Stephanus lapidatus est, ubi Jacobus frater Joannis gladio trucidatus, ubi Apostolus Petrus ut occideretur inclusus, & per Angelum liberatus, ubi fugati atque dispersi de Jerosolymis Fratres, ubi Saulus, qui postea Paulus Apostolus factus, vastabat Ecclesiam; ubi ipse quoque, jam Fidem quam persequebatur evangelizans, qualia faciebat, est passus, sive per Judæam, sive per alias Gentes, quocumque Christum ferventissimus prædicabat? Cur ergo eis à Nerone videtur ordiendum, cum ad Neronis tempora inter atrocissimas persecutiones, de quibus nimìs longum est cuncta dicere, Ecclesia crescendo pervenerit? Quòd si à Re-*

à Regibus factas persecutiones in numero existimant esse debere; Rex fuit Herodes, qui etiam post ascensum Domini gravissimam fecit. Ita S. Augustinus. Qui deinde ostendit, Ecclesiæ persecutiones fuisse ultra decem, nec in Diocletiano & Maximiano finem habuisse; nam post istos Ecclesiam persecuti sunt alii, ut Julianus apostata: nec defuere suis etiam temporibus Imperatores & Reges, qui Ecclesiam persecutione vexarent. Concludit ergo S. Doctor, de initio & fine persecutionum, quibus exercenda erit Ecclesia, nil certi statui posse, his verbis: *Itaque hoc in medio relinquimus, neutram partem quæstionis hujus adstruentes sive destruentes; sed tantummodò ab affirmandi quodlibet horum audaci præsumtione revocantes*.

III. Si igitur persecutiones, quas Ecclesia passa fuit vel passura erit, numero denario præfigere generaliter quis contendat: si etiam velit, Neronem fuisse primum, qui absolutè ex Regibus contra Christi Ecclesiam arma movit; putarem & ego, quòd in audacem præsumtionem incideret, à qua revocare S. Augustinus intendit: nimis enim apertè vel ipso testimonio Martyrum, qui pro vera Christi Fide passi sunt sive à Judæis sive ab Ethnicis sive etiam ab Hæreticis, non solùm tribus prioribus sed & posterioribus seculis, comprobatur, persecutiones quas Ecclesia sustinuit, numerum denarium excedere. Nec minùs apertum est, eam etiam ante tempora Neronis pluries & à pluribus agitatam fuisse, ut S. Augustinus ostendit. Cæterùm si persecutio Neronis non dicatur prima simpliciter, sed prima inter eas, quas Ethnici Imperatores adversùs Ecclesiam publicis Edictis moverunt; sic absque Augustini dissensu, crediderim posse appellari primam, etsi absolutè sit tertia. Nam prima simpliciter auctorem habuit Saulum, in qua lapidatus est Stephanus, & Fideles dispersi anno à passione Christi primo. Secunda Herodem Agrippam anno à passione Christi 11. seu ab ejus ortu 44., in qua occisus est Jacobus, & in carcerem detrusus Petrus occidendus. Utraque tamen auctores habuit ex Judaismo. Tertia auctorem habuit Neronem, qui primus ex Ethnicis Imperatoribus anno Imperii 10., & Christi *64*. vel *66*. adversùs Christianos imperiali gladio insurrexit.

IV. In hoc sensu Auctores Ecclesiastici persecutionem Neronianam appellant primam. Sic Tertullianus Apologetic. cap. 5.: *Consulite*, inquit, *commentarios vestros: illic reperietis primum Neronem in hanc Sectam cùm maximè Romæ orientem Cæsariano gladio ferocisse. Sed tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur. Qui enim scit illum, intelligere potest, nonnisi grande ali-*

aliquod bonum à Nerone damnatum. Et qui Neronem præcesserant Imperatores nihil adversùs Christianos moliti fuerant. Tiberius ab eis persequendis adeò fuit alienus, quin potiùs usus suâ auctoritate fuit pro eorum tutela, imò ad Pilati relationem & famam de signis à Christo editis, ipsum Deorum numero ingerere paratus erat, nisi Senatus obstitisset. De Cajo nihil legimus ab eo factum, quod Christianos respiciat. Claudius eorum aliquos quidèm Româ expulit, sed tanquam Judæos, non tanquam Christianos. Imò nec ipse Nero in sui Imperii initiis, quibus boni Principis signa præferebat, quidquam adversùs Christianos machinatus est. Tunc solùm contra illos vexillum erexit, quando desiit esse homo, & in omnigenæ libidinis ac impietatis monstrum conversus, id solùm cœpit eligere quod malum erat, & quod bonum erat persequi & reprobare.

V. Luxuria ergo & crudelitas, quæ in Nerone thronum erexerant, persecutionis in Christianos facem injecerunt. Unde S. Augustinus L.5. de Civit. Dei cap.19.: *Hujus*, inquit, *vitii summitatem & quasi arcem quamdam Nero primus obtinuit; cujus fuit tanta luxuries, ut nihil ab eo putaretur virile metuendum, tanta crudelitas, ut nihil molle habere crederetur, si nesciretur*. Adèoque execrabilis evasit, ut id, quod Paulus 2. Thessal.1. v.7. Antichristum indicans dicit, *Jam enim mysterium iniquitatis operatur*, de Nerone ipsum intellexisse aliqui existimarint, eodem S. Augustino teste L.20. de Civit. Dei cap.19: *Quidam putant, hoc de Imperio dictum fuisse Romano: & propterea Paulum Apostolum non id apertè scribere voluisse, ne calumniam videlicet incurreret, quòd Romano Imperio malè optaverit, cùm speraretur æternum: ut hoc quod dixit* „Jam enim mysteriùm iniquitatis operatur„ *Neronem voluerit intelligi, cujus jam facta velut Antichristi videbantur. Unde nonnulli ipsum resurrecturum & futurum Antichristum suspicantur. Alii verò nec occisum putant, sed subtractum potiùs, ut putaretur occisus; & vivum occultari in vigore ipsius ætatis, in qua fuit, cùm crederetur extinctus, donec suo tempore reveletur & restituatur in Regnum*.

VI. At ne quispiam putet hæc de Nerone probra à Christianis odio fuisse excogitata, legat Historicos etiam Ethnicos, & ab illis discat, nullum crimen vel horrendum fuisse, quod in Nerone Sedem non obtineret. Imperium suscipiens vix annos 17. natus Senecæ præceptis ac monitis auscultans egregia quidèm virtutis specimina initio Imperii dedit: sed postea libidine & crudelitate obcæcatus belluæ potiùs quàm hominis mores imbuit. Agrippinam matrem occidi jussit, & Octaviam conjugem, indu-

ctâ Poppæâ Othonis etiam num viventis uxore, quam & postea gravidam ictu calcis peremit. Senecam præceptorem, & Lucanum poetam morte affecit. Imperatoriâ majestate dejectâ Histrionem, Cytharædum, & Aurigam publicè agebat. Ut ardentis Trojæ velut per ludicrum speciem exprimeret, Romam incendit. At ne effræni libidini aliquid deesset, viro publicè nupsit. His omnibus adeò hominibus exosus effectus fuit, ut Senatus ipse tantum monstrum ferre non valens, extrema in ipsum meditaretur. Quæ ut declinaret, ab omnibus derelictus, mortem sibi desperatè consciviit. Talis fuit qui primus in Christianos desævit. Jure ergo cum Tertulliano repetam, gloriandum esse Christianæ Religioni, quòd talem habuerit, & quidèm ex Ethnicis, primum, persecutorem. Quòd enim à perditissimo hominum malè visa fuerit, clarum est suæ veritatis & innocentiæ signum & argumentum. Unde Lactantius L. de mort. persec. cap. 2. post enarratam Neronis in Christianos crudelitatem, ait: *Respexit enim Deus vexationem Populi sui. Dejectus itaque fastigio Imperii ac devolutus à summo Tyrannus impotens, nusquam repentè comparuit, ut ne sepulturæ quidem locus in terra tam malæ bestiæ appareret. Unde illum quidam deliri credunt esse translatum ac vivum reservatum, Sybillâ dicente, Matricidam profugum à finibus esse venturum, ut quia primus persecutus est, idem etiam novissimus & Antichristi præcedat adventum* &c.

§. II.

Neronianæ Persecutionis initia & progressus.

I. Fama hujus novæ (Christianæ scilicet) Religionis, cujus jam per totum Orbem semina fundebantur, signis & prodigiis eam confirmantibus, Magistratuum, Principum & aliorum qui Orbi præerant, animos commovere cœpit. Alii tamen aliis causis movebantur. Quidam ferre non poterant, quòd ipsis insciis, imò & invitis, nova Religio, quæ antiquam destrueret, eorum dominia invaderet. Quidam eam odibilem habebant, quòd magicis artibus eam promoveri audirent (magiæ enim tribuebant signa quæ ab Apostolis edebantur) & quòd multa ab ejus cultoribus in secreto patrari crimina spargerentur. Alii verò, qui Idolorum cultum, & generalem morum corruptionem probabant, videntes Idolis cultum eripi, & vitæ puritatem quam primi illi Fideles profitebantur, summo in Religionem talia præscribentem odio accensi, eam suffocare adhuc nascentem meditabantur.

II. Hæc

II. Hæc postrema causa ad persequendos Christianos Neronem maximè impulit. Qui enim, licèt animo omnem Religionem aspernaretur, ut effræni suæ licentiæ indulgeret, exteriùs tamen Idolorum cultor erat; sed moribus corruptissimus, & omnium libidinum vile mancipium factus, cùm audisset toto ferè Romano Imperio, imò & in Urbe ipsa Christum hominem à Judæis crucifixum tanquam Deum, & hunc solùm prædicari, Deosque suos everti, morumque puritatem & castimoniam vitæ sensim induci, sanctamque hanc vivendi rationem sub oculis suis prædicatione Petri ac miraculis, quæ in dies patrabantur, non modicos progressus facere; toto furoris sui impetu Templum hoc, quod in cordibus hominum Divina Gratia erigebat, destruere, & justitiam è terris eliminare aggreditur. (Lactantius de mortibus persecutorum cap.2.)

III. Incendium, quo tota penè Roma absumta fuit, persecutionis in Christianos occasio & initium fuit. Videns enim Nero, se tanti incendii auctorem (ut verè fuerat) à Populo traduci, nec communem hanc opinionem aliis mediis delere posse, crimen hoc in Christianos à se vertere cogitavit, eosque tanquam Romanæ Urbis incendiarios exquisitis cruciatibus torquere cœpit. Aliquos bestiarum pellibus supervestiri jubebat, ut sic à canibus vorarentur, aliquos affigi crucibus, aliquos flammis absumi, & quidèm nocturno tempore, ut veluti à facibus transeuntes lumen acciperent, imò ut diutiùs arderent eorum corpora chartâ, cerâ pice aliâve materiâ ardendo idoneâ illitâ supervestiri mandabat, posito subtùs mentum eorum palo, ut sic recti ac vivi arderent, ac demum comburerentur. Ita Martyrologium 24. Junii. *Romæ commemoratio Sanctorum plurimorum Martyrum, qui sub Nerone Imperatore de Urbis incendio per calumniam accusati, diverso mortis genere ab eodem jussi sunt sævissimè interfici: quorum alii ferarum tergis contecti laniatibus canum expositi sunt, alii crucibus affixi, aliique incendio traditi, ut ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis deservirent: Erant hi omnes Apostolorum Discipuli, & primitiæ Martyrum, quas Romana Ecclesia fertilis ager Martyrum ante Apostolorum necem transmisit ad Dominum.* Ita Tacitus Annal. 15. *& pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent; aut crucibus affixi, aut flammandi; atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur.* Quis hæc audiens non exhorreat? Nihilominùs hæc imperare non solùm, sed & propriis oculis spectare impio Tyranno deliciæ erant. Hortum habebat Nero, hunc commodavit, ut feris hisce spectaculis theatrum esset.

Lu-

Ludos Circenses ibi eodem tempore repræsentabat, modò Rhedarii habitu per medium Populum ipse discurrens; modò ascenso curru insano impetu huc illucque irrumpens, Christianis interim inter tormenta morientibus; quod vel ab ipsis Ethnicis miserationem extorquebat: unde idem Tacitus Annal. 15. etsi erga Christum & Christianos malè affectus dicat, quòd erga ipsos, *quamquam adversùs sontes & novissima supplicia meritos ageretur, miseratio tamen oriebatur; tanquam non utilitate publicâ, sed in sævitiam unius absumerentur*.

IV. Attamen miserandi vos potiùs, qui veritatem Dei stultitiam reputantes in nos desævitis! quid agatis ignorantes? dicebant hilares inter tormenta cum Lactantio L.5. Divin.Inst.c.12. Ethnicis Christiani: *Hæc est enim lex nostra, hoc opus, hæc religio. Si vobis sapientes videmur, imitamini; si stulti, contemnite, aut etiam ridete, si libet. Nobis enim stultitia nostra prodest. Quid laceratis, quid affligitis? Non invidemus sapientiæ vestræ: Hanc stultitiam malumus, hanc amplectimur.... An boni nostri qualitas ex Populi potiùs pendebit erroribus, quàm ex conscientia nostra & judicio Dei? Aut aliqua nos illiciet unquam felicitas, ut non potiùs veram bonitatem cum omni malo, quàm falsam cum omni prosperitate malimus? Sua sibi habeant Regna Reges, suas divitias Divites.... suam verò prudentiam Prudentes; relinquant nobis stultitiam nostram, quam vel ex hoc apparet esse sapientiam, quòd eam nobis invident. Quis enim stulto invideat, nisi qui ipse sit stultissimus? Illi autem non sunt adeò stulti, ut stultis invideant; sed ex eo quòd accuratè, quòd sollicitè persequuntur, stultos non esse concedunt. Cur enim tam crudeliter sæviunt, nisi quia metuunt, ne in dies invalescente justitiâ, cum Diis suis cariosis relinquantur? Si cultores Deorum sapientes sunt, nos stulti; quid metuunt, ne sapientes illiciantur à stultis?* His vel similibus Martyres argutè respondebant Ethnicis, eos tanquam stultos traducentibus, quia cùm possent Diis serviendo hilarem ac prosperam vitam ducere, mallent sequendo Christum cruciatibus vitam perdere.

V. Etsi verò, ut ex Tacito dixi, persecutio Neroniana ex incendio Urbis Romæ occasionem & impulsum habuerit; reverà tamen odio Christianæ Religionis, quam, ceu suis corruptissimis moribus adversantem, ferre non poterat, directè movebatur: Nam etiam post Christianorum stragem sub titulo incendii Romæ factam, eos ubique insequi prosecutus est. Leges propterea & edicta, quibus sub capitali pœna prohibebatur Christianæ Religioni nomen dare, non Romæ solùm, sed toto Romano Imperio evulgasse, colligitur ex Tertulliano in Apolog. cap.5., Eu-

Eusebio L.2. hist. cap.24. & L.4. cap.26. Scio, Doduvellium velle, ad solam urbem Romæ persecutionem suam Neronem restrinxisse, nec alios quàm ibi Martyres fecisse. Sed hoc propriâ auctoritate dicit, nec causam affert. Imò nec omnes Romæ Martyres sub prætextu incendii fecit. Nam Apostoli Petrus & Paulus sub Nerone Martyrium Romæ passi sunt: quibus tamen incendium Martyrii causa esse non potuit, sive quia tunc Romæ non aderant, sive quia saltem biennio post incendium, & inchoatam persecutionem nempè anno vel 66. vel 68. illud subiere. Benè ergo observat Baronius, quòd cùm inter Imperatores, qui Ecclesiam persecuti sunt, recenseatur (& quidem primus) Nero; nec numero Persecutorum comprehenderint Tertullianus & alii, nisi eos, qui publicis edictis Christianos ubique insectati sunt; credere par est, Neronem etiam legibus & edictis ad omnes Imperii Provincias in eos desæviisse: quod ex sequentibus apparebit.

§. III.

Martyres in Neroniana Persecutione.

I. VEritas hæc non meliùs demonstrari potest, quàm recensendo eos, qui sub Neronis Imperio variis in partibus pro Confessione Christi Martyrium passi sunt. Passi fuerunt sub Nerone in Hetruria Pisis Paulinus Reipublicæ Lucensis Patronus & Episcopus, & Torpes seu Torpetes. Ravennæ Ursicinus, Vitalis, & Valeria. Mediolani Gervasius, Protasius, Nazarius & Celsus, qui omnes Martyrium SS. Petri & Pauli præcessisse creduntur. De singulis aliqua dicam.

De S. Paulino scribit Ughellius tom. 1. quòd â S. Petro Episcopus Lucensis ordinatus, sed ibi captus Pisas ductus fuit, ubi Anulinus Præses residebat, ibique variis pro Christo tormentis toleratis, ductus in montem situm inter Pisas & Lucam dirissimè flagellatus, vitam finivit cum aliis sociis. Concordat Martyrologium die 12. Julii his verbis: *Lucæ in Tuscia beati Paulini, qui à S. Petro primus ejusdem Civitatis Episcopus ordinatus, sub Nerone ad radices montis Pisani post multos agones Martyrium suum cum aliis sociis consummavit.* Acta S. Paulini ab Ecclesia Lucensi, cujus est principalis Patronus, se habuisse scribit Baronius ad diem 12. Julii.

II. De S. Torpete proferuntur Acta à Mombritio & Bollando 17. Maii. De eo agunt Florus, Rabanus, Usuardus, Ado & Mar-

& Martyrologia, inter quæ Romanum his verbis 17. Maii: *Pisis in Tuscia S. Torpetis Martyris, qui magnus in officio Neronis primùm fuit, unusque ex his, de quibus Paulus Apostolus ab urbe Roma ad Philippenses scribit: Salutant vos omnes Sancti, maxime autem qui de Cæsaris domo sunt. Sed postea pro Fide Christi jubente Satellico alapis cæditur, verberibus durissimè afficitur, ac bestiis devorandus traditur, sed minimè læditur; tandem Martyrium suum decollatione complevit tertio Kalend. Maii: Ejus tamen festivitas hâc die recolitur ob sui corporis translationem.*

III. De SS. Ursicino & Vitali hæc apud Bollandum 28. Aprilis habentur: Fidelis quidam nomine Ursicinus, qui multa propter Christum passus fuerat, tandem capitali sententiâ damnatus, cùm jam instaret supplicium subito terrore adeò correptus fuit, ut Fidei abnegandæ proximus videretur. Aderat Vitalis Paulini Judicis Minister & amicus, qui Christianis secretò tamen favebat. Is videns Ursicinum trepidantem, se Christianum publicè prodens, tanto ardore illum animavit, ut excussâ trepidatione, alacer pro Christo caput obtulerit. Cùmque Vitalis Martyris corpus sepulturæ tradidisset, detectus ac subinde detentus, Paulini jussu priùs in equuleo suspensus, demum vivus sepultus in loco dicto *Palma* Martyr occubuit. De S. Vitale agit Fortunatus Pictaviensis sexti seculi auctor. SS. Gervasii & Prothasii pater fuisse creditur, unde in Martyrol. die 28. Aprilis legitur: *Ravennæ natalis S. Vitalis Martyris patris Sanctorum Gervasii & Prothasii, qui cum beati Ursicini corpus sublatum honestate debitâ sepelisset, tentus à Paulino Consulari, post equulei tormenta jussus est deponi in profundam foveam, & terrâ ac lapidibus obrui, talique Martyrio migravit ad Christum.* S. Valeria, quæ eodem colitur die, ejus uxor fuisse traditur. Hæc cùm accepto nuntio de Vitalis conjugis morte Mediolano Ravennam venisset, & paulò post Mediolanum utriusque patriam remeans, cùm in itinere in quosdam, qui suis Idolis festum celebrabant, incidisset, nec partem in eorum sacrilegis Solemniis habere voluisset, tot verberibus eam affecerunt, ut post triduum è vita excesserit. Hoc referunt Ado, Bollandus &c. S. Ursicini etiam memoria colitur in Martyrolog. 19. Junii: *Ravennæ S. Ursicini Martyris, qui sub Paulino Judice post plurima tormenta in Confessione Domini immobilis permanens, capitis abscissione Martyrium complevit.* Hinc colligere licet, tres præfatos Martyres sub Nerone passos fuisse: cùm enim Vitalis & Valeria Gervasii & Prothasii parentes asserantur, & hi sub Nerone passi fuerint, ut statim dicam, sub eodem & illos par est credere Martyres fuisse effectos.

IV. Sub Nerone igitur & passos fuisse SS.Gervasium & Prothasium fratres, conjicio; primò quia sub eodem Martyres effecti creduntur, sub quo SS. Nazarius & Celsus, qui, Ennodio teste & aliis post ipsum, sub Nerone Martyres fuerunt. Secundò quia S. Ambrosius Epist.54. dicit, eos tunc passos fuisse cùm Mediolanensis Ecclesia Martyribus adhuc sterilis esset; ex quo videtur colligi in prima persecutione accidisse: deinde in eadem Epistola loquens de dictorum SS. Corporum inventione, dicit, ea procera admodùm fuisse, *ut prisca ætas ferebat*; quibus indicasse videtur antiquitatem à sua ætate remotiorem. Vita S. Syri & S.Juvenci, Paulum Diaconum ferens auctorem, SS.Gervasium & Prothasium Nerone persequente Martyres factos refert. Idem sentiunt Græci 14. Octobris in Menologio Basilii. Baronius in vita S. Ambrosii dicit quidèm, eos initio nascentis Ecclesiæ fuisse coronatos; postea tamen dubius hæsit, an hoc sub Marco Aurelio potiùs evenerit. Sed quia ad hoc movetur ex Epist.53. S. Ambrosio affictâ, quæ tamen supposita creditur, ideò ratio dubitandi ruere videtur.

V. Horum SS. Martyrum Corpora, quæ ab Ecclesiæ Mediolanensis memoria penitùs exciderant, seculo 4. præviâ revelatione reperta à S. Ambrosio pluribus miraculis coruscare cœperunt: de quo S. Ambrosius Epist.54. & S. Augustinus L.9. Confess. cap. 7. & L. 22. de Civit. Dei cap. 8., & S. Paulinus Epist. plura dicunt, quæ refert Tilmontius tom.2., quem Lector adire poterit. Mihi satis est, eos sub Nerone Martyrio coronatos ostendisse. Non omittam tamen quæ de eis die 19. Junii habèt Martyrol., nempè *Mediolani Sanctorum Martyrum Gervasii & Prothasii fratrum: ex quibus priorem tamdiù jussit Astasius Judex plumbatis cædi, quousque spiritum exhalaret; sequentem verò fustibus cæsum capite truncari. Horum Corpora Domino revelante Beatus Ambrosius sanguine conspersa, & ita incorrupta reperit, ac si eo die fuissent interemti: in quorum translatione cæcus feretri tactu lumen recepit, & plurimi vexati à Dæmonibus liberati sunt*. Ambos tamen capite fuisse truncatos indicat Epist.54. dum ait, eorum Corpora in sua naturali situatione fuisse reperta, capitibus tamen à corpore sejunctis, in quo etiam Græcorum monumenta conveniunt.

VI. Coronatus fertur sub Nerone S. Ptolemæus S. Petri Discipulus, ab eo ordinatus Episcopus, & in Tusciam ad prædicandum missus cum Romano & aliis. Horum Acta desiderantur. Hunc Ptolemæum Episcopum Nepesinum in Tuscia censet Baronius anno 46.§.2. & 19.Oct., Ferrarius tamen eum Episcopum

Pentapolis fuisse putat, Urbis adeo dirutæ, ut nullum ejus modò extet vestigium. Baronius tamen Acta Ecclesiæ Nepesinæ ad se transmissa profert, & S. Ptolemæum anno 69. Martyrium subiisse §. 44. dicit. Sed hæc incerta ex utraque parte sunt.

VII. Post mortem S. Petri sub Nerone ponitur S. Hermagoræ primi Aquilejensis Episcopi unà cum Fortunato suo Diacono Martyrium: de quibus Martyrologium 12. Julii ait: *Aquilejæ natalis S. Hermagoræ Discipuli Beati Marci Evangelistæ & primi ejusdem Civitatis Episcopi: qui inter miracula sanitatum & prædicationis instantiam ac Populorum conversionem plurima pœnarum genera expertus, tandem unà cum Fortunato Diacono suo capitali supplicio perpetuum meruit triumphum.*

VIII. Ecclesia Cæsaraugustana 13. Februarii (apud Bollandum) S. Polycetem Diaconum veneratur, qui sub Nerone passus fuit in loco vicino *Caraves* nuncupato. (Ferronius anno 69. §. 46.) Ferunt etiam, in Hispania antiquum repertum fuisse marmoreum monumentum, quo aguntur gratiæ Neroni, quòd Provinciam illam tum à prædonibus, tum à novæ Superstitionis inductoribus expurgaverit: quod clarum esset argumentum, Neronis tempore prædicatum fuisse in Hispaniis Evangelium, vel à S. Jacobo Majore, vel à S. Paulo, ut suo loco dixi; & ibi extitisse Christianos, qui à Nerone Martyrio fuerint coronati. Hoc verum censeo, multos alios Sanctos Martyres Deo notos, de quorum aliquibus etiam Martyrologia meminerunt, in persecutione Neronis fuisse passos. Quòd si Liber Pastoris ab Herma fuit, ut probabile est, ante Domitiani persecutionem conscriptus, ad Neronianam referendum est id quod ibi narratur, Deum nempè jam plures coronasse alios, qui potiùs mala multa tolerarunt, quàm Dei Legem desererent: alios qui Diabolum propriam dantes vitam vicerunt, propter Dei nomen carceres flagella cruces ac bestiarum dentes invictè superantes.

IX. Sic igitur Nero dum cogitabat Ecclesiam destruere, eam nolens ædificabat, & Martyres multiplicando, testimonia pro Fidei Christianæ Veritate multiplicabat. *Quia* (inquit Sanctus August. L. 22. de Civit. Dei cap. 9.) *& ipsi Martyres hujus Fidei Martyres, idest hujus Fidei testes fuerunt, huic Fidei testimonium perhibentes Mundum inimicissimum & crudelissimum pertulerunt, eumque non repugnando sed moriendo vicerunt.* Victus tandem ipse Nero miserrimè interiit, & pœnam quam Christianis injustè intulit, ipse justissimè pertulit, ut Lactantius de mort. Persec. cap. 2. scribit.

CA-

CAPUT III.

De Persecutione Domitiani.

§. I.

Initia Persecutionis.

I. NErone extincto, Ecclesia Christi à persecutionibus aliquandiù requievit. Sergius enim Galba, Silvius Otho, ac Vitellius, qui successerunt, & quorum perbreve fuit Imperium, nihil adversùs Christianos, publicis saltem Edictis, tentasse leguntur. Vespasianus bello quidèm Judæos insecutus est, ac Jerosolymam destruxit, sed odio potiùs Gentis adversùs Romanum Imperium continuò rebellantis, quàm Religionis: ideòque nec contra Christianos quidquam molitus fuit. Multò minùs Titus ejus filius genio mitissimus, de quo S.Hieronymus in cap. sextum ad Galat.: *Pontificatum*, inquit, *maximum ideò se professus accipere, ut puras servaret manus, præstitit fidem: nec auctor post hæc cujusquam necis nec conscius; quamvis interdum ulciscendi causa non deesset: sed periturum se potiùs, quàm perditurum adjurans.*

II. Dissimilis tamen Tito fuit ejus frater Domitianus, qui sicut à suspicione veneni Tito propinati non abfuit: ità factus Imperator crudelitatis suæ exempla reliquit. Suscepto igitur anno Christi 83. Imperio, talem eum experiri cœperunt non solùm Christiani, sed & Ethnici in damnatione Corneliæ Virginum Vestalium maximæ, quam absentem inauditamque damnavit incesti, & vivam defodi jussit, ut testatur Eusebius in Chronic. ad ann. 95., de quo Plinius Junior Epist. ad Minutianum, quæ est undecima libri 4. cum horrore scribit: & S. Augustinus L.5. de Civit. Dei cap. 21. loquens de Deo, qui ut vult & quibus vult dispensat Imperia, ait: *Qui Vespasianis vel patri vel filio, suavissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo.*

III. Domitianus ergo Neronianæ crudelitatis hæres eam exercere in Ecclesiam cœpit: unde *Portio Neronis* à Tertulliano in Apologet. cap.5. appellatur his verbis: *Tentaverat & Domitianus Portio Neronis de crudelitate: sed quâ & homo facilè cœptum repressit, restitutis etiam quos relegaverat. Tales semper nobis insecutores injusti impii turpes, quos & ipsi damnare consuestis, à quibus damnatos restituere soliti estis;* Quibus indicat, Domitianum

num ante mortem persecutionem revocasse: ex quo benè arguit persecutiones Christianorum fuisse injustas, dum Ethnici, imò & ipsi Persecutores, eas injustas esse, dum lumine rationis uterentur, agnoverunt; quod pro Veritate Religionis Christianæ non leve est argumentum. De Domitiani persecutione videndus Lactant. de mort. Persecut. cap. 3., & Eusebius L. 2. cap. 17. & L. 4. cap. 26.

IV. Hæc tamen persecutio non statim à cædibus exordium sumsit, sed à rigorosa tributorum exactione, quâ, ut ait Svetonius in Domitiano, supra cæteros onerabantur illi, qui Judæorum viam Romæ amplexi fuerant; juxta stylum autem Auctorum illius temporis Judæorum nomine intelligebantur Christiani. Procedente tamen sui Imperii tempore crudelia Edicta ad internecionem, si fieri posset, universæ Christi Ecclesiæ toto Romano Orbe Domitianus promulgavit, teste Orosio L. 7. cap. 10. Quo autem anno in hoc eruperit, controvertitur. Cùm enim 15. annis Domitianus imperaverit, aliqui, inter quos Baronius ad ann. 93 §. 3., censent Domitianum feram persecutionem movisse anno Imperii sui 10. Christi verò 91. vel 92., cui adhæret Alexandre tom. 1. hist. cap. 10.. Movetur Baronius, quia supponit, S. Cletum seu Anacletum, qui sub Domitiano passus fuit, hoc anno fuisse passum. Alii verò secuti Eusebium in Chron. & S. Hieronymum de Script. Eccles. cap. 9. volunt, inchoasse persecutionem anno Christi 95. & 14. ac penultimo sui Imperii, quibus favere videntur Juvenalis sat. 4. & Lactant. de mort. Pers. cap. 3., dum ajunt, quòd Christianorum persecutionem citò Domitiani mors secuta fuit.

V. Cùm tamen varios gradus habuerit persecutio, crederem posse præfatos Auctores componi dicendo, anno quidem 91. vel 92. inchoasse persecutionem Domitiani, non tamen generalem & sævam; talem autem evasisse solùm anno 95. seu anno 14. Imperii, & propè ipsius Domitiani interitum: hoc enim visus est indicare Dio L. 67. & Brutius apud Eusebium L. 3. cap. 18.: quorum uterque dicit, anno 15. Domitiani persecutionem maximè ferocisse, multosque Christianorum fuisse cæsos. Nec enim assentiri possum Dodovellio, qui in dissert. Cypr. cap. 16. contendit, hanc persecutionem ultra exilia se non extendisse; contrarium enim demonstrat Flavius Clemens, quem constans est fuisse occisum quia Christianum, & quem alii multi Dione teste eodem exitu secuti sunt, sed de his statim.

§. II. *Mar-*

§. II.

Martyres sub Domitiano Flavius Clemens &c.

I. CHriſtiana Religio Domitiani temporibus Martyrum ſuorum triumphis adeò illuſtris evaſerat, ut vel ipſi Hiſtorici Pagani, teſte Euſebio L.3.cap.18., de perſecutione contra eam à Domitiano excitata locuti ſint, & de Martyribus, qui pro ea tuenda decertarunt. Dio L.67. narrat ad annum 95. Conſulis Clementis Flavii mortem, Domitillæ ejus uxoris & aliarum plurium, quæ damnatæ fuerunt, inquit ille, velut Atheæ, eò quòd mores Judæorum amplexæ fuiſſent (ſub Judæorum enim appellatione tunc Chriſtianos Ethnici confundebant). Alter etiam Paganus nomine Brutius, refert exilium S. Domitillæ Virginis ejuſdem Conſulis neptis; & Martyria vel ſaltem exilia plurium aliorum Chiſtianorum.

II. Inter illos ergo, qui à Domitiano paſſi ſunt, nemo Flavio Clemente & Flaviis Domitillis illuſtrior. Erat hic Domitiani conſobrinus Flavii Sabini unici Veſpaſiani germani fratris filius, qui cùm Romæ Præfectus eſſet, imperante Vitellio occiſus fuit. Flavius autem Sabinus ejus major natu filius Conſul anno Chriſti 82. paulò poſt à Domitiano necatus interiit. Hæc ex Dione L. 67. Suetonio in Domitiano, Tacito L.3. hiſt. ex quibus Recentiores hauſerunt.

Flavius Clemens Flaviam Domitillam ei à Domitiano deſponſatam, cui conſanguinitate juncta erat, uxorem habuit. Hanc ipſius Domitiani ſororem fuiſſe Philoſtratus putat: ſed cum Domitilla unica Domitiani ſoror mortua eſſet, antequam Veſpaſianus parens Imperium aſſumeret, veriſimilius eſt, Flaviam Domitillam Clementis uxorem illius filiam fuiſſe ac Domitiani neptem. Ex ea Clemens duos ſuſcepit filios; quos ſibi in Imperio Succeſſores Domitianus deſtinaverat, priora eorum nomina mutans, ac unum Veſpaſianum, Domitianum alterum appellari faciens, Quintiliano moribus ac litteris imbuendos tradiderat.

Clemens ordinariè Conſulatum geſſit anno Chriſti 95., quo vix expleto, ut ait Svetonius, à Domitiano levi veneno ſublatus fuit, fortè ut cauſam mortis occultaret: Dio tamen L.67. apertè dicit, Clementem accuſatum fuiſſe impietatis ſeu Atheiſmi; criminis, inquit Hiſtoricus, quo à Domitiano tunc damnati fuere alii plures, qui mores Judæorum amplexi fuerant; hoc enim

enim charactere confundebatur tunc Christianismus cum Judaismo à Paganis, ut dixi, & Origenes testatur L.1. contra Celsum: qui etiam eò cæcitatis devenerunt, ut eos qui falsis Diis abjectis unum verum Deum colerent impios atque Atheos appellarent, ut ex Justino Apolog.1. pag.56. Quòdque omnia Mundi oblectamenta honores ac dignitates despicerent, & unicè Dei gloriam quærerent, eos ut homines segnes pigros stultos, ideòque contemtibiles aspernabantur; talemque describit Clementem Svetonius in Domit. cap.15. Nescientes (inquit Lactantius L.4. Divin. Inst. cap.28. *Nullam aliam spem vitæ homini esse propositam, nisi ut abjectis vanitatibus & errore miserabili Deum cognoscat & Deo serviat, nisi huic temporali renuntiet vitæ, ac se rudimentis justitiæ ad cultum Religionis instituat. Hâc enim conditione gignimur, ut generanti nos Deo justa & debita obsequia præbeamus.*

III. Domitilla Flavii Clementis uxor eodem crimine impietatis, quo vir ejus, nempè quòd & ipsa veram pietatem ac Religionem profiteretur, accusata fuit. Vix elapso quatriduo à viri sui Clementis nece, Domitianus ad secundas nuptias contrahendas eam allicere tentavit: sed illa, quæ Jesu Christo ejusque honori omnia præferre statuerat, constanter restitit. Quarè indignatus Domitianus eodem anno in insulam Pandatariam (modò S. Mariæ) propè Puteolos ipsam relegavit. Neque alteri Domitillæ Clementis nepti adhuc virgini impius Tyrannus pepercit. Hanc enim in Fidei & castitatis proposito constantem eodem anno ad insulam Pontiam propè Pandatariam exulem amandavit. Et hæc fuisse creditur Flavia Domitilla, de qua Eusebius L.3. cap.18. dicit relegatam fuisse in insulam Pontiam. Hanc Ecclesia die 7. Maii ut Virginem & Martyrem veneratur, ejusque exitum in Martyrologio ita describit: *Tarracinæ in Campania natalis beatæ Flaviæ Domitillæ Virginis & Martyris, quæ cùm esset Flavii Clementis Consulis sororis filia, & à S. Clemente sacro velamine consecrata, in persecutione Domitiani ob testimonium Christi cum aliis plurimis in insulam Pontiam exilio deportata, longum ibi Martyrium duxit. Novissimè verò Tarracinam deducta, cùm doctrinâ & miraculis plurimos ad Fidem Christi convertisset, jussu Judicis incenso cubiculo, in quo simul cum suis Virginibus Euphrosina & Theodora morabatur, cursum gloriosi Martyrii consummavit.* Et die 12. Maii recolit agonem SS. Nerei & Achillei fratrum, qui primò cum Flavia Domitilla, cujus erant Eunuchi, in insula Pontia exules, tandem cum à Rufo Consulari equuleo & flammis ad immolandum compellerentur, dicerentque se à beato Petro Apostolo baptizatos Diis immolare non posse, capite cæsi sunt.

IV. Ex his, quæ Domitianus contra Perfonas adeò illuftres & fanguine fibi tam proximè junctas egit, arguat Lector, quæ adversùs alios inferioris conditionis Viros ac Mulieres odio, quo contra Chriftum ferebatur, crudelis Domitianus egerit. Solùm de duobus Flavii Clementis filiis quid evenerit, Hiftoriæ non produnt. Imaginari tamen poffumus, quòd cùm ob necem Patris ac ipfius Domitiani, qui eos Imperio deftinarat, paulò poft fecutam, a Jure Imperii excidiffent; Nerva in quem tranfivit ficut & Trajanus eis privatam vitam agere ex pietate indulferint. An verò exemplum parentum imitati Fidem Chrifti fufceperint an in Paganifmo manferint, prorsùs ignoratur. Quis de Flavia Domitilla S. Clementis uxore & ad infulam Pandatariam relegatâ exitus fuerit, nec Hiftoriæ nec Martyrologia, quæ de fola Flavia Domitilla virgine S. Clementis ex forore nepte fermonem habent, meminerunt. Piè tamen credendum eft, eam vel in agone vel in pace fanctè obiiffe.

V. Id tamen, quod mihi admirationem aliquam ingerit, eft, de S. Flavio Clemente tam illuftri Martyre in Martyrologiis, quæ habemus, nullam memoriam fieri. Baronius ad ann. 98. num 7. opinatur, accidere potuiffe, quòd antiqua de Flavio Clemente monumenta, maximè in perfecutione Diocletiani interierint: quo factum fit, ut fecula pofteriora id quod de Clemente Confule invenire potuerunt cum S. Clemente Papa, qui eodem tempore vivebat, confuderint. Quâ confufione fortè evenit, ut aliqui Auctores dixerint S. Clementem Papam de Familia Imperiali extitiffe.

Si tamen antiqua Martyrologia confulimus, inveniemus in eo, quod S. Hieronymi nomen præfert & folos Martyres continet, duos SS. Clementes Romæ paffos, unum (& hunc folum) 21. Novembris, alterum cum Sempronio 7. ejufdem menfis. Alterutrum autem horum effe Flavium Clementem Confulem nihil eft quod impediat. Qui die 7. Novembris ponitur, notatur etiam in antiquo Kalendario Romano Bucherii. Verùm permiffo etiam, hodiernis temporibus nullo monumento probari, Ecclefiam antiquam Flavium Clementem tanquam Sanctum & Martyrem veneratam fuiffe, id tamen evincunt ea, quæ fupra ex Auctoribus etiam Ethnicis indicavi, nimirùm unicam caufam mortis ejus fuiffe amorem erga Chriftum; quæ caufa Martyres facit: ideòque vel Proteftantes ipfi Martyrii titulo eum honorant, ut Pearfonius in opere Pofthumo p.25. Æquum enim erat, ut Chriftus, qui (ut oftenderet Ecclefiam fuam effe à Deo, & ut potentiam fuam manifeftaret) ad eam fundandam paucos Pi-

Piscatores rudes ac viles elegerat ; eâ jam fundatâ, ne viderentur rejecti, vocaret etiam Mundi Primates ac Principes, eorumque superbiam Evangelio subderet ac humiliaret, ut S. Gregorius L.3. Moral. cap.1.

VI. Hoc certum est, Flavium Clementem tanquam Martyrem hodierno tempore in honore haberi. Ejus enim Reliquias Romæ in Ecclesia sub S. Clementis nomine anno 1726. repertas præviâ solemni earumdem propriis humeris gestatione Benedictus XIII. sub Altari majori ejusdem Ecclesiæ honorificè reposuit ad publicam Fidelium venerationem anno 1727.

VII. Non tamen in solum Flavium Clementem ejusque Familiam Domitiani persecutio desæviit, sed ad alios multò magis ejus furor pertransiit. Eidem tribuunt multi Martyria Sanctorum Andreæ Apostoli, Dionysii Areopagitæ, Onesimi à Sancto Paulo conversi, & Nicomedis Romani Presbyteri ; cui adjungunt Usuardus 31. Maii & Bollandus 12. Maii S. Feliculam, cujus corpus projectum in cloacam, cùm Nicomedes inde sublatum in loco duabus vel tribus leucis Româ distante sepelisset ; id rescientes Persecutores, tot eum flagris cœcidere, donec efflaret animam. Porrò S. Feliculæ Martyrium sub Domitiano ponit Usuardus. Addi possent SS. Victorinus, Euthices, & Maro Flaviæ Domitillæ familiares, de quibus in Martyrol. 13. Aprilis: Hi tamen quamvis sub Domitiano in insulam Pontiam cum eâdem relegati, quia postea sub Nerva fuere liberati, sub Trajano Martyrium consummarunt. Ad Domitianum quidèm referri potest passio S. Antipæ Pergami occisi pro Christo, cui Christus ipse testimonium perhibet Apocal.2. v.13. his verbis: *Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos, ubi Satanas habitat*, Verùm Sancti omnes, qui in Domitiani persecutione mortui fuere, eam non adeò celebrem effecerunt, quantum illustrata fuit miraculo, quod Romæ Deus operatus fuit præservando S. Joannem Evangelistam, quem Domitianus in ferventis olei dolium injecerat, & postea in Patmos insulam relegavit, de quo suo loco dixi.

VIII. Vidimus Domitianum in Christianos furentem, eosque penitùs delere conantem: at irriti omnes ejus conatus evaserunt. Quò magis enim eos extinguere tentabat, eò magis Deus constantiâ ad quæcumque perferenda jam credentes roborabat, & non credentes ad Fidem eorum exemplo pertrahebat, ut Ecclesia fremente Persecutore in dies augeretur. Ita S. Clemens Papa, qui propriis oculis hoc viderat, testatur Epist. ad Cor. cap.6. „ Post hanc, inquit, persecutionem magnus electorum

„ nu-

„ numerus apparuit, quos invidia multis indignitatibus ac tor-
„ mentis cruciaverat, & qui aliorum exemplar facti fuerant,
„ quemadmodùm ipsi SS. Petri & Pauli exemplum fuerant se-
„ cuti: adeò ut non soli Viri sed & Feminæ crudeliora supera-
„ rint tormenta, quibus suam Fidem hìc probantes tantò glo-
„ riosius reciperent præmium & coronam, quantò eorum sexus
„ erat infirmior „. Et inter istas quandam Danaem seu Daniam recenset, quæ credi potest sub Domitiano gloriosum Martyrium pertulisse.

IX. Deus *Patiens redditor*, ad exercendam suorum patientiam, & suam inde gloriam ostendendam, crudelem Domitianum aliquandiù quidèm sævire permisit, sed impunem quia justus non reliquit: dum enim extremo furore in membra Christi irrupit, Divinam ipse ultionem expertus occiditur in proprio suo cubiculo 18. Septembris Anni 96. & sui Imperii 15.; & sicut ipse Flavio Clementi proditoriè vitam ademerat, ita & ipse proditoriè occiditur. Historici Ethnici Apollonius Thian. & Svetonius Domitiani necem ex nece Clementis ortam suspicantur, ejusque auctorem faciunt Stephanum Flaviæ Domitillæ olim famulum, sive ut de Clementis nece ultionem sumeret, sive tot aliorum cujuscumque conditionis, in quos crudeliùs tunc maximè Domitianus sæviebat. Hoc Juvenalis Satyrâ 4. visus est agnovisse, dum ait Domitianum in securitate vixisse, donec in Lamias & primæ qualitatis Personas desæviit, earumque sanguine contentus fuit; tunc solùm periisse, cùm viliorem sanguinem fundere cœpisset.

X. Hactenùs dicta supponunt, Domitianum persecutionem usque ad mortem continuasse. Verùm si Hegesippo apud Eusebium L.3. cap.20., & Tertulliano Apol. cap.5. credimus, Domitianus ante mortem persecutionem Ecclesiæ retraxerat, & exules ab exilio revocarat. Cùm enim persequeretur non solos Christianos, sed omnes etiam, qui ex stirpe Davidica originem traherent, timens æquè ac antea Herodes prædictum Messiæ Regnum, duplici odio in Christianos sub Judæorum nomine ferebatur; & odio adversùs Religionem, quam ut impiam & Atheam execrabatur, & odio adversùs Messiam, à quo metuebat, ne sibi Imperium eriperetur. Verùm cùm, ut alibi dixi, à Nepotibus Judæ qui de stirpe Davidica erant, indigentiam & paupertatem, quâ proprio labore manuum vivere tenebantur, intellexisset, omni timore seposito, pacem eis ac Christianis omnibus reddidit. Ceterùm hoc admisso, & quòd Edicta etiam contra Christianos revocarit, id nisi extremis diebus vitæ suæ fecisse dicen-

 dus

dus erit, ut improvisâ nece præventus exequi non potuerit, ut ex Lactantio de mort. Persec. cap.3. Certum enim est, nec S. Joannem è Patmos nec alios exules rediisse, nisi post Domitiani mortem; & Nervam fuisse illum, qui vetuit, ne quisquam quòd Judaico (idest Christiano) more viveret, imposterùm accusaretur, ut testatur Dio L.68.

XI. Quomodocùmque autem fuerit, firmum semper pro Veritate Religionis Christianæ, & iniustitia eam persequentium stat argumentum. Nam vel Domitianus ante mortem Edicta lata contra Christianos revocavit; & ita malè & injustè se gessisse cognovit, & facto ipso pœnituit: quarè ex hoc Domitiani factô Tertullianus in Apolog. cap. 5. Gentiles ita arguebat: *Tales semper nobis insecutores, injusti, impii, turpes, quos & ipsi damnare consuestis, à quibus damnatos restituere soliti estis.* Vel persecutionem usque ad mortem continuavit, & ita eum injustè & iniquè egisse improvisâ ejusdem nece Divina ultio manifestavit: ut enim ait Lactantius L.5. Divin. Instit. cap. 24.: *Quidquid adversùm nos mali Principes moliuntur, fieri* (Deus) *ipse permittit: Et tamen injustissimi Persecutores, quibus Dei nomen contumeliæ ac ludibrio fuit, non se putent impunè laturos, quia indignationis adversùs nos ejus quasi Ministri fuerunt. Punientur enim judicio Dei, qui acceptâ potestate supra humanum modum fuerint abusi, & insultaverint etiam Deo superbiùs, ejusque nomen æternum vestigiis suis subjecerint, impiè nefarièque calcandum. Propterea vindicaturum se eos celeriter pollicetur, & exterminaturum bestias malas de terra.*

CAPUT IV.

De Persecutione sub Trajano.

§. I.

Qualis fuerit & quomodò peracta.

I. INter persecutiones, quas sub Romanis Imperatoribus passa est Ecclesia, tertium locum obtinet illa quam sub Trajano sustinuit. Trajanum tanquam mansuetudine & comitate singularem proponunt Historici. Cognomen *Optimi* omnium consensu meruit, & post ejus mortem novo Principi fuit in Senatu publicè acclamatum *Felicior Augusto, melior Trajano*, ut refert Eutropius L.8.: qui etiam notat illud egregium ejus-

ejusdem responsum, quo amicis eum ob nimiam comitatem culpantibus ait: *Talem se Imperatorem esse privatis, quales esse sibi Imperatores privatus optasset*. Cui aliud singulare addunt Xantippus & Dio Cassius, nempè quòd delecto à se Prætorianarum Cohortium Præfecto nudum gladium porrigens dixerit: *Accipe gladium, quem pro me, si benè atque ratione imperavero; distringes; sin minùs, eo ad interitum meum utere*. Quis ergo ex tam miti & justo Principe summam Ecclesiæ Dei tranquillitatem & pacem non fuisset auspicatus? At res in contrarium cecidit. Nimia ejus complacentia de miti fecit crudelem, nimius falsæ justitiæ zelus de justo fecit injustum, ut videbimus.

II. Nova contra Christianos Edicta & Leges expressè Trajanus non tulit: sed Populis ubique modò hâc, modò illâ causâ contra Christianos tumultuantibus indulgens, animum ac vires, ut in eos ferocirent (Judæis maximè instigantibus & facem præferentibus) adjecit. Justitiæ & Religionis titulus etsi falsus accessit. Aderant Leges Imperiales, quibus severè vetabatur, nullum ut Deum venerari, qui à Senatu approbatus non fuisset: cùmque hâc auctoritate Jesus Christus, quem Christiani ut Deum venerabantur, probatus non fuisset, imò, etsi postulante Tiberio, à numero Deorum apertè exclusus, hoc solùm absque alia nova lege sat erat, ut Christi adoratores omnium insultibus ac violentiis impunè paterent, nec eis se defendendi aut causam suam tuendi locus daretur: eò præsertim quòd confessioni Christi ut Dei execratio omnium aliorum Deorum, in quos Romani præcipuè à pluribus seculis juraverant, conjungebatur. Quapropter, ut referunt Tertullianus in Apolog. cap.5., & Eusebius L.5. cap.21., etiam sub Principibus in Christianos magis propensis, illos quidèm accusare sub pœna etiam mortis interdicebatur, æquè tamen interdictum erat eos absolvere, si semel ad justitiæ tracti essent Tribunal, nisi priùs Fidei renuntiassent; nec ab hoc rigore ipsi Senatores Romani immunes erant. Cùm ergo Trajanus se religiosissimum ac vigilem Legum custodem profiteretur, fiebat, ut querelas contra Christianos undique ad ipsum deportatas libenter susciperet, & pro accusantium voto in eos ad sententiam procederet.

Quod autem in Christianos odium magis accendebat, erat sanctitas morum Paganorum corruptioni directè contraria. Puritas & vitæ castimonia, fuga omnium obscenitatum, quæ apud Paganos consuetudine seu veriùs corruptelâ invaluerant, & quas Christiani publicè damnabant, eos odibiles etiam Trajano reddebat. Is enim, quamvis aliquibus virtutibus appareret orna-

natus, insano ac nefario, quo abripiebatur, puerorum amore omnes fœdabat: adeò ut de eo post mortem inter Deos relato Julianus Apostata dixerit in persona Sileni: *Summam curam & diligentiam adhibendam fuisse à Jove, ut illi custodiretur Ganimedes.* Quia verò tam nefandum crimen, à quo natura ipsa abhorret, Christiani detestabantur, hæc etiam eos malè habendi Trajano occasio erat.

III. Trajanus ergo inflatus victoriis, quas ab anno 100. ad 105. de Dacis reportaverat, quos aliosque Populos Romano subjugarat Imperio, nil gloriosius, & pro sibi communi plausu aucupando aptius fore existimavit, quàm si omnes etiam Christianos ad cultum Deorum, seu veriùs Dæmonum, quorum ope de hostibus se triumphasse arbitrabatur, adigeret. Legem quidèm de hoc non promulgavit; sed hanc ejus fuisse mentem abundè prodit responsum, quo Plinio Juniori eum super hoc consulenti rescripsit. Plinius ergo Junior, qui tunc ab anno 103. ad 105. Ponto & Bithyniæ præerat L.10. Epist.102. de modo, quo contra Christianos ibi existentes procedebat, Trajanum certiorem reddit, subinde petens, ut an benè se gereret, ipsum moneret. Primò exponit, delatos ad suum Tribunal ter interrogare, num Christiani essent; & se esse confitentibus, ter mortem minari, nisi ei Religioni renunciarent; qui ter in confessione persisterent, ad supplicium trahi jubere, eos enim extremo dignos supplicio se judicare: si non aliunde Christianismus crimen est, obstinatione saltem ac pertinaciâ, quâ Imperii Legibus se subjicere recusarent. Quoad Cives verò Romanos talis criminis delatos ratione eorum qualitatis se eos seposuisse Romam mittendos. Dubitare se tamen primò, an eodem rigore agendum sit cum pueris, adolescentibus, & provectioris ætatis vel infirmioris sexus. Secundò an pœnitentia prodesse possit ad veniam, an verò à Christianismo deficere inutile sit ei qui illum semel professus est. Tertiò si vel nomen ipsum Christiani absque alio crimine puniendum sit, an verò propter crimina, quæ secum deferat. Quartò, cùm numerus eorum, qui de hoc accusantur attentâ in eis perquirendis diligentiâ, in dies augeatur, quorum aliqui libellis absque nomine auctoris dènuntiantur, dicit, plures à se interrogatos, protestatos fuisse, se non esse nec fuisse unquam, paratosque esse ad Idolis, & Imagini Cæsaris (quod Christianis nefas est) thus adolendum: alios verò protestatos esse Christo se jam renuntiasse, & hoc adorando Idola & Imagines confirmasse. Hos autem requisitos, quid in Christianorum cœtibus ageretur, ingenuè confessos esse, dicit, quòd statis

ſtatis diebus ante ortum Solis inſimul convenientes alternatim Chriſto ut Deo laudes canebant, ſuorum myſteriorum cæremonias peragebant, iiſque fidem dabant, non patrandi ſed fugiendi crimina, furta, latrocinia, adulteria; & datam fidem, nec non depoſitum ſibi traditum inviolabiliter cuſtodiendi. Poſt hæc ad ſua revertentes nihil crimінoſum aut extraordinarium admittebant. Hæc teſte Plinio vel ipſi Apoſtatæ veritate cogente aſſerebant: de hac tamen, ut certior fieret, addit, ſe duas Miniſtras ſeu Diaconiſſas in quæſtionem vocaſſe: ab illis nil aliud didiciſſe, niſi hanc eſſe ſuperſtitionem valdè ridiculam, & conſtantiam quâ ei adhærent eſſe prodigioſam. Hæc Plinius, concludens, ſe propterea ſcribere, quia magnæ conſequentiæ & pro præſenti & pro futuro res eſt ob magnum numerum eorum, qui eâ irretiti ſunt, ætatis, conditionis, ac ſexus, nec ſit Civitas pagus aut ager, ubi venenum hujus ſuperſtitionis non ſerpat: malum autem non eò proceſſiſſe, ut remedio extingui non poſſit, imò cœpiſſe jam Deorum Templa iterùm aperiri, & Sacrificiis frequentari, & ab hac deceptione homines exurgere.

IV. Hujus Epiſtolæ ſubſtantiam exponere volui, ut in Plinio uno ex præcipuis Paganiſmi luminibus, quiſquis ſis Lector, dignoſcas, quàm cæco & injuſto judicio Religionem Chriſtianam Pagani fuerint perſecuti, ac proinde non mireris, ſi Juſtitiâ Dei obſiſtente irriti omnes eorum conatus tandem evaſerint. Dicit primò Plinius, quòd Chriſtianos ad ſe delatos non examinans, an eſſe Chriſtianum crimen ſit, ob ſolum Chriſtiani nomen, ſi ei non renuntiaſſent, extremo tradidit ſupplicio. Quis ordo juſtitiæ hic eſt? ob ſolum nomen, non inſtituto examine an nomini conjunctum ſit crimen, extremo damnare ſupplicio? Debueras priùs inquirere, an Chriſtianum nomen ſecum afferat crimen, & hinc conficere judicium, an qui gerit Chriſtiani nomen puniendus ſit, an dimittendus. Scio, dices, abſque alio crimine, eorum pertinaciam atque inflexibilitatem puniri debuiſſe. Sed examinare priùs debueras, an illa, quam pertinaciam vocas & inflexibilitatem, eſſet in malo & injuſta, an verò potiùs conſtantia in bono, & juſta iniquis veſtris Legibus renitentia. At tandem, inquis, examinavi, & quid ſub Chriſtiani nomine veniat didici. At à quibus didiciſti? A deſertoribus Chriſti & Apoſtatis. Sanè tale teſtimonium tibi Viro prudenti debuiſſet eſſe ſuſpectum. Quid ergo fœdifragi iſti dixerunt? Chriſtianos in laudibus canendis occupari, myſteria ſua celebrare, furta latrocinia adulteria deteſtari, in ſuis etiam ſecretis cœtibus nihil cri-

criminosum admittere. Hoc dixerunt, qui ejurato Christo ad vestra Numina redierunt, & huic testimonio non credis, & Christianos in Christi Fide persistentes adhuc persequeris, & supplicio dignos quasi contumaces & criminosos existimas? Non mireris, si Deus, qui Justis patrocinatur, illis præsidio sit, adeò ut profana vestrorum delubra Deorum in sacra suimet Templa sit conversurus. Hanc Plinii Epistolam vivis coloribus describit Tertullianus in Apolog. cap.2.

V. Audiamus modò Trajani responsum (apud Plinium L.10. Epist.103.) Laudat primò ordinem à Plinio servatum in discussione & examine eorum, qui Christiani esse accusabantur: non enim in materiis & circumstantiis adeò diversis fixa regula stabiliri potest. Deinde statuit contra Christianos non esse inquirendum; si tamen ad Tribunal justitiæ deferantur, & Christianos esse accusentur, puniendos esse; sic tamen, ut qui Christianos se esse negaverint, & hoc effectu comprobaverint, idest Diis sacrificando, tanquam innocentes habeantur. Et licèt antea suspecti essent, eorum tamen pœnitentiæ venia non denegetur. Quoad libellos autem nullius subscriptione firmatos, nullam eis, de quocumque crimine sint, fidem esse adhibendam. alioquin res esset pessimi exempli, & nimis suo seculo indigna: Hoc est Trajani Plinio responsum.

VI. Verùm si attentè tam quæsitum, quàm responsum quis consideret, utrumque inveniet confusione & contradictione plenum. Quod justum est conscientia dictat, sed odium adversùs Christianos jubet exequi quod est injustum. Quia sine crimine, non inquirantur: sed quia Christiani, etiam sine crimine, nisi Christo renuntient, extremo supplicio puniantur. Ita sancit Trajanus omnium Imperatorum in Paganorum opinione mitissimus. Vetat, Christianos inquiri, & hoc eos innocentes pronuntiat: delatos puniri jubet, & hoc eos criminosos declarat. Indulgentiam adhibet & rigorem, dissimulat & punit. Dicat nunc Tertullianus in Apolog. cap.2.: Imperiale decretum cur tecum pugnas? si jubes criminis punitionem, cur vetas ejusdem inquisitionem? Si vetas inquisitionem, cur non imperas absolutionem? Quia fures latrones publicæ pacis hostes, læsæ Majestatis rei culpabiles sunt, habes Satellites ac Ministros, qui illos ac complices, imò & amicos diligenter inquirant. Solos Christianos inquiri prohibes, denuntiari tamen permittis, ac si inquisitio aliud quid ageret quàm denuntiatio. Quo fit, ut dum damnas denuntiatum, quem inquiri non vis, locum credendi præbeas, hunc meruisse supplicium, non quia repertum culpabilem,

bilem, sed tantùm quia repertum, etsi inquiri non debuisset. Ita peracutè Tertullianus exclamans: *O sententiam necessitate confusam! Negat inquirendos ut innocentes, & mandat puniendos ut nocentes. Parcit & sævit, dissimulat & animadvertit. Quid temetipsum censurâ circumvenis? Si damnas, cur non inquiris? Si non inquiris, cur non & absolvis? Latronibus vestigandis per universas Provincias militaris statio sortitur, in reos Majestatis, & publicos hostes omnis homo miles est, ad socios & conscios usque inquisitio extenditur. Solùm Christianum inquiri non licet, offerri licet, quasi aliud esset actura inquisitio quàm oblatio. Damnatis ergo oblatum, quem nemo voluit requisitum, qui puto jam non ideò meruit pœnam, quia nocens est, sed quia non requirendus inventus est.*

VII. Permissio tamen ista Trajani satis fuit, ut persecutio non solùm perduraret, sed violentiùs augeretur. Qui enim Christianos oderant, media illos denuntiandi facilè inveniebant, nec deerant ex Populo & Magistratibus, qui eorum gesta observantes eis insidiarentur, eosque sive voce sive scripto traducerent; adeò ut licèt aperta non esset persecutio, in quacumque tamen Provincia inhumaniter in eos ageretur, & fortè plures sub Trajano, quàm sub alio Imperatore Martyrium variis modis subierint. Quidam etiam ut magis odibile efficerent Evangelium, Diabolo instigante, calumnias contra Christianos undique colligentes eas evulgabant: cùmque homines magis propensi sint ad credendum de alio malum quàm bonum, factum fuit Christiani nomen adeò execrabile Paganis, ut multi nec cum Christiano loqui dignarentur, si contingeret Christianum de aliquo crimine convinci; quod facilè eveniebat causâ Hæreticorum infamium, qui tunc temporis erant, & Christianorum nomen sibi arrogabant. Nam cùm Pagani enormia de ipsis audirent, & facto comprobarent, tales esse Christianos omnes arbitrabantur, & ideò omnes sine discrimine persequebantur.

§. II.

Martyres sub Trajano.

I. EUsebius in Chronico persecutionem hanc An. Christi 107. & Trajani decimo figere videtur; fortè quia cùm Princeps iste tunc in Oriente versaretur, magis violenta fuit; vel quia S. Simeon Jerosolymitanus, & S. Ignatius Antiochenus, qui illustriores victimæ fuerunt, eo anno fuerunt Martyrio coronati. Cæterùm si supra celebratam Plinii Epistolam attendimus,

mus, quæ ſupponitur ſcripta anno 104., & quo tempore perſecutio in Provinciis, quibus præerat, invaluerat; & jam multi Martyrium ſubierant; dicere debemus, eam ante cœpiſſe, imò ab anno 100., quo S. Clemens Papa ſub Trajano paſſus fuit, & Flavia Domitilla, quæ ut ſupra à Domitiano in exilium deportata, ſub Trajano tamen vitam finivit, circa idem tempus vitam cum aliis Martyrio coronaſſe creditur.

II. Perſecutionem hanc generalem non fuiſſe multi autumant: cùm enim non fuiſſet Lege ſpeciali generaliter indicta; credi poteſt, Præſidum indulgentiâ, nec reclamantibus Populis, Chriſtianos in aliquibus Provinciis aliquali pace frui, & libertate fuiſſe permiſſos. Ita Euſebius L.3. cap.32. & 33. Ut enim ex Actis S.Ignatii Martyris dicemus, Fideles in Aſia Minori magnâ gaudebant libertate: non hâc tamen gaviſos fuiſſe in Bethinia; cujus Præſes erat Plinius Junior, qui in ſua præcitata Epiſtola, plures ſe ibi Martyres feciſſe ſcribit, quamvis cùm eorum nomina nec numerum indicet, hoc ſoli Deo notum maneat. In Syria maximè ſæviit perſecutio, cùm ibi Trajanus moraretur. Cùm enim Antiochiam veniſſet 7. Jan. Anno 107. Chriſtianos ibi exiſtentes ad neceſſitatem redegit vel Dæmonibus immolandi vel moriendi. Tunc autem fuit, cùm S. Ignatium Romam juſſit traduci beſtiis exponendum. De eo, quod tunc Antiochiæ contigit, loquitur Chryſoſtomus tom.1. Orat.42.: nimirùm excitatum fuiſſe horribile bellum adversùs Eccleſiam, adeò ut Fideles in mediis plateis & cœtibus ad cruciatus & ſupplicia raperentur: Specialiter tamen in Epiſcopos irrueretur, inſtigante Dæmone Perſecutores, ut diſperſis Paſtoribus diſſipare poſſet oves.

III. Nihilominùs ad Servorum ſuorum preces reſpiciens Deus, circa menſem Auguſti ejuſdem anni 107. Eccleſiæ Antiochenæ pacem reſtituit, & Chriſti membra, quæ Trajani ſævitia huc illucque fugere compulerat, iterùm in unum collegit. Hoc lætum nuntium, dum Troade eſſet in itinere Romam, S.Ignatius accepit, quo tanto gaudio repletus fuit, ut quâcumque tranſibat, rogaret Eccleſias ne lætitiæ ſuæ teſtimonia ad Antiochenos mittere differrent, quod factum fuit. Videri de hoc poſſunt ejus Epiſtolæ ad Philadelphios, Smyrnenſes, & ad Polycarpum, ubi de iſta pace tanquam de ſpeciali gratia ſuæ Eccleſiæ facta loquitur, & ut Acta ſui Martyrii ferunt circa finem ejuſdem anni moriturus pro pace generali Eccleſiæ Deum oravit.

IV. Sed adhuc in aliis partibus probare volebat Deus & examinare ſuorum conſtantiam. Reſtitutâ enim Eccleſiæ Antioche-

næ

næ pace aliò transiit Persecutio. Philippis in Macedonia Zozimus & Rufus, qui S. Ignatii in vinculis comites fuisse traduntur, Fidem Martyrio coronarunt 18. Decembris. Alter Zosimus Sozopoli Trajano imperante sub Domitiano Præside post varios cruciatus capite plectitur, ut Martyrol. 19. Junii. In Palæstinam etiam Persecutio devenit, S. Simonem Jerosolymitanum Episcopum Martyrio coronans. In Syriam quoque, ubi Edessæ 29. Januarii colitur Passio SS. Sarbelii & Barbeæ sororis ejus, qui à beato Barsimæo Episcopo baptizati in persecutione Trajani sub Lysia Præside Christum morte confessi sunt; quos idem Barsimæus 30. Januarii secutus est. Romæ celebre fuit Martyrium Beati Quirini Tribuni, qui à S. Alexandro Papa sibi in custodiam dato cum omni domo sua baptizatus, & sub Trajano traditus Aureliano Judici, post abscissam linguam, equulei suspensionem, manuum ac pedum detruncationem, gladio vitam finivit (ut 30. Martii habetur): quem 10. Aprilis plures alii ab eodem S. Alexandro Papa baptizati imitati sunt, dum ipso Aureliano jubente navi vetustæ impositi, & in altum mare deducti, illic ligatis ad colla lapidibus submersi sunt. Mitto Sanctos Sulpitium & Servilianum, qui beatæ Domitillæ prædicatione & miraculis Christi Fidem amplexi, sub Trajano à Præfecto Urbis Aniano capite cæsi, 20. Aprilis coluntur. S. Crescentem Beati Pauli Discipulum Galatis datum Episcopum, post multos etiam in Galliis ad Fidem conversos, sub Trajano Martyrem effectum die 27. Junii. Nimius essem, si Martyrologia percurrens vellem omnes, qui sub hoc Principe, quem Pagani mitissimum celebrant, atrocibus cruciatibus pro Christo necati sunt, sigillatim recensere.

V. Trajani igitur Persecutio usque ad finem anni 107. perduravit: imò majori violentiâ auctam esse, cùm Trajanus bellum in Orientem intulit (quod paulò ante annum 115. evenit) dicere debebimus, si suscipiamus (cum Surio 5. Septembris) Acta Sanctorum Eudoxii, Zenonis, & Macarii: quibus refertur, quòd cùm Exercitus undecim mille Christianorum insignem victoriam in Oriente reportasset, Trajanus tantùm abfuit, ut eos justâ compensatione donaret, quin omnes Melitinam in Armenia ibi puniendos relegarit, quòd, ut generaliter imperaverat, Idolis sacrificare recusassent. Qui exilium in pace quidèm tolerarunt: sed Romulus Magnus Palatii Magister, cùm de hac injustitia graviter conquestus esset, & Christianum se esse confessus fuisset, Trajani iram in se adeò concitavit, ut acriter verbis objurgatum, flagris cædi & tandem capite plecti imperarit.

Menologium affert, hunc Romulum ipsum fuisse, qui Trajanum moverit, ut in Galatiam pergens præfatos milites ad immolandum adigeret, sed postea ad Christum conversum: quod aliis decidendum relinquo. Græci propterea de S. Romulo 6. Septemb., Baronius tamen in Martyrologio memoriam colit die 5. ejusdem mensis. Hosce multos mille milites (non undecim mille) fuisse tandem jussu Trajani sive Hadriani ejus Successoris in odium Fidei omnes interemtos, sentiunt Græci in suis Menæis die 6. Septembris. Propterea Baronius ad ann. 108. num. 2. probabile censet, eos fuisse illos decemmille Christianos, qui sub Hadriano in Ararath monte Armeniæ cruci affixi feruntur, quorum festum die 22. Junii Ecclesia Latina celebrat, de quo infra.

VI. Quæ tamen hactenùs retuli magnam mihi ingerunt difficultatem. Primò: quia ea, quæ de S. Romulo dicuntur, in solo Menologio Basilii leguntur; ubi refertur, quòd Eudoxius Comes & dux multorum millium militum, relegatus Melitinam sub Trajano, Martyrium cum suis militibus subiit sub Maximiano. In hoc quis repugnantiam non videt? Nam quomodò illi undecim mille milites cum Eudoxio duce relegari poterant sub Trajano, nimirùm initio secundi seculi, & postea sub Maximiano ineunte quarto seculo Martyrio affici? Secundò: alia Mænæa 6. Septembris videntur S. Romuli & undecim mille militum tam exilium quàm Martyrium ponere sub Trajano. At S. Eudoxii historiam unà cum 1404. militibus, quibus præerat, & qui cum eo passi sunt, sub Diocletiano ponunt, nullâ Romuli & undecim mille militum factâ mentione. His ex parte concordat Martyrologium, nam 5. Septembris hæc habet: *Melitinæ in Armenia passio Sanctorum militum Eudoxii, Zenonis, Macarii, & sociorum mille centum & quatuor, qui abjicientes militiæ cingulum, in persecutione Diocletiani pro confessione Christi necati sunt.* De S. Romulo autem & undecim mille militibus nec ibi nec alibi Martyrologium meminit. Nam 5. Septembris agit quidem de S. Romulo, sed de eo aliud non dicit, nisi quòd fuit Aulæ Trajani Præfectus, & cùm sævitiam Imperatoris in Christianos detestaretur, cæsus virgis capite truncatus est.

VII. Baronius ad ann. 108. num. 2. censet, ut dixi, undecim mille milites, de quibus in Historia S. Romuli sermo est, esse decem mille Martyres sub Trajano vel Hadriano in Majori Armenia cruci affixos, quorum festum in Martyrol. die 22. Junii colitur. Sed difficultas oritur: quomodò enim undecim millia ad sola decem millia rediguntur? Utrique in Armenia passi dicun-

cuntur; sed illi Melitine, quæ in Urbem à Trajano evecta fertur: isti in monte Ararath, quem licèt in Armenia situm esse Baronius contendat (cui consentit Baudrand in Lexico dicens: Ararath mons Asiæ in Armenia, ubi stetit Arca post diluvium. Pars est montis Caspii propè Mediam, & inter Artaxatam & Arsipsam Paludem) alii tamen in Ægypto collocant. Illi vel sub Trajano vel sub Diocletiano & Maximiano passi dicuntur; de istis quo tempore & sub quo passi sint non lego. Sunt qui utramque historiam tam de undecim mille, quàm de decem mille Martyribus suspectam habeant. Sed quia historiam de decem mille Martyribus in monte Ararath crucifixis Ecclesia suscipit, ac eorum festum colit, ac de iis mentionem faciunt Græcorum Menologia; ideò quidquid sit de illornm undecim millium cum S. Romulo Martyrio, pro veritate tamen istorum decem millium cruci affixionis, standum est. Vide Baronium in Notis ad 22. Junii.

VIII. Alii etiam sub Trajano Martyres præcipuè à Baronio recensentur: nimirùm Cæsarius Diaconus Terracinæ, qui unà cum S. Juliano Presbytero diebus multis in custodia maceratus tandem in saccum missus in mare præcipitatur. Ejus memoriam Ecclesia colit in Martyrologio 1. Novembris, Græci autem 7. Octobris. Ejus nomen reperitur quoque in Martyrologiis S. Hieronymi, Bedæ, Rabani. Festum quoque notatur in antiquo Kalendario Romano, & in Sacramentario S. Gregorii, qui etiam Lib. 16. Epist. Epist. 1. anno 603. loquitur de Ecclesia sub ejus nomine Romæ existente. Non est tamen æquè certum, quòd sub Trajano S. Cæsarius passus fuerit. Affirmat Baronius, quia in Actis SS. Nerei & Achillei dicitur, S. Cæsarium Diaconum sepelisse corpus S. Domitillæ, jussu cujusdam nomine Luxurii Martyrio affectæ. Acta tamen ejusdam S. Cæsarii (apud Surium 1. Novemb.) passum quidèm S. Cæsarium sub Luxurio dicunt, sed Domitillæ mentionem non faciunt; imò dicunt, tunc ejus passionem contigisse, cùm Claudius matrem Agrippinam ferro necavit, quod de Claudio Nerone dictum creditur. Græci etiam 7. Octobris hunc Martyrem ponunt sub Claudio, addentes istum Claudium matrem necasse, quòd esset Christiana. Quid ergo? Dicam: Cæsarium fuisse Martyrem certum est, sub quo Martyr effectus fuerit, incertum.

IX. Inter Martyres sub Trajano ponitur S. Hyacinthus, de quo Martyrologium 26. Julii hæc habet: *In Portu Romano Sancti Hyacinthi Martyris, qui primùm in ignem injectus, deinde in profluentem præcipitatus illæsus evasit. Post hæc à Leontio Consu-*

 lari

lari sub Trajano Imperatore gladio percussus vitam finivit; cujus corpus Julia Matrona in prædio suo juxta Urbem sepelivit. Fertur apud Surium 26. Julii, quòd Leontio comminanti diversa & atrocia supplicia Hyacinthus intrepidè responderit: non sunt hæc diversa supplicia quæ timeo, sed æterna: hæc causa est, cur nec tuas nec tui Principis minas expavescam. Ira tua eâdem die accenditur & extinguitur. Mortem mihi minitaris. At nec tu mortem evades. At post hæc quid de te erit? Non desunt qui Acta hæc repudient, vel saltem hunc inter Martyres sub Trajano ponendum non esse censeant propter ea, quæ Leontius dixisse fertur, nempè: *Domini nostri Imperatores jusserunt*: tempore enim Trajani unus ipse Imperator erat non plures, nec Trajanus jusserat Christianos torqueri. Sed quidquid de hoc sit; cùm de S. Hyacintho Martyre loquantur Martyrologia etiam Usuardi & Adonis, præcisè ob illa verba *Domini Imperatores jusserunt*: (quod fortè mendum est ponens pluralem numerum pro singulari) recedendum non esse arbitror. Addo, verba illa *Domini Imperatores jusserunt* non esse referenda ad solum Imperatorem tunc regnantem, sed ad ipsum & alios Præcessores, qui (ut Nero & Domitianus) Legibus & Edictis Christianos ad sacrificandum compelli jusserant. Quin & Trajanus esto novas Leges de hoc non ediderit; cùm tamen, ut supra dixi, statuerit, ut qui delati esse Christianos Idolis sacrificare noluissent, ultimo supplicio traderentur: quid aliud egit, quam Prædecessorum Leges sequi, & Christianos ut sacrificarent jubere?

X. Trajanus ergo suâ personatâ mansuetudine non minùs in Christianos crudelis fuit, quàm sui Antecessores: cùm enim licèt non inquiri vellet, delatos tamen quòd Christiani essent, juberet puniri, fiebat, ut ubique odio Populorum Præsidibus traditi, ab his punirentur, & sic ubique Christianus sanguis funderetur. Furor iste hoc modo in Christianos sæviendi usque ad finem Imperii & vitæ Trajani perduravit. Hoc ex eo probatur; quia ut supra Martyria SS. Sarbeli & Barbeæ, de quibus 29. Januarii, & S. Barsimei Edessæ Episcopi, de quo 30. ejusdem mensis, sub Trajano & Lysia Præside contigerunt. Hæc autem anno 116., hoc est uno ante Trajani mortem anno contigisse creduntur: Tunc enim Edessena Civitas capta ac diruta fuit. Sic cessavit cum Trajani vita Ecclesiæ ad modicum tempus Persecutio. At numquid cessavit Ecclesia? minimè. Imò magis aucta & numero & Fide multiplicata oculis persequentium apparuit. Martyrum sanguis velut granum cadens in terram ac mortuum, quò plus spargebatur, eò copiosiorem fructum Christo asse-

afferebat. *Sic* (inquit Augustinus L.18. de Civ. Dei cap. 51.) *in hoc seculo, in his diebus malis, non solùm à tempore corporalis præsentiæ Christi & Apostolorum ejus, sed ab ipso Abel, quem primum justum impius frater occidit, & deinceps usque in hujus seculi finem, inter persecutiones Mundi & consolationes Dei peregrinando procurrit Ecclesia.*

CAPUT V.

De Persecutione sub Hadriano.

§. I.

Asseritur Persecutio.

I. TRajano defuncto Ælius Hadrianus in Imperio successit, Trajani consanguineus, apud ipsum educatus, Sabinæ neptis Trajani conjux, & tandem à Trajano sub vitæ finem favore Plotinæ uxoris adoptatus anno Christi 117., undecimo Augusti ad Imperium assumtus fuit. Hoc imperante scribit Sulpitius Severus, quarta Persecutio in Christianos numeratur L.2. hist. cap.46., & hanc fuisse gravissimam; sed Libro pro Christiana Religione à Quadrato edito, & Hadriano oblato sedatam scribit S. Hieronymus Epist.83., aliàs 94. ad Magnum, his verbis: *Quadratus Apostolorum Discipulus & Atheniensis Pontifex Ecclesiæ nonne Hadriano Principi Eleusinæ Sacra invisenti librum pro nostra Religione tradidit? & tantæ admirationi omnibus fuit, ut persecutionem gravissimam illius excellens sedaret ingenium.* Non quasi Hadrianus ipse persecutionem novâ aliquâ Lege aut edicto excitasset (Legem enim adversùs Christianos Hadrianum non tulisse censent Tertullianus aliique, ut infra dicam) sed quia, ut ait Hieronymus L.de Script. Eccles. c.19., hi qui Christianos oderant putabant gratum Hadriano fore, si etiam absque ipsius præcepto Christianos vexassent.

II. Hisce stantibus non pauci existimant, sub Hadriano nullam Christianos passos fuisse persecutionem, inter quos Doduvellius Dissert.Cyprian.11.: moventurque primò ex libro Melitonis apud Eusebium L.4. hist. cap.26., qui, ut Marcum Antoninum à persequendis Christianis avertat, affert exemplum Hadriani avi sui, damnans enim eos qui calumniis vexabant Christianos, ait: *Verùm imperitiam illorum correxerunt piissimi parentes tui frequentibus rescriptis objurgantes eos, qui adversùs*

Religionis nostræ homines novi aliquid moliti essent; inter quos avus tuus Hadrianus.

Quod confirmat Doduvellius ex Justino Martyre, qui in Apologia 2. pro Christianis pag. 99. similiter Hadriani exemplum Antonino proponit, ut pacem Christianis impetret, & Hadriani Epistolam affert. Igitur *quâ fronte*, inquit Doduvellius, *eo nomine usurus fuisset, si ipsemet Hadrianus persecutus fuisset?*

Secundò hoc idem inferre conatur ex eo, quòd cùm Hadrianus summo odio in Judæos ferretur; fit, ut in Christianos, quos Judæi infensos habebant, mitis esset.

III. Hæc tamen non probant intentum. Nam quòd ex Melitone, & Justino affertur, non probat Hadrianum nunquam persecutum fuisse Christianos, sed persecutionem aliquando sedasse: Antoninum quippe uterque adhortatur, ut agnitâ Christianorum innocentiâ ab eorum cæde cessare juberet, imò nec prorsùs cessare, sed potiùs ad justitiæ formam eorum cædem redigere, nimirùm non solis accusantium calumniis, sed accusatione legitimâ & processibus comprobatâ. Et ad hoc affert Hadriani exemplum, qui post varias Christianorum cædes, convictus tandem & Christianorum Apologiis & Præsidum Rescriptis, ab eorum vexationibus, nisi formato processu convincerentur, abstineri jussit. Patet hoc ex ejusdem Hadriani Rescripto ad Minucium Fundanum, quod Justinus Apologiæ suæ inseruit; in eo enim dicit, se hoc litteris Serenii Graniani decessoris Minucii statuere, *ne homines turbentur, neve calumniatoribus materia fraudulenter agendi præbeatur. Quòd si provinciales persecutiones adversùs Christianos processu legitimo, ut & illi pro Tribunali respondeant, obtinere possunt, hâc unâ insistant viâ, & non petitionibus atque vociferationibus solis.... Itaque si quis eos detulerit atque probaverit contra leges quidquam commisisse, tu pro delicti qualitate ita sententiam adversùs eos feres, ut, meherculè, qui calumniæ causâ crimen cuiquam intendisse compertus fuerit, pro maleficii gravitate, in eum modis omnibus animadvertendum cures.* Ex hoc Rescripto apparet, imperante Hadriano Persecutionem in Christianos viguisse, sed cum solis vociferationibus & accusationibus plerumque calumniosis ad eorum necem procederetur, præcepit Hadrianus, ut imposterùm provinciales *persecutiones adversùs Christianos* nonnisi *processu legitimo* instituant. Quare nec Persecutionem sustulit, sed ad formam justitiæ moderatus est, fortè corrigens Trajani decretum, qui, ut supra dixi, Christianos inquiri quidèm vetuit, sed quomodocumque delatos puniri conce-

cesse-

cesserat. Dum tamen addit, quod si quidquam contra Leges commisisse reperiantur puniendi sint, adhuc Christianos puniendos esse Hadrianus decernit, quia contra Christianam Religionem Leges Imperiales statutæ erant, ut dixi & iterùm dicam.

IV. Quæ hactenùs observavi confirmat ex Justino Eusebius L.4. hist. cap.8., ubi de Serenio Graniano Procosule: *Monebat*, inquit, *iniquum videri, Christianos nullo objecto crimine tumultuosis vulgi clamoribus gratificandi studio indictâ causâ occidere*, cui rescripsit Hadrianus, *Ne quis posthac sine objectu criminis & legitimâ accusatione condemnaretur*. Occidebantur ergo sub Hadriano Christiani, sed quia hoc fiebat solis tumultuosis vulgi clamoribus, præcepit ipse, non ne post hac occidantur, sed ne fiat sine legitima accusatione. Porrò Martyres aliquos sub Hadriano claruisse, testis est idem Justinus Apolog. 1. pag. 50., ubi conversionis suæ (quam sub Hadriano contigisse extra dubium est) causam assignans, dicit se occasione Martyrum veritatem agnovisse: *Nam & ego ipse Platonis disciplinæ sectator, cùm calumniosè audirem Christianos deferri, intrepidè autem ad mortem, & alia, quæ terribilia esse censentur omnia, adire conspicerem; statui ipse mecum, fieri haudquaquam posse, ut illi in vitiorum pravitate & voluptatum amore viverent. Quis etenim voluptatis consectator.... mortem libenter complecti queat, ut bonis suis seipsum privet, ac non potiùs modis omnibus, ut hanc sibi continenter vitam agere, & celando Principes & Magistratus fallere liceat, operam navet, nedum per denuntiationem & indicium seipsum cædi offerat?* Vide Lector, quàm validum pro Veritate Religionis Christianæ intrepida Martyrum ultrò se neci offerentium constantia exhibeat argumentum, dum propter hanc Justinus ipse è Platonico se factum fuisse Christianum apertè testatur.

V. Neque ut Doduvellius putat, odium quo Hadrianùs Judæos rebellantes persequebatur amorem erga Christianos illi inspirabat; imò tunc Fideles duplici persecutione exercebantur: unâ quidèm à Barchoceba Judæorum duce, qui, ut ait Justinus Apologia 2. pag. 72., *solos Christianos ad gravia supplicia, nisi Christum abnegarent, & maledictis incesserent, protrahere jussit* (& ex eo Eusebius L.4. cap.8.) alterâ à Græcis Ethnicis. Unde idem Justinus citato loco Ethnicis loquens ait: *Sed* (Judæi) *pro inimicis nos & hostibus habentes, itidem uti vos, cùm possunt, occidunt & excruciant*. Et Epist. ad Diognetum: *Adversùs eos* (Christianos) *tanquam alienigenas Judæi bellum gerunt, & Græci eos persequuntur, & osores eorum causam inimicitiarum dicere nequeunt*. Accedit, quòd tunc Ethnici Judæos cum Christianis con-

confundebant, ac utrosque tanquam Idolorum suorum contemtores execrabantur.

VI. Hoc Hadrianus comprobavit in Jerosolymorum restauratione: (quam Urbem Civium Romanorum Coloniam effectam nomine suo *Æliam* vocari jussit) tunc enim Judæis omnibus ad eam accedere vetitis, adeò ut nec à longè Jerosolymam olim suæ Gentis Regiam prospicere possent, ut ex Aristone Pellæo refert Eusebius L.4. cap.6. in Christianæ Religionis odium sacrorum locorum memoriam erectis ibi Idolis abolere conatus est. Ita S.Paulinus Epist.31. ad Severum: *Hadrianus*, inquit, *Imperator existimans se Fidem Christianam loci injuriâ peremturum, in loco Passionis simulacrum Jovis consecravit* (volunt alii Veneris) *& Bethlehem Adonidis Fano profanata est: ut quasi radix & fundamentum Ecclesiæ tolleretur, si in iis locis Idola colerentur, in quibus Christus natus est ut pateretur, passus est ut resurgeret, surrexit ut regnaret, judicatus ut judicaret*. Idem dicit Hieronymus Epist.13. modò 49. ad Paulinum, & Sulpitius Severus L.2. hist. cap.45.

VII. Ut tamen omnem evadendi viam Doduvellio præcludam, præmonendum existimo Lectorem, ne putet, Persecutiones adversùs Christianos ex solis Imperatorum Edictis, vel ex privatis Præsidum odiis, aut solis Populi clamoribus ortas fuisse, sed etiam & quidèm maximè ex Romanarum Legum præscripto, quibus peregrina quælibet Religio vetabatur ex Cicerone L.2. de Legibus: Christiani autèm non solùm novam & peregrinam Religionem (ut Romanis videbatur) inducebant; sed & quamlibet aliam ut falsam, & præsertim eam, quæ Idolis serviebat, repudiabant: ideòque eam specialibus Legibus, quas nec ipsi Imperatores convellere poterant pleno consensu Senatus proscripserant: cujus rei testis est Origenes homil.9. in Josue dicens: *Convenerunt Reges terræ Senatus Populusque & Principes Romani, ut expugnarent nomen Jesu & Israel simul. Decreverunt enim Legibus suis, ut non sint Christiani. Omnis Civitas, omnis Ordo Christianorum nomen impugnat*. Et Tertullianus Apologet. cap.37. ad Gentiles sic ait: *Quoties in Christianos desævitis partim animis propriis, partim Legibus obsequentes?* Non ergo mirum, si aliquando etiam sine ullo Imperatoris speciali Edicto Christiani persecutionem paterentur. Aderant enim Leges, quibus præcipiebatur, ne Christiani delati impunè dimitterentur. Hoc supra vidimus in Plinio Juniore, sub quo licèt ab Imperatore Trajano nullum emanasset Edictum, adhuc tamen à persequendis & puniendis Christianis ad se delatis abstinere ausus non fuit sine Trajani Rescripto: qui ei respondit, Christianos non esse quidèm inquiren-

rendos, delatos tamen esse puniendos. Quem imitatus Hadrianus rescripsit ut supra, Christianos delatos non quidèm dimitti, sed nonnisi processu formato puniri.

VIII. Verùm non tantùm Legum servandarum zelo, sed & proprio animo adversùs Christianos Hadrianus ferebatur: erat enim genio ad cædes propensissimo, cui Spartiano teste *sævitia ingenita* erat, & qui apud Dionem *multas cædes* fecisse memoratur. Et quamquam nullas contra Christianos Leges impresserit, erat tamen Tertulliano asserente Apolog. cap. 5. *curiositatum omnium explorator*; & Romanis superstitionibus summè addictus, ut de eo idem Spartianus dicat: *Sacra Romana diligentissimè curavit, peregrina contemsit, & Pontificis Maximi officium peregit, atque Eleusina Sacra suscepit*. Cùmque hæc Christiani detestarentur, fieri non poterat, quin eos odio haberet, vel saltem eos persequendi occasionem dederit. Unde cùm Athenis hyemem exegisset, & (ut S. Hieronymus refert L. de Script. Eccles. cap. 19.) omnibus penè Sacris Græcis initiatus fuisset, occasionem dedit Gentilibus Christianos vexandi, quam persecutionem gravissimam fuisse, asserit idem Hieronymus Epist. 84. aliàs 83. ad Magnum supra relatâ, etsi postea oblato illi à Quadrato libello eam sedaverit. Erat insuper Astrologiæ Judiciariæ maximè deditus, cujuscumque generis divinationibus, & Magiæ magis sacrilegæ, ut refert Dio L. 69.; adeò ut vel ipsi Pagani teste Ammiano L. 25. superstitionem, quâ præsagia observabat, contemnerent ac irriderent. Quæ omnia cùm Christiana Religio execretur, fieri non poterat, ut Hadriani odium in se non concitaret, & datâ occasione ejus persecutioni non applauderet, etsi suis Edictis eam non promoveret. Sed hanc controversiam finiamus, Martyres, qui eo imperante passi sunt, ex Martyrologiis recensendo.

§. II.

Martyres, qui in ea passi sunt Romæ.

I. VArii Hadriano imperante in diversis Orbis partibus pro Christo passi referuntur. Romæ anno 119. Alexander I. Papa cum Eventio & Theodulo passus describitur in Martyrol. die 3. Maii his verbis: *Romæ viâ Numetanâ Passio Sanctorum Martyrum Alexandri Papæ, Eventii & Theoduli Presbyterorum: ex quibus Alexander sub Hadriano Principe, & Aureliano Judice post vincula carceres equuleum ungulas & ignes punctis creberrimis*

per tota membra confossus ac peremtus est. Eventius verò & Theodolus post longos carceres ignibus examinati, ad ultimum decollati sunt: de quibus Beda & cæteri Latinorum.

II. Sub Hadriano passus etiam dicitur anno 129. Xixtus I. Papa, de quo Martyrol. *6.* Aprilis: *Romæ natalis Beati Xixti Papæ & Martyris, qui tempore Hadriani Imperatoris, ut sibi Christum lucrifaceret, libenter mortem sustinuit temporalem.* Hunc decem annis rexisse Romanam Ecclesiam, scribit Eusebius L.4. cap *6.*

III. Inter eos, qui sub Hadriano Romanam Ecclesiam Martyrio decorarunt, ponitur S. Eustachius seu potiùs Eustathius cum uxore Theopiste & duobus filiis Agapito & Theopisto, qui ab Hadriano damnati ad bestias, sed Dei ope ab iis nil læsi, in bovem æneum candentem inclusi Martyrium consummarunt. Ita ex Martyrol. Rom. die 20. Septembris, quo ejus festum celebratur. Initio Imperii Hadriani passi fuisse creduntur; nam Eustathius celebris ille Placidus fuisse creditur, qui à Trajano militiæ Præfectus insigni victoriâ de hostibus triumphavit, qui postea cùm Diis sacrificare nollet, sub Hadriano Martyrium cum uxore & filiis intrepidè sustinuerit. Ejus historiam Græci quoque eâdem die in Menologio Basilii sic celebrant: *Magnus Martyr Eustathius Dux Militiæ Romæ claruit Trajano Imperatore, eique priùs nomen erat Placidus, uxori verò Tatiana. Ob ejus autem eleemosynam voluit Deus illius saluti consulere. Visus est enim venanti Eustathio Christus, specie cervi inter cornua Crucem Solis radios vincentem habentis, & in medio imaginem Christi: prodiitque ex cervo vox, inquiens: Placide, quid me persequeris? Ego sum Jesus Christus. Credens itaque in illum baptizatus est unà cum uxore & filiis totaque domo. Adeò autem à Diabolo oppugnatus fuit, ut non solùm facultatum suarum jacturam faceret; sed & uxorem captivam duci, filiosque à feris rapi; seipsum autem nudum in terra aliena sibique mercenariâ operâ victum parare coactum viderit. At Deus uxorem ei & filios & divitias restituit. Quæsitus enim ab Imperatore, in pristino dignitatis gradu collocatur. Sed postea cognitus Christianus esse, in æneum candentem bovem, unà cum uxore & filiis injectus; decessit.* Volunt Eustathium fuisse ex Octavia Imperiali Familia, sub Tito & Vespasiano contra Judæos gloriosè militasse; post conversionem secessisse in Ægyptum, quo in itinere, à Nauta rapta ei fuit uxor, dumque trans quendam fluvium unum è filiis deferret, à Leone sibi raptum vidit, alterum verò, qui in opposita ripa remanserat, à Lupa; ac vitam per quindecim annos in angustiis duxit: quo spatio temporis & ultrà contingere po-

potuit, ut denuò militiæ Præfectus & à prælio reversus Trajano mortuo, sub Hadriano passus fuerit. Romæ extat celebris sub ejus nomine Ecclesia, ubi olim Eustathii ædes fuisse aliqui putant, alii tamen eas alibi fuisse autumant.

IV. Inter Martyres Romæ sub Hadriano recensentur tres S. Sophiæ viduæ filiæ, quarum nomina sunt *Fides Spes Caritas*, seu græcè *Pistis Elpis & Agapis*. Harum memoriam Ecclesia Latina colit separatim a memoria Sophiæ matris: nam de illis agit die 1. Augusti; de ista autem die 30. Septembris, & hanc Usuardus cum aliis Martyrio obiisse fert, alii verò in pace paulò post quievisse. De his Menologium Basilii die 16. Septembris simul agit his verbis: *Martyr Christi Sophia cum tribus filiabus ex Regione Italiæ fuit. Cùm autem Christianam Fidem amplecti desideraret, assumtis tribus filiabus suis, Hadriano imperante, Romam profecta, ab ejusdem Urbis Episcopo occultè unà cum illis baptizata est. Post susceptum baptismum docebant alios, quam ipsæ didicerant, Christi Fidem, multosque ad Dominum convertebant. Quod ubi rescitum est, correptæ ab Hadriano, tortæ fuerunt. Et primùm quidèm sancta Fides duodecimo ætatis anno suspensa scalptaque obtruncatur. Secundo loco soror ejus Spes decimum annum agens, virgis cæsa & ipsa capite damnatur. Tertiò Sancta Caritas nono ætatis anno in fornacem injicitur; sed educta illæsa gladio percutitur. At mater earum Sophia gratias Deo de omnibus agens, ad sepulcrum, in quod filias detulerat, advoluta, ploransque animam emisit*. S. Sophiæ nomen toto Oriente celebre fuit. Nam Chronicon Episcoporum Alexandr. de Eumene loquens, qui eam Ecclesiam rexit ab anno 133. usque ad 143. addit, suo tempore S. Sophiam cum tribus filiabus suis Martyrio coronatam fuisse. Sub S. Sophiæ nomine extat Romæ viâ Aureliâ Ecclesia. Illa autem S. Sophiæ, quæ olim fuit Constantinopolitana Cathedralis, à Sophia seu Sapientia Æterna nomen accepit.

V. Romæ quoque in Cœmeterio Calixti legitur Epitaphium cujusdam Marii Præfecti militum, qui sub Hadriano adhuc juvenis pro Christo occisus, ab amicis cum gaudio nec sine metu sepultus dicitur: quod indicat, persecutionem non fuisse levem, cùm sine metu Martyrum corpora sepeliri non possent; sepultus fuit 8. vel 10. mensis, cujus nomen non exprimitur. De hoc tamen Mario Martyrologia silent.



§. III.

Martyres alii sub Hadriano passi.

I. S. Eleutherii & Anthiæ matris apud Latinos & Græcos celebre nomen est. Martyrol. Rom. 18. Aprilis hæc habet: *Messanæ natalis Sanctorum Martyrum Eleutherii Episcopi Illyrici & Anthiæ matris ejus: qui cùm esset vitæ sanctimoniâ & miraculorum virtute illustris, sub Hadriano Principe lectum ferreum ignitum craticulam & sartaginem oleo pice ac resinâ ferventem superans, Leonibus quoque projectus, sed ab illis nil læsus, novissimè unà cum matre jugulatur*. Menologium autem Basilii die 15. Decembris, *Sacrosanctus*, inquit, *Martyr Eleutherius ex magna urbe Roma fuit; patre à pueritia orbatus, ab Anthia autem matre Fidem Christi edoctus, quam illa à magno Apostolo Paulo acceperat. Eum Anicetus Episcopus suscepit Christianorumque literis institutum Clericum fecit. Mox Diaconus & Presbyter ordinatur, deinde Illyrici Episcopus. Hadriano autem imperante comprehensus & gravissimè tortus, in ardentem furnum Præfecti jussu detruditur. Sed cùm inde incolumem evasisse cerneret Præfectus, credidit & ipse; & in furnum ingressus, ex eo illæsus exivit. Tum verò Præfectus decollatur unà cum cæteris omnibus, qui in Christum crediderant. Sanctus autem Eleutherius à carnificibus gladio concisus spiritum reddidit.* Ita Menol.. Notat tamen Baronius in Not. ad 18. Aprilis, id quod dicitur S. Eleutherium *ab Aniceto* fuisse institutum, cohærere non posse cum eo, quod dicitur sub Hadriano fuisse passum, nam Anicetus sedit post Hadriani obitum: ideòque mendum esse, & *Anacletum* pro *Aniceto* potiùs ponendum esse.

II. Sanctarum quoque Sabinæ & Serapiæ Virginis Martyrium sub Hadriano contigit in Umbria secundùm aliquos, Romæ tamen secundùm plures. Sabina nobilis Matrona Romana filia cujusdam nomine Herodis Romæ sub Vespasiano celebris, morte Valentini cui nupserat, vidua absque liberis remansit. An antea Fidem Christi amplexa fuisset dubitant aliqui. Volunt aliqui, eam ad Fidem fuisse adductam à S. Serapia Virgine Antiochena, quam summè diligebat, & apud se adhuc adolescentulam retinebat. Totàm ergo Sabina se Christo dedit, bonisque operibus fidem suam in dies augebat. Exortâ sub Hadriano persecutione anno 124. vel 125., Beryllus Præses ad Sabinam misit, ut Virgines apud se commorantes ad se transmitteret. Initio recusavit Sabina, sed hortante & orante Serapia, quæ Spiritu Dei plena

adhuc

adhuc puella nil pro Christo timebat, acquievit, & cum illa ivit ad Judicem. Hic honorificè ob nobilitatem generis Sabinam excipiens, eam increpuit, quòd suæ conditionis oblita vili Christianorum Sectæ se addixisset, & maximè infelicis Maleficæ (hoc nomine vocabat Serapiam) suasionibus. Cui Sabina: Vellem, ut tu quoque sanctam hanc Magiam amplectereris; & abjectis tuis Idolis, illum adorares, qui vitam æternam bonis, malis autem æterna supplicia reservavit. Quibus Judex nihil respondit, sed utramque dimisit.

III. Post tres autem dies missis satellitibus ad se Serapiam traxit, ut eam publicè interrogaret. Sabina eam secuta ac Judici iram Dei comminata, si quidquam in Virginem Deo sacratam attentaret, lacrymans recessit. Tunc Judex Serapiæ constantiam ad Idola adoranda flectere conatus, cùm nihil proficeret, imò sancta Virgo ei diceret, se Templum Dei esse, & qui Templum Dei violat, à Deo esse disperdendum, iratus eam in locum obscurum detrudi jussit à duobus Ægyptiis violandam. Mos enim erat Ethnicis virgines ante supplicium stuprandas tradere, ut referunt Svetonius in Tiberio cap. 61., Dio L. 56., Tacitus L. 5.: quod cùm etiam in Christianas Virgines exequi tentarent, eis improperat Tertullianus in Apolog. cap. 50.. Verùm, ut observat Baronius in Notis ad diem 3. Septembris, ejusmodi scelus antiquatum jam fuisse videtur: cùm reperiantur quamplurimæ virgines Romæ passæ Martyrium absque aliquo pudoris illato detrimento. Duo igitur juvenes Ægyptii cùm vespere cubiculum, in quo erat Serapia orans, ingredi tentarent, Juvenem splendentem viderunt, quo detenti tanto terrore perculsi sunt, ut exanimes in terram lapsi totâ nocte in eo statu manerent, magnoque fragore ac terræ motu tota Urbs concuteretur, Serapiâ interim in precibus perseverante, ut corpus suum Deo dicatum à pollutione servaretur illæsum. Mane missi à Beryllo exploratores nuntiarunt, duos Ægyptios in terram prostratos jacere motu ac sensu carentes. Accedens Beryllus Virginem increpavit, quasi magicâ arte hoc fecisset. At illa respondit, non Magiâ Christianis vetitâ, sed potenti brachio Dei suæ castitatis custodis hoc factum esse; cùmque Judex eam urgeret, ut in sui dicti testimonium infelices illos sanitati restitueret, initio recusavit illa, ne hoc etiam magicæ arti tribueretur. Consensit tamen post multa, dummodò illi ad Tribunal coram multitudine deferrentur. Quò cùm fuissent delati, Virgo extensis priùs ad Cœlum manibus, duos Ægyptios tetigit, qui illicò surrexerunt sani, & quæ sibi acciderant coram omnibus declararunt.

IV. Tanto tamen miraculo adhuc cæcus Beryllus totum Magiæ adſcribens, ait: dic mihi Serapia genus maleficiorum, quibus artibus hæc facis, & mox te dimittam, & ipsâ reſpondente, ſe omneſque Chriſtianos omnia prorsùs maleficia ad nihilum redigere: Videamus, inquit Præſes, ſi valebit ars tua; & ſi non ſacrificaveris, faciam tibi caput incidi: cùmque Serapia reſponderet, fac qùod vis: ego non ſacrifico Dæmoniis, quia Chriſtiana ſum, juſſit Præſes, ut ei duæ lampades ardentes applicarentur, quæ tamen ſtatim extinctæ ſunt. Tunc magis iratus Præſes ait, *Biothanata* (ideſt violentæ morti deſtinata, quo nomine ab Ethnicis Chriſtiani vocabantur) & malefica, audi Imperiale præceptum, ſacrifica Diis immortalibus & libera te de morte; & cùm Serapia reſponderet: vos potiùs Biothanati & malefici eſtis, qui negatis Deum vivum & Dæmonia adoratis cum ipſis pariter morituri; juſſit eam fuſtibus cædi. Et tunc ſubitò terræmotus factus eſt magnus, & quaſi aſtula exciſa de fuſtibus quibus cædebatur, in dextrum Præſidis oculum irruit, quem poſt triduum amiſit. Tunc inſano furore percitus Judex ſanctam Virginem velut Imperialibus Edictis contumacem ac maleficam gladio percuti jubet, ac ſententiâ protinùs impletâ caput ei abſciſſum fuit 29. Auguſti. Tunc S. Sabina collectis S. Serapiæ Reliquiis in ſepulcro ſuo honorificam ut licebat dedit ſepulturam.

V. Poſt Serapiæ mortem totam ſe dedit Sabina pietatis operibus, eleemoſynas pauperibus tribuens, infirmos & carcere detentos viſitans. Contigit autem, ut Præfectus nomine Helpidius accederet, eique Præſes Beryllus Sabinam & ea quæ geſta fuerant indicaret. Is homo ſævus Sabinam ad ſe adductam ſeverè objurgavit, cur ſuæ conditionis immemor ſociaverit ſe Chriſtianis, comminatus, ni ſacrificaret Diis, ſe capite eam damnaturum. Cui Sabina reſpondit, ſe veri Dei famulam eſſe, nec alii quàm ipſi ſacrificare velle. Tunc prolatâ in eam ſententiâ caput ei amputari præcepit. Chriſtiani verò corpus ejus ſublatum in monumento, ubi ipſa Serapiam repoſuerat, condiderunt. Hæc ſumpta ſunt ex Actis, quæ exhibet Baluzius tom.2. Miſcell., in hoc diverſa, quòd omnia, quæ de SS. Serapia & Sabina referunt, tanquam geſta in Umbria apud Oppidum Vendinenſem (locum ignotum) proponunt; cùm Martyrologia eadem Romæ contigiſſe aſſerere, ut dicam, videantur.

VI. De S. Serapia Martyrol. Rom. 3. Sept. hæc habet: *Romæ S. Serapiæ Virginis, quæ ſub Hadriano Principe cùm eſſet tradita duobus laſcivis Juvenibus, & minimè potuiſſet illudi, nec poſt-*

postmodùm ardentibus facibus inflammari, jussu Berylli Judicis fustibus cæsa, dehinc gladio decollata est. Passa est autem quarto Kalendas Augusti, & à Beata Sabina in suo monumento juxta aream Vindiciani sepulta. Sed memoria ipsius Martyrii hác die celebrior habetur, quando ambarum sarcophagum ibi compositum & ornatum fuit, & locus orationis condignè dicatus: ubi notat Baronius, nomine *Area* hìc intelligi sepulturam Christianorum, hodie dictam cœmeterium.

De S. Sabina verò die 29. Augusti idem Martyrol. dicit: *Romæ in monte Aventino natalis S. Sabinæ Martyris, quæ sub Hadriano Imperatore gladio percussa Martyrii palmam adepta est.*

VII. Una ex illustrioribus victimis crudelitatis Hadriani fuit S. Symphorosa, quæ unà cùm Getulio viro suo & aliis ac septem filiis suis insigne testimonium pro Veritate Christianæ Religionis exhibuit. In Urbe Tiburtina circa XVIII. ab Urbe lapide distante Martyrium subiisse creduntur. Primi fuerunt Getulius (alio nomine Zoticus) & Amantius fratres ambo in Copiis Hadriani Tribuni, & Fide Christiani. Amantius Hadriani metu occultus manebat; Getulius verò, qui uxorem filios ac divitias multas Tiburi habebat, relictis omnibus pro Christo, in Sabinis morabatur multos in Fide instruens & confirmans. Mittitur interim ab Hadriano Cerealis, qui Vicarius dicitur, ut utrumque comprehendat. Sed iste à Getulio & ab Amantio ad Christum conversus, Romam vadit, ut à Sixro Papa (qui Ecclesiam regebat ab anno Christi 119. usque ad 128) baptizetur. Non diù post omnes tres capti Getulius Amantius & Cerealis, unà cum alio nomine Primitivo à Licinio Consulari, post verbera, post septiduum carceris Tiburi, eligentes mori potiùs quàm Idolis sacrificare, igni traditi sed illæsi, postremò gladio percussi vel fustibus illiso capite Martyrium compleverunt: quorum corpora Symphorosa Getulii uxor in arenario prædii sui prope Tiburim honorificè sepelivit. Ita etiam Martyrolog. Romanum 10. Junii.

VIII. Extare adhuc Tiburi dicit Baronius ad diem 18. Julii cisternam siccam, in qua, durante carcere & passione Getulii viri sui & aliorum, Symphorosa cum filiis suis delituisse fertur, expectans, donec Deus & ipsam vocaret ad pugnam: quod non multò post contigit, ut ait Surius ad præfatam diem. Erexerat Hadrianus Templum, quod profanis Paganismi ritibus dedicare volebat. Consulens autem Sacrificiis Idola seu veriùs Dæmonia in eis habitantia, responsum accepit, se Symphorosæ & filiorum ejus continuis ad Deum suum precibus impediri. Faceret

Hadria-

Hadrianus, ut Symphorosa & filii ejus sacrificarent, & quidquid peteret, ab eis fore obtenturum.

Tunc Hadrianus Symphorosam ac septem filios ejus, quorum nomina sunt Crescens Julianus Nemosius Primitivus Justinus Stacteus & Eugenius, comprehendi jussit: eos ab initio blandè adhortatus, ut Diis omnipotentibus thus adolerent: videns se nihil proficere, Symphorosam ad Templum Herculis trahi, ibique cædi & capillis suspendi mandavit. Sed cùm nec terroribus nec suppliciis ejus constantia flecteretur, alligato ad collum ejus ingenti saxo in fluvium circa Tiburim præcipitem egit. Eugenius autem S. Martyris frater corpus ejus è fluvio retractum sepelivit. Sequenti autem die Hadrianus ad Herculis Templum regressus, & septem Symphorosæ filios incassum tentatos, septem stipitibus ad trochleas extensos ac pugione transfixos in foveam projici præcepit. Refert hoc quoad substantiam Martyrolog.Rom.die 18.Julii.

IX. Eodem Martyrol. 18. Aprilis refertur: *Brixiæ S. Caloceri Martyris, qui à Sanctis Faustino & Jovita conversus ad Christum sub eodem Hadriano gloriosum confessionis certamen complevit.* Item 24. Maii: *Brixiæ S. Afræ Martyris, quæ sub Hadriano Imperatore passa est.* Apud Sardiniam in Sulcitana Insula die 13. Decembris S. Antiochi primi illius Martyris sub Hadriano passio celebratur: *Tarracinæ* etiam 17. Junii memoria fit *S. Montani militis, qui sub Hadriano Imperatore & Leontio Consulari post multa tormenta Martyrii coronam accepit.* Celebris quoque fuit in Fide constantia S. Mariæ Tertulli ancillæ, de qua 1. Novembris, quæ à Domino suo accusata, quòd esset Christiana, sub Hadriano diris verberibus afflicta, equulei extensione, & ungularum laceratione vexata, Martyrium complevit. Hujus Acta exhibet fusè Baluzius tom.2. Miscell. pag.115., in quibus præter multa hoc admirabile legitur: quòd post varia tormenta clamore commiserantis Populi relaxata, sub custodia tamen relicta, illa signo Crucis se muniens oculosque ad Cœlum attollens, vidit Angelos & Filium Dei sedentem ad dexteram Patris. Sed cùm se à persequentibus circumdatam conspexit, iteratò orans vidit ante se ingens saxum, quod illicò apertum ac Virginem quasi amplexans intra se suscepit, & latera aperta statim conclusit, vestium vestigiis solùm extra remanentibus. Cumque monitus Præses misisset multitudinem, ut saxum illicò scinderet, vix operi manum apposuit, cùm repentino tonitru ac fragore terrâ concussâ cuncta corruere viderentur, ac subinde duo Equites armis ac frænis radiantibus è Cœlo delapsi tanto multitudinem

terrore impleverunt, ut pars ad ſuorum Numinum Templum confugiens, ibi igne è Cœlo miſſo cum ſuis Idolis exuſta ſit, pars verò exclamarit: Magnus Deus Mariæ, Magnus Deus Chriſtianorum! & millia eorum crediderint. Quis hæc non admiretur? Scio tamen ab aliquibus ut dubia haberi: at quidquid ſit; non huic ſoli, ſed innumeris mirabilibus in argumentum ſuæ veritatis Chriſtiana Fides innititur.

X. At non in ſolo Occidente Hadriani furor deſæviit; ad Orientem quoque pervaſit. Græci in Menologio Baſilii die 4. Septembris Martyrium colunt Sanctæ Hermionis, S. Philippi Apoſtoli (ſeu veriùs Diaconi ut ſuo loco dixi) filiæ, his verbis: *Sancta Martyr Hermione filia Philippi Apoſtoli floruit Trajano Imperatore. Habuit autem ſororem nomine Euthychen, cum qua Epheſum perrexit, ut Joannem Theologum adorarent: non tamen invenerunt eum; translatus enim jam fuerat. Venit autem & Trajanus Imperator Epheſum ad Perſicam expeditionem, audivitque nomen Hermiones percelebre ac venerandum, eò quòd prophetico eſſet afflata Spiritu. Comprehenſam igitur cùm à Chriſti cultu abducere non poſſet, jubet illi alapas incuti: cui Dominus apparens addidit animum confirmavitque, ut tormenta fortiter perferret; ſed paulò poſt à Trajano dimittitur, quòd ei prædixiſſet fore, ut de Perſis triumpharet. Hadrianus verò gener & ſucceſſor Trajani comprehenſam iterùm cogit Chriſtum abnegare Idoliſque ſacrificare: quod cùm illa facere renuiſſet, juſſit amputari ejus caput. Areſcentibus verò Carnificum manibus, ipſi etiam in Chriſtum crediderunt, atque unà cum illa capite plexi ſunt.*

XI. Celebrant etiam die 2. Maii Latini ſub Hadriano agonem Sanctorum Exuperii & Zoes uxoris ejus, Cyriaci & Theoduli filiorum. Græci quoque in Menol. Baſilii eâdem die ajunt: *Sancti Martyres Heſperus & Zoes cum filiis, imperante Hadriano, erant ex Regione Italiæ ſervi cujuſdam Divitis. Cùm autem Cyriacus & Theodolus à parentibus ſuis chriſtianè educati eſſent, die quâdam dixerunt eis: Quare ſervimus impiis iſtis, & non potiùs Chriſto, ne pereamus cum illis? Audiens hæc mater ipſorum dixit: Reſiſtite ei qui emit corpora noſtra, & Martyrium pro Chriſto ſuſtinebimus. Tunc abeuntes pueri domino ſuo dixerunt: Corpora quidèm noſtra tuæ ſubjiciuntur poteſtati; animarum verò noſtrarum Dominus eſt Jeſus Chriſtus, qui omnium dominatur. Amodo non tibi, ſed illi ſerviemus. Obſtupeſcens ad hæc Dominus illorum, tunc quidèm illos ad Heſperum patrem miſit, in Tritonio Urbe verſantem; poſtea verò patrem matremque accerſens, torqueri illos juſſit, demùm in fornacem accenſam injecit flammiſque combuſſit.*

XII. Ex his & aliis, quæ prætereo, apparet, quàm falsò asserat Doduvellius, nullam in Christianos fuisse Persecutionem, & nullos Martyres sub Hadriano, nisi fortè Martyrologia & Menologia falsitatis velit arguere. Inter Martyres Feminas sexu fragiles ac adolescentes recensui, ut Lector magis magisque in hac veritate firmetur, quòd Religio Christiana opus sit non humanum sed Divinum, & in ea tuenda Potentia Dei sola adversùs humanæ potestatis conatus operata sit. Unde rectè concludit Augustinus Serm. 12. de Sanctis modò 276. cap. 1.: *Tot convicta miraculis persistebat impietas, tot vexata suppliciis non cedebat infirmitas: agnoscatur ergo operata Divinitas; quando enim corruptibilis pulvis contra tam immania tormenta duraret, nisi in eo Dominus habitaret? In his enim omnibus ille agnoscendus, ille glorificandus, ille laudandus est, qui & in prima vocatione dedit fidem, & in suprema Passione virtutem.*

§. IV.

An Hadrianus à Persecutione cessaverit?

I. Quamvis ex hactenùs dictis manifestè appareat, Hadriano imperante, imò & promovente, etsi non Lege publicè latâ, ut plerique volunt, animo tamen & Imperialium Legum observantiæ zelo, Persecutionibus Christianos fuisse vexatos; volunt tamen multi, Hadrianum Persecutionem aliquando sustulisse, & Christianos liberè Religionem suam profiteri permisisse: ideò hoc examinare æquum duxi. Nam hoc etiam admisso, magnum pro Veritate Religionis Christianæ exurget argumentum, ut infra dicam.

II. Occasionem sedandi in Christianos Persecutionem Hadriano dedisse Quadratum & Aristidem suis pro Christianis Apologiis ipsi oblatis, scribit S. Hieronymus Epist. 83. aliàs 84. ad Magnum his verbis: *Quadratus Apostolorum Discipulus & Atheniensis Pontifex Ecclesiæ nonne Hadriano Principi Eleusina Sacra invisenti librum pro nostra Religione tradidit? Et tamen admirationi omnium fuit, ut persecutionem gravissimam illius excellens sedaret ingenium. Aristides Philosophus vir eloquentissimus eidem Principi Apologeticum pro Christianis obtulit contextum Philosophorum sententiis: quem imitatus postea Justinus & ipse Philosophus Antonino Pio & filiis ejus Senatuique librum contra Gentiles tradidit, defendens ignominiam Crucis, ac Resurrectionem Christi totâ prædicans libertate.* Idem dicit in L. de Script. Eccles. c. 19.

in Quadrato, & cap.20. in Ariſtide. Euſebius quoque L.3. hiſt. cap. 37. inter Viros celebres in ædificio Eccleſiæ, cujus Apoſtoli jecerant fundamenta, Quadratum ponit, quem dicit etiam prophetico dono fuiſſe illuſtratum. Et L.3. cap.3. dicit, in Libro, quem Hadriano obtulit, ſequentia contineri, nempè quòd *Servatoris noſtri opera ſemper conſpicua erant, quippe quæ vera eſſent: iis ſcilicèt, qui morbo liberati, aut qui ex morte ad vitam revocati fuerant. Qui quidèm non ſolùm dum ſanabantur, aut dum ad vitam revocabantur, conſpecti ſunt ab omnibus, ſed ſecuto deinceps tempore; nec ſolùm quamdiù in terris moratus eſt Servator noſter, verùm etiam poſt ejus diſceſſum diù ſuperſtites fuerant: adeò ut nonnulli eorum ad noſtra uſque tempora pervenerint*. Quibus apparet, Quadratum vidiſſe etiam aliquos ex illis, qui à Chriſto ſanati aut ad vitam revocati virtutem ejus teſtari experientiâ poterant.

III. Rationibus ergo & eloquentiâ Quadrati & Ariſtidis in ſuis Apologiis expoſitis, additâ inſuper Epiſtolâ Serenii Graniani Aſiæ Proconſulis ad ipſum ſcriptâ (de qua ſupra §. 1.) à perſequendis Chriſtianis Hadrianus abſtinuit, vel ſaltem temperavit. Porrò quod maximè Hadrianum ad parcendum Chriſtianis moviſſe puto, fuit quòd Magiam & omnem Dæmoniacam vim virtute Chriſti in dies everti conſpiceret. Cùm, ut dixi, hiſce præſtigiis maximè deditus eſſet, videns iſta contra Chriſtianos nihil proficere, imò Chriſti nomine penitùs evaneſcere, valdè credibile eſt, hoc inter cætera Hadriani animum ad indulgendum Chriſtianis flexiſſe. Porrò quanti faciendum ſit hoc argumentum, demonſtrat S. Athanaſius L. de Incarn. Verbi Dei cap.48., ubi invitans omnes ad videndum artem Magicam, quæ ante Verbi adventum totum ferè Orbem occupaverat, Verbi potentiâ prorsùs deſtructam: *Veniat*, inquit, *& quiſquis ea quæ diximus experiri cupit, atque in mediis ipſis Dæmonum præſtigiis & oraculorum fallaciis ac Magiæ prodigiis ſigno Crucis, quæ apud ipſos ludibrio eſt, utatur, ſolumque Chriſtum nominet: mox videbit quàm citò per ipſum fugentur Dæmones, ceſſent oracula, ars omnis Magica veneficiaque evaneſcant. Quis itaque quantuſque ille eſt Chriſtus, qui ſuo nomine ac ſuâ præſentiâ omnia uſquequaque obſcurat & delet, ſoluſque cæteris omnibus fortior eſt, atque univerſum Orbem ſuâ doctrinâ replet? Reſpondeant Gentiles, qui tam effrænatè impudentiſſimèque rident. Enim verò ſi homo ille eſt, qui fieri poteſt, ut unus homo omnium quos ipſi colunt Deorum potentiam ſuperet, nihilque prorsùs illos eſſe ſuâ propriâ virtute convincat? Quòd ſi Magum eum eſſe dicant: qui fit ut à Mago ars omnis Magica de-*

destruatur & non potiùs confirmetur? Namque si dumtaxat homines Magos vicisset, vel uno tantùm fuisset superior, non immeritò suspicarentur, eum arte quâdam præstantiori aliorum fuisse victorem. Si verò de universa planè arte Magica, ejusque nomine Crux Christi triumphavit: perspicuum sanè inde fuerit, Salvatorem Magum non fuisse, utpotè quem Dæmones, quos alii Magi invocant, tanquam Dominum fugiunt. Quis itaque ille sit, dicant Gentiles, quibus nulla alia cura videtur esse, quàm ut cachinnentur. An Dæmonem eum, atque idcircò aliis valentiorem fuisse contendunt? Sed si id dixerint, risum haud dubiè concitabunt, prioribusque rationibus poterunt confutari. Quî enim fieri potest, ut ille sit Dæmon, qui ipse Dæmones expellit? Namque si aliquos Dæmones abigeret, rectè eum in Principe Dæmoniorum cæteris inferioribus fortiorem fuisse arbitrarentur; quod & eidem olim Judæi contumeliosè exprobrabant. Verùm si omnis Dæmonum furor ejus nomine retunditur ac repellitur; nemo certè non videt, hìc illos etiam errare; nec Dominum nostrum & Salvatorem Christum aliquam, ut putant, virtutem dæmoniacam esse. Ex quibus ita concludit: *Quocirca si Salvator nec merus homo, nec Magus, nec aliquis Dæmon est; sed tamen & Poetarum commenta, & Dæmonum fallacias, ac Gentilium sapientiam suâ Divinitate evertit & obscuravit; an non evidens est, atque inter omnes constare debet, verè illum Dei Filium & Verbum Sapientiamque Patris esse?* Hujus argumenti vim ac efficaciam perpendat Lector, insuperabilis enim est.

IV. Hâc victum dicere possem Hadrianum, & ex factis & mirabilibus à Christo patratis sibi à Quadrato & Aristide in suis Apologiis expositis motum fuisse ad sedandam Persecutionem in Christianos, imò hujus veritatis testimonium etiam ab ipso Dæmone habuisse. Cùm enim, ut supra dixi (de S. Symphorosa) Templum suis Diis Tiburi erexisset, eisque illud dicare vellet, responsum à Dæmonibus illud inhabitantibus tulit, se precibus Symphorosæ & filiorum ejus torqueri, nec posse ejus votis quidquam concedere, nisi Symphorosam & filios sibi sacrificare compelleret. Quibus omnibus permotus Hadrianus, volunt aliqui, quòd prope finem vitæ suæ adeò favorabilis Christianis evaserit, ut Jesum Christum omnibus ut Deum adorandum proponere cogitaret, eique Templa erigere, in cujus signum plura ædificaverit Templa absque statuis, ac nullius Divinitatis nomini consecrata, quæ proinde solo ædificatoris nomine *Hadrianæa* appellata fuerunt, teste Lampridio in Alexandri Augusti vita. Et Epiphanius hæres.20. cap.12. dicit, in Urbe Tiberiade fuisse Templum maximum Hadrianum dictum, quia

ab

ab Hadriano inchoatum; sed quia relictum imperfectum, ad usum balnei Cives illud convertere cogitabant: attamen sub Constantino Comes Joseph in Ecclesiam partem ejusdem erexit.

V. Verùm admisso, quòd Hadrianus plura Templa erexerit, eaque sine Idolorum statuis, nec ullo falso Numini dicata reliquerit; assentiri tamen non possum, quòd ea Jesu Christo dicare in animo habuerit. Nam estò erga Christianos clementior, & si velis etiam favorabilis factus fuerit, & ab eis persequendis cessaverit; censeo tamen eum Christianam Fidem amplectendi animum habuisse nunquam, sed in Idolorum cultu usque ad mortem perseverasse: quod sic ostendo. Habebat Hadrianus adolescentem amasium nomine Antinoum, quem insano & turpi amore prosequebatnr. Hic dum unà cum Hadriano super Nilum navi veheretur delapsus in fluvium submersus interiit anno Christi 132. Hadriani verò 16.. Rem tamen aliter narrat Dio L. 69., nimirùm quòd Hadrianus Magiæ addictus, ut sibi protraheret vitam, hominem quærebat, qui pro ipso vitam suam Diis voluntariè immolaret: sed cùm non inveniret, Antinous sese in amoris sui mutuam tesseram spontè obtulit, ac se in fluvium dejecit. Amasii jacturam inconsolabilibus lacrymis deflevit Hadrianus, quas ut ex parte solaretur, voluit ut Græci Antinoum Divinitate donarent, adeò ut brevi tempore huic infami novo Deo erectæ statuæ passim viderentur, eique magnifico erecto Templo festum diem, ac solemnes ludos in ejus honorem statuerit; imò & Urbem dictam Antinopolim aliàs Hadrianopolim ædificarit (ut inter alios Chrysost. in 2. ad Cor. homil. 26.) Quæ insania vel ipsis Ethnicis scandalo fuit, adeò ut Dio L. 69., Spartianus, & alii Scriptores Pagani non sine stomacho eam referant.

VI. Meritò igitur hoc Ethnicis improperat Athanasius Orat. contra Gentes num 9., ubi ostendens Gentilium cæcitatem, qui etiam homines perpetuâ infamiâ notandos Divinitate donabant: *Talis*, inquit, *his etiam temporibus Antinous Hadriani Romanorum Imperatoris amasius, quem tametsi hominem fuisse & quidèm hominem minimè gravem & honestum sed impurissimum, non ignorant, eum tamen ob metum Imperantis venerantur. Cùm enim Hadriano in Ægypti Regione diversante, Antinous illius voluptatis minister è vita migrasset, eum Imperator coli jussit: quo utique facto, & se adolescentis etiam post ejus mortem amore flagrare est testatus, & justæ reprehensionis argumentum in se ipsum præbuit; ac denique insigne adversùs universam Idololatriam statuit monumentum: quo nempè pateret, illam non aliter ab hominibus inventam fuisse,*

fuisse, quàm vanâ comminiscentium cupiditate: quod & Dei sapientia his verbis declarat „ Initium fornicationis est exquisitio Idolorum, & adinventio illorum corruptio vitæ est „ (Sap. 14. v. 12.) His positis sic discurro. Hæc de Antinoo ab Hadriano gesta contigerunt anno Christi 132., utique post sedatam Quadrati & Aristidis Apologiis in Christianos Persecutionem: quæ certè non indicant, Hadrianum erga Christum ejusque Legem, cui hæc abominabilia sunt, affectum fuisse; sed potiùs eum in Idololatricis magicisque superstitionibus perseverasse. Accedit, quòd, ut aliqui sentiunt, etiam post datam pacem Christianis, non diù post ipso saltèm connivente Persecutio iterùm surrexit: & quòd ipse insanabili correptus morbo, post inutiliter tentata magicæ etiam artis remedia desperatus sæpiùs pugionem petiit, quo se transfigeret, impunitatem illum sibi porrigenti promittens: tandem omnibus ipsi etiam Senatui exosus, qui ob ejus innumeras crudelitates ejus Acta rescindere volebat, Baiis in Campania miserè interiit. Hæc quoad historiam.

VII. Verùm quomodocumque res fuerit, semper viget pro Christianæ Religionis Veritate argumentum. Nam vel Hadrianus, Quadrati & Aristidis pro Christiana Religione Apologiis convictus, vetuit imposterùm Christianos persequi, & in hoc perseveravit, imò Templa Christo ut Deo erigere cogitavit; & sic Veritas Christianæ Religionis triumphat, quæ vel ipsos Persecutores vincere potuit; & factum est, ut secundùm S. Augustini dictum L. 18. de Civit. Dei cap. 50.: *Ipsi Reges, quorum Legibus vastabatur Ecclesia, ei nomini salubriter subderentur, quod de terra crudeliter auferre conati sunt; & falsos Deos inciperent persequi, quorum causâ Cultores Dei veri fuerant antea persecuti.*

Vel saltem quòd Religio Christiana, ut se diffunderet Hadriano non eguisset, cùm inter præcedentes Persecutiones jam inveniretur latè per totum Orbem diffusa. Unde Eusebius L. 4. Præparat. Evang. cap. 17.: *Quidni*, inquit, *tandem jure meritoque concludas, illos tum Populos improbis omnes Dæmonibus mancipatos fuisse, nec ante genus humanum tantorum acerbitate malorum vexari desiisse, quàm Servatoris nostri doctrina passim illaxisset? Nam illa quidèm ad Imperium Hadriani viguisse, ac sublata deinceps fuisse constat ex historia, quo nimirùm tempore salutaris hujus doctrinæ vis apud omnes jam latè Populos Gentesque regnaret.*



CA-

CAPUT VI.

De Persecutione sub Marco Aurelio Antonino.

§. I.

De Tito Antonino Pio.

I. MOrtuo Hadriano ei in Imperio successit anno Christi 140. Titus Antoninus Pius, quem ille adoptaverat, vir genio placidus & clemens; & hac de causa ab initio Imperii dictus Pius, quòd licèt tunc essent multi rei, quorum nonnulli postularentur ad supplicium, neminem puniri voluit; non oportere, inquiens, ab his rebus Imperium initium sumere: quare omnibus laudabilis fuit, & animi tranquillitate Numæ Pompilio comparatus. Usque adeò ab humano sanguine fundendo alienus fuit, ut Julius Capitolinus in Antonino dicat: *Sub eo nullus percussus est Senator, ut etiam parricida confessus in Insula deserta poneretur, quia vivere illi naturæ legibus non licebat.*

II. Hanc animi lenitatem ostendit etiam erga Christianos, quibus pacem, quâ sub Hadriano gaudere inchoaverant, continuare concessit. Id probat ejusdem Epistola, quam S. Justinus, qui tunc Romæ florebat, exhibet Apolog. 2. Populis Asiæ, videlicet: *Imperator Cæsar Titus Ælius Hadrianus Antoninus Augustus Pius.... Populis Asiæ salutem. Equidèm putarim, Diis quoque ipsis curæ esse, ne hujusmodi homines lateant. Multò enim magis, illi siquidem possint, vindicaverint in eos, qui adorare ipsos nolunt; contra quos tumultum ipsi concitatis, & sententiam eorum velut impiorum & nullorum Deorum sugillatis: & alia quædam objicitis crimina, quæ probare non potestis. Commodius sanè illis fuerit, si ob id videantur, de quo accusantur, mortem oppetere. Et vincunt illi vos, suas ipsorum animas potiùs projicientes, quàm ut obsequentes quod postulatis faciant. De terræmotibus autem, qui vel ante fuere, vel adhuc fiunt, non iniquum nobis visum est vos admonere, qui animos cùm fiunt despondetis, res illorum cum vestris comparantibus; quoniam longè illi fiunt, quàm vos, ergà Deum liberiores atque fidentiores. Ac vos quidèm ignorare videmini per id tempus Deos, & Sacrorum obliviscimini, & cultum Dei non tenetis. Quocirca & illum colentibus æmulatione invidetis, & ad mortem usque eos persequimini. De rebus ejuscemodi & alii quidam Provinciarum Rectores Divinis-*

vinissimo Patri meo scripserunt. Quibus ille rescripsit, nihil molestiæ faciendum esse talibus Viris, nisi quid adversùs Imperium Romanum moliti esse deprehenderentur. Quin & ad me multi de eis litteras dederant; quibus de Patris mei, quem imitandum mihi esse duxi, sententiâ respondi. Si quis actionem adversùs quempiam ejusmodi habens deferat illum dumtaxat ut hujuscemodi hominem; delatus quidèm à crimine absolvatur, etiamsi talis esse appareat; ipse autem delator judicio pœnas pendat. Hæc pro Christianis scribit Imperator Ethnicus: non solùm eos innocentes declarat, sed Ethnicis comparatos Deo fideliores pronuntiat. Numquid favorabiliùs scribere poterat Christianus Imperator? In his vim veritatis Christianus Lector agnoscat.

III. Quantum verò sub hoc Principe Religio Christiana profecerit, ostendunt primò idem Justinus in Dialogo cum Tryphone Judæo pag.347., ubi sic ait: *Atqui ne unum quidèm est genus mortalium, sive Barbarorum, sive Græcorum, seu etiam aliorum omnium quocumque appellentur nomine; vel Hamaxobiorum* (Populi sunt Scythiæ Europeæ circa Mæoticam Paludem) *vel Nomadum domo carentium, vel in tentoriis viventium* (*Scenitarum*) *& pecoribus vitam tolerantium; inter quos per nomen Crucifixi Jesu supplicationes & gratiarum actiones Patri & Fabricatori rerum omnium non fiant.*

Secundò: S. Irenæus, qui eodem seculo floruit L.1. adver. hæres. cap.10. commendans unitatem in doctrina Ecclesiæ toto jam Orbe diffusæ: *Etsi*, inquit, *in Mundo loquelæ dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis una & eadem est. Et neque hæ quæ in Germania sunt fundatæ Ecclesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt: neque hæ quæ in Hiberis sunt, neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Ægypto, neque hæ quæ in Lybia, neque hæ quæ in medio Mundi constitutæ: sed sicut Sol creatura Dei in universo Mundo unus & idem est, sic & lumen prædicatio Veritatis ubique lucet & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem venire.* Is erat tunc Ecclesiæ status, hæc amplitudo: vix uno seculo nata, omnibus Gentibus invisa, totum Orbem jam occupaverat. Hoc argumentum tractat etiam Tertullianus ejusdem seculi auctor Apolog. adv. Gentes cap.37., & L. adv. Judæos cap.7. & 8., de quo inferiùs.

IV. Antoninum Pium Christianis faventem descripsi. Contrà hoc obstare videtur primò, quòd ejus Imperii anno 3. S.Sixtus seu Xixtus I. Papa Martyrium subierit, ut ad annum 142. num.3. notat Baronius. Secundò, quia, ut idem Baronius refert ad annum 143., sub pœna mortis Lectionem Sybillinorum ac

Pro-

Prophetarum Librorum Antoninus prohibuit: quòd lectione illorum complures à patria superstitione deficerent, & ad Religionem Christianam transirent. De hoc conqueritur S. Justinus Apolog.2. pag. 82. his verbis: *Operâ autem & instinctu malorum Dæmonum mortis supplicium adversùs Librorum Hystaspis, aut Sybillæ, aut Prophetarum Lectores constitutum est: ut per timorem homines ab illis, quò minùs scripta ea legentes rerum bonarum notitiam percipiant, sed in servitute eorum retineantur, absterreantur.*

V. Hæc tamen non obstant. Non primum; nam Sixtus I., ut ait Eusebius L.4.hist. cap.4. & 5., cùm Pontificatum susceperit anno 3. Hadriani, nimirùm Christi 119., & Ecclesiam annis decem rexerit, mortem Martyrio pertulit anno 119. & Hadriani 12.. Quare stare non potest, quòd sub Antonino Pio illud pertulerit, sed sub Hadriano: unde Martyrol. Rom. die 6. Aprilis de eo ait: *Romæ Natalis Beati Xisti Papæ & Martyris, qui tempore Hadriani Imperataris, ut sibi Christum lucrifaceret, mortem sustinuit temporalem.* Quibus conformis est Eusebius citato loco cap.5. dicens: *Porrò annum Imperii sui duodecimum agente Hadriano, cùm Xistus Episcopatum Urbis Romæ decem annis obtinuisset, septimus ab Apostolis Thelesphorus in ejus locum successit*: qui cùm undecim annis sedisset, anno primo Antonini Pii migravit è vita, teste eodem Eusebio cap.10. dicente: *Cæterùm Hadriano vitâ perfuncto, cùm unum & viginti annos imperasset, Antoninus cognomento Pius administrationem Imperii suscepit. Hujus anno primo cùm Telesphorus migrasset è vita anno sui Episcopatus undecimo, Pontificatum Romanæ Urbis sortitus est Hygenus* (seu Hyginus) unde non Xistus I. sed Telesphorus sub Antonino Pio mortuus est.

Verùm eadem difficultas emergit. Cùm enim etiam Telesphorus Papa Martyr obierit, unde in Martyrol. Rom. 5. Januarii legitur: *Romæ S. Telesphori Papæ, qui sub Antonino Pio post multos labores pro Christi confessione illustre Martyrium duxit*: quod Beda Usuardus & Ado confirmant: quomodò Antoninus Pius Christianis favisse dicitur? Quapropter aliâ viâ dico, Martyrium Telesphori & fortè aliorum, contigisse sub initio Imperii Antonini, nimirùm anno primo, & ante promulgatum pro Christianis Edictum, de quo supra, & refertur etiam ab Eusebio L.4. cap.13. Porrò ante illud tempus, eodem imperante Antonino, à cædibus Christianorum non fuit omninò temperatum, non quidèm Imperatoris mandato, sed sententiâ Præsidum & furore Gentilium ob eversionem Idolorum conclaman-

tium contra Christianos, ad quem furorem comprimendum Justinus Apologiam obtulit, & Antoninus Edictum promulgavit.

VI. Ad secundum eodem modo respondeo, Edictum, quo sub pœna mortis vetabatur legi Libros Sybillinos & Propheticos, prodiisse ab Antonino anno Imperii sui 4. instigantibus Christiani nominis hostibus, qui ferre non poterant, quòd Sybillæ quamvis Ethnicæ, adeò clarè pro Christo locutæ fuissent, sicut etiam Prophetæ, quorum clamoribus Antoninus & ipse Ethnicus censuit indulgendum. Cæterùm hoc Edicto non obstante præfati Libri legebantur, nec contra legentes ad pœnam mortis in eo statutam ventum est. Unde Justinus supra laudatus sic prosequitur: *Quod certè quidèm efficere & ad finem suum perducere nequiverunt. Non enim absque timore tantùm hujusmodi scripta legimus, verùm etiam vobis ad inspiciendum, quæ in eis traduntur, ut videtis, offerimus, grata acceptaque omnibus fore scientes. Atque hoc etiamsi paucis persuaserimus, maximum tamen inde feremus lucrum. Nam ut boni agricolæ amplam à Domino capiemus mercedem.* Ex iis tamen, quæ Justinus in prælaudata Apologia dicit, apparet, non tantâ pace ante Edictum imperante Antonino fruitos fuisse Christianos, quin aliqui eorum sive à Præsidibus sive à Populis persecutionem & Martyrium passi in Martyrologiis fuisse legantur.

§. II.

De Marco Aurelio ejusque Persecutionis origine.

I. Mortuo Tito Antonino Pio anno 161., vel 163. ut vult Baronius, Marcus Aurelius, quem ille ante adoptaverat, ideòque Antoninus dictus, Imperium assumsit, in quo Lucium Verum generum suum sibi collegam elegit, cui Lucillam filiam collocaverat. Marcum Aurelium fuisse potiùs genio mitem & placidum, dicunt Eusebius in Chron., & Orosius L.7. cap.15.; sub eo tamen violenta Persecutio afflixit Ecclesiam, in qua multi Martyrio coronati fuere, ut dicam infra. Persecutionem hanc ordine quartam ponunt Eusebius, & Orosius; Sanctus Augustinus quoquè L.18. de Civit. Dei cap.52. *quartam* dicit *ab Antonino*; Veteres namque Marcum Aurelium Antonini nomine indicabant, quia ab Antonino Pio adoptatum, ut notat Baronius ad annum 163. num.5.: Sulpitius tamen Severus, qui L.2.hist. n.46. quartam Persecutionem sub Hadriano ponit, hanc vocat quintam dicens: *Sub Aurelio deinde Antonini filio Persecutio quinta agitata.*

II.Mar-

II. Marcus Aurelius Philosophiæ studio valdè deditus erat, unde cognomento *Philosophus* dictus, cui ut liberiùs vacaret, nec Imperii sollicitudinibus impediretur, Lucium Verum collegam adscivit, quem statim ad bellum Parthicum destinavit. Cùm ergo M. Aurelius Philosophis præsertim Stoicis multum deferret, & hi à Christianis tanquam insciti traducerentur, Christianos tanquam suæ doctrinæ eversores detestabantur: ideòque una ex causis, quæ in eos etiam Marcum Aurelium concitavit, fuit Philosophorum indignatio. Ex hac sibi prædixit Martyrium (ut verè fuit) S. Justinus. Cùm enim Philosophos, & præcipuè quendam nomine Crescentem sæpiùs validè confutasset, & Philosophi nomine indignum pronuntiasset, Apolog. 1. ad Senatum pag. 40. dicit: *Et ego igitur expecto, ut ab aliquo eorum, qui nomine sunt Philosophi, insidiis appetar & ligno infigar, vel ab ipso etiam Crescente Philosopho & Philocompo, hoc est strepitus popularis & insolentis arrogantiæ amatore. Indignus namque est, qui Philosophus & sapientiæ amator dicatur, propterea quòd publicè de rebus, quas ignorat, videlicet quòd Christiani Athei prorsùsque sine Deo & impii sint, asseverat; ad gratiam & libidinem eorum, qui ab eo sunt in errorem inducti, hoc faciens.*

III. Cùmque insuper Justinus ipse Scholam Religionis Christianæ erexisset, & liberrimè contra Moralem Antippi, Epicuri, & aliorum Gentilium Philosophorum declamaret, omnium eorum Sectas nedum contra se, sed adversùs Christianos concitaverat. Justino accedebat Tatianus Assyrius (olim Philosophus Ethnicus postea Sacrorum Librorum lectione conversus, deinde S. Justini Discipulus, sed tandem Sectæ Encratitarum infelix parens) qui in Oratione ad Græcos & ipse Philosophos exagitabat, eos tanquam indoctos & incapaces despiciendo; ajebat enim pag. 157.: *Cæterùm vos cùm non possitis ingenio vestro hæc intelligere, discite ab intelligentibus: utcumque mortis contemtum & animi tranquillitatem nihil extra se suamque sortem desiderantis exercere vos gloriemini. Atqui tantum ab hoc studio Philosophi vestri absunt, ut nonnulli sexcentos in annum aureos ab Imperatore Romano ad nullum utilem finem accipiant, ne scilicet vel barbam frustrà prolixam alant. Crescens denique ille Megalopoli nidulatus maximè omnium puerorum incésto amori deditus & pecuniæ studio addictissimus erat.* Et post multa pag. 162.: *Quid magnum,* inquit, *aut admirandum agunt Philosophi vestri? Incedunt enim altero ex humeris neglecto, capillitium demittunt copiosum, barbam alunt, ungues ferinos gerunt, & cùm nihil se desiderare dicant, indigent tamen secundùm Proteum coriario propter peram, textore*

propter tunicam, lignario propter baculum, denique & coquo propter gulam; aliaque Justinus & Tatianus Philosophis exprobabant, quasi oppositum iis quæ docebant facientibus, & summâ rerum Divinarum ignorantiâ laborantibus: cùm è converso Christianorum gesta doctrinæ responderent, & sublimia de Deo sentirent. Hæc audientes Philosophi elatione ac superbiâ turgidi, colligat quisquis, quanto furore accenderentur. Cùmque ea ad Marcum Aurelium suis aucta querelis deferrent, quantum ab eo ipsis maximè dedito auctoritatis in Christianos se ulciscendi acceperint, cogitet Lector.

IV. Altera causa fuit hæc: Marcus Aurelius, ut Julius Capitolinus refert, ab infantia Ritibus ac Cæremoniis Romanis deditus, summâ curâ vigilabat, ut in hoc vetus Religio exactè custodiretur, nec quidquam novi induceretur: antiquo enim jure vetitum erat, ne nova Religio inveherentur: & gravia supplicia statuta adversùs novorum Numinum à Senatu non probatorum cultores. Porrò cùm Christiani Romanos Ritus detestarentur, & Christum, quem Senatus inter Deos referre (etsi Tiberio hoc petente) recusaverat, ut Deum colerent: facilè creditu est, Principem avitæ superstitionis observantissimum, *Qui*, eodem Capitolino teste, *octavo suæ ætatis anno ab Hadriano in Saliorum Collegium relatus est, & in Saliatu functus & Sacerdotio, & Præsul, & Vates, & Magister, & nonnullos inauguravit & exauguravit*, in Christianorum internecionem toto ardore conspirasse: maximè quia hi nedum veteres Ritus aspernabantur, & Christum ut Deum adorabant, sed insuper omnes Gentilium Deos contemnebant, quod apud ipsos immane sacrilegium erat, & læsæ Majestatis crimen excedens reputabatur, juxta Ulpianum L. 1. ff. ad Leg. Jul. Majest. *Proximum sacrilegio crimen est, quod majestatis dicitur.*

V. Quare licèt assentiar, Marcum Aurelium nullam generalem Legem sive Edictum de persequendis Christianis edidisse; nihilominus undique contra Christianos conclamantibus Populis, & Provinciarum Præsidibus Idolorum cultum everti nuntiantibus, negari non potest, privatis rescriptis eum præcepisse, ut contra Christianos secundùm Leges antea editas procederetur. Aderant autem Leges antiquæ quamcumque Religionem novam, nec à Senatu probatam damnantes. Aderat Trajani Lex omnes Christianorum associationes & cœtus vetans. Et ut refert S. Justinus Apolog. 1. pag. 43. (& ex ejusdem Martyrio apparebit) hoc solum quòd quis profiteretur se esse Christianum, sat erat, ut statim morti addiceretur. Hanc velut visibilem in-

injuſtitiam damnaverat quidem Antoninus Pius, expreſsè vetans, ut ſupra oſtendi, ne quis ob ſolam Chriſtiani nominis profeſſionem puniretur: & delatori pœnam imponens; ſed hujus juſti decreti obſervantiam ſtatim poſt ejus mortem exoleviſſe dicendum eſt, Populorum odio habentium veritatem inſtigatione: ut enim Euſebius ait in proœmio L.5.hiſt. tempore Antonini Veri: *Cùm in nonnullis terrarum partibus violentior adversùs noſtros Perſecutio commota eſſet ex incurſione Popularium, innumerabiles propè Martyres per univerſum Orbem nituiſſe, ex iis quæ in unica Provincia* (Galliæ: de quo infra) *contigerunt, conjicere eſt.*

VI. Ut autem furori Populorum Marcus Aurelius obſecundaret, maximam vim addebant Philoſophi, ergà quos magno ſtudio & amore, ut dixi, ferebatur: unde Julius Capitolinus proſequitur: *Tantum autem honoris Magiſtris ſuit detulit, ut imagines eorum aureas in larario haberet, & ſepulcra eorum aditu hoſtiis & floribus ſemper honoraret.* Hi ergo, videntes ſe à Chriſtianis, & maximè à Juſtino & Tatiano, tanquam indoctos ac inſcitos traduci, nec reſpondere valentes, Populos contra Chriſtianos accendebant, & Imperatorem, cujus lateri eorum aliqui ſemper aderant, ut Chriſtianorum nece Populis ſatisfaceret, excitabant. Hinc Populi effræni animoſitate Chriſti Fideles tanquam impios & atheos accuſantes, ſanguinem ipſorum clamoribus poſtulabant: Magiſtratus autem, quorum intererat hos ſeditioſos pœnis coercere, eos ſuâ auctoritate palàm muniebant, & contra Chriſtianos ut reos agebant, & Præſides, ut ait Juſtinus Apolog. 1. pag.41. Dæmonum Miniſtri effecti, omnes, qui ſe Chriſtianos eſſe profitebantur, extremo ſupplicio puniebant. *Maligni*, inquit, *Dæmones infenſi nobis, atque hujuſmodi Judices ſub ditione ſua habentes ſibique ſub Religionis nomine ſervientes, per eos ipſos tanquam Dæmoniis agitatos Principes occidi nos procurant.* Porrò, ut odium quo ferebantur aliquâ juſtitiæ ſpecie tegerent, Chriſtianos variis criminibus onerabant, ad quæ extorquenda eorum ſervos, pueros, mulierculas horrendis cruciatibus ſubjiciebant, ut eâdem Apolog.1. pag.50. Juſtinus refert. Eis cauſam ſuam dicere ac ſe juſtificare non permittebatur, ſed velut oves Ethnicorum furori victimæ non aperientes os ſuum immolabantur.

VII. Quis hæc audiens totale Eccleſiæ Chriſti exterminium non formidaſſet? & tamen hinc incrementum ſumebat. Quo plures è Fidelibus necabantur, eò plures etiam ex Ethnicis ei inſerebantur, ut meritò aſſimilari poſſit viti, quæ, dum putatione palmites ei abſcinduntur, eò plures regerminat. Ita fiduciâ ple-

plenus loquebatur S. Justinus in Dial. cum Tryphone pag. 337.: *Non esse qui exterreat & in servitutem redigat nos, qui Jesu nomina per Fidem dedimus, per terram omnem manifestum est. Quòd namque dum gladio percutimur, & in crucem agimur, & bestiis objicimur, & vinculis & igne & tormentis aliis omnibus plectimur & excruciamur, à professione nostra non discedamus, satis constat: & quantò magis ejusmodi quædam in nos expediuntur tormenta, tantò alii plures Fideles & veræ Religionis per nomen Jesu fiunt cultores. Quemadmodùm enim si quis vitis excidat fructificantes partes, ut palmites, qui alios floridi & frugiferi protrudant ramos, illa proferat, facit: ita in nobis quoque accidit. Plantata namque est à Deo & Christo Servatore vitis, & vinea Populus ejus.*

His Justinus ostendebat, Religionem Christi esse veram & sanctam Tryphoni Judæo, nimirùm illam vitem, de qua Psalm. 127. v. 3. Propheta dicit *Uxor tua sicut vitis abundans seu exuberans*; quia dum ab ea palmites suorum nece exciduntur, novos ac plures frugiferos palmites semper producit: & quamvis eam è toto terrarum Orbe Gentiles ac Judæi eradicare conentur, altiores tamen ubique jacit radices. Quia verò Judæi asserebant hæc de se ipsis dicta esse; nam & ipsi Patriâ ejecti angustiis ubique premebantur; respondebat Justinus, hoc eos jure & in pœnam pati: *Qui si bello superati & ejecti (è Patria) estis, sicut Scripturæ omnes attestantur, jure hoc perpessi estis. At nos, qui nihil tale admisimus, posteaquam veritatem Dei cognovimus, testimonium è Deo habemus, nos unà cum justissimo & solo immaculato & à peccato immuni Christo, è medio tolli. Clamat enim Esaias* (cap. 57. v. 1.) „ Ecce quomodò perit Justus, & nemo percipit corde: & viri justi tolluntur, & nemo considerat. „ His Justinus ex augmento Religionis Christianæ inter Persecutiones, à Marco Aurelio suo tempore excitatas; veritatis illius sumit argumentum. Quod ex dicendis Sole clarius apparebit.

§. III.

SS. Glyceriæ, Felicitatis & filiorum ejus Martyria.

I. QUamvis Eusebius in Chronico initia Persecutionis ad annum 167. protrahat, nempè Marci Aurelii Antonini septimum: Alii tamen persecutionis initium ad initia Imperii ejusdem referunt, nempè ad annum 161. aut 162. Ut enim ait Orosius L. 7. cap. 15., cœpit Persecutio in Christianos tempore belli contra Parthos, quod duravit ab anno 161. usque ad 165.

An-

Anno igitur 161. vel 162. consignatur illustre certamen S. Glyceriæ, quod die 13. Maii utraque Ecclesia celebrat. Græca enim in Menol. Basilii illud sic describit: *Glyceria Christi Martyr fuit temporibus Antonini Imperatoris, & Sabini Præsidis in Trajanopoli Thraciæ Urbe. Cùm autem quâdam die Præses Idolis sacrificaret, ipsa venerando Crucis signo in fronte munita ad eum accessit, Christianam sese esse ac famulam Christi professa. Tunc hortante Præside, ut ipsa sacrificaret, Idolorum Fanum ingressa & precibus ad Christum fusis, simulacrum Jovis dejecit & contrivit. Quamobrem capillis suspensa, ferreisque ungulis dilaniata, in carcerem conjicitur, ubi ab Angelo pascitur. Tum è carcere educta in ardentem fornacem projicitur: sed extincto per rorem Divinum igne, illæsa evadit. Postea detractâ capitis pelle, denuò in carcerem detruditur, ubi ab Angelo sanata, Custodem carceris ad Christi Fidem convertit, qui illicò capite obtruncatur. At Sancta feris objecta vitam finivit: & Reliquiæ ejus in Heraclea Thraciæ Urbe depositæ sunt.* Hæc in Femina & per Feminam in testimonium suæ Veritatis Christi virtus operatur. Martyrologium Romanum eam ponit Heracleæ dicens: *Heracleæ S. Glyceriæ Martyris Romanæ, quæ sub Antonino Imperatore, & Sabino Præside passa est.* Sed facilè pro loco Martyrii designat locum sepulcri, quod à Græcis celebratur propter oleum ex ipso manans. An S. Glyceria Virgo fuerit, ignoratur.

II. Sub eodem Marco Antonino emicuit Sanctæ Felicitatis & septem Filiorum ejus Martyrium (anno 164.) Ejus constantiam multis laudibus extulerunt Patres: S. Gregorius hom. 3. in Evang.: (habita in Basilica sub ejus nomine Romæ in die Natalis ejusdem) *Adest*, inquit, *Beata Felicitas, cujus hodie natalitia celebramus, quæ credendo extitit ancilla Christi, & prædicando facta est mater Christi. Septem quippè filios, sicut in Gestis ejus emendatioribus legitur, sic post se timuit vivos in carne relinquere, sicut carnales parentes solent metuere, ne mortuos præmittant. In Persecutionis labore deprehensa filiorum corda in amore supernæ Patriæ prædicando roboravit; & parturivit spiritu quos carne pepererat, ut prædicatione pareret Deo quos carne pepererat Mundo.* Et post multa: *Non ergo hanc Feminam Martyrem, sed plus quàm Martyrem dixerim, quæ septem pignoribus ad Cœlum præmissis, toties ante se mortua, ad pœnas prima venit, sed pervenit octava.* S. Petrus Chrysologus quoque Serm. 134.: *Discurrebat*, inquit, *lætior inter confessa cadavera, quàm inter cunabula cara filiorum, quia internis oculis tot cernebat bravia quot vulnera, quot tormenta tot præmia, quot victimas tot coronas.*

III. Ejus

III. Ejus Festum tum antiqua Martyrologia tum S. Gregorii Sacramentarium ab ejus filiorum festo distinguunt: nam filiorum memoriam ad diem decimum Julii referunt, matris verò ad diem vigesimum tertium Novembris, ut etiam in Martyrologio Romano legere est. In quo tamen observo, quòd Martyrium filiorum ponit sub Antonino Pio, sic enim habet die 10. Julii: *Romæ Passio Sanctorum septem Fratrum filiorum Sanctæ Felicitatis Martyris, idest Januarii, Felicis, Philippi, Silvani, Alexandri, Vitalis, & Martialis, tempore Antonini Pii Imperatoris sub Præfecto Urbis Publio*: Martyrium verò Matris die 23. Novembris sub Marco Antonino: *Romæ Sanctæ Felicitatis matris septem filiorum Martyrum, quæ post eos jubente Marco Antonino Imperatore decollata est pro Christo*. Cùm autem Martyrium S. Felicitatis statim vel paulò post filiorum Martyrium secutum sit, non est credibile sub diversis Imperatoribus ea contigisse, nempè istud sub Marco Aurelio, illud verò sub Antonino Pio, maximè quia iste, ut dixi, Christianos vetuit puniri. Quare Acta, quæ exhibet Pater Ruinart, ponunt quidèm temporibus Antonini (hoc enim cognomine vocabatur etiam Marcus Aurelius), sed non addunt *Titi* aut *Pii*. Ita sentit etiam Baronius ad annum 175., cui adhæret Tilmontius; licèt Ruinart oppositum teneat, qui hoc Martyrium ad annum 150. refert.

IV. Passio igitur ita in præfatis Actis describitur: Factâ seditione Pontificum Felicitas cum septem filiis tenta delata est, quòd Christiana esset ac Deos contemneret; nec aliâ viâ eos placari posse, nisi ipsa cum filiis Diis immolare cogeretur. Tunc Imperator Publio Præfecto injunxit, ut matrem ac filios sacrificare compelleret. Publius ergo singulos fratres advocans, eis primò bona promisit si parerent, mala autem & mortem si renuerent minitatus est. Sed cùm constantes singulos, maximè adhortante Matre, invenisset, omnia ad Imperatorem detulit. Imperator verò misit eos ad Judices, ut variis suppliciis afficerentur. E quibus unus Judex primum fratrem (Januarium) plumbatis occidit post verbera & carcerem: alter secundum & tertium (Felicem & Philippum) fustibus mactavit: alius quartum (Silvanum) præcipitio interemit: alius quintum sextum & septimum (Alexandrum Vitalem & Martialem) capitalem fecit subire sententiam: alius Matrem illorum (Felicitatem) capite truncari jussit. Et ita omnes diversis suppliciis interempti unà cum matre triumphantes ad præmia cœlestia convolarunt, præclarum pro Fidei Christianæ Veritate testimonium posteris relinquentes.

§. IV.

§. IV.

SS. Ptolemæi & aliorum Martyrium.

I. De veritate Actorum S.Ptolemæi dubium esse non potest, cùm ea de visu referat S.Justinus in Apolog.1. pag.43.. Dubitatur tamen ab aliquibus, sub quo Martyrium sit passus: an sub Antonino Pio, ut in Martyrol. Rom. die 19. Octobris; an sub Marco Aurelio. Sub hoc passum fuisse censet Eusebius L.4. hist. Eccles. cap.17. & 18.: estò autem Valesius sese opponat, Hieronymus tamen de Script. Eccles. cap.23. & Photius Cod.125. Eusebio consentire videntur; & Critici etiam recentiores: qui tamen putant, quòd Apologia S.Justini, in qua refert Martyrium Ptolemæi, quæ vulgò ponitur prima, revera sit secunda, quia paulò ante suum Martyrium scripta, & hæc Marco Aurelio fuerit oblata; quæ verò asseritur secunda sit prima, & hæc Antonino Pio ut præfert titulus præsentata fuerit. Videri de hoc possunt P. Ruinart. Act. Mart. p.52., ubi de S. Ptolemæo agit, & Alexandre tom.1. hist. Eccles. secul.2. cap.4. art.2.num.8.: quos adire non pigeat, meum enim non est in præsens de his laborare.

II. S. Ptolemæi Martyrium, ut S. Justinus & Eusebius L.4. cap.17. narrant, & Martyrol. Rom.19. Octobris describit, ita contigit. Cùm enim Romæ Ptolemæus impudicam Mulierem ad Christi Fidem convertisset, & castitatem colere docuisset; & hæc omnibus modis etiam Virum suum ab impuritate retrahere, & ad Christum adducere incassum tentasset, ab isto ad Præfectum Urbicum Ptolemæus adductus, quòd esset Christianus accusatur. Cùmque post carcerem in Confessione Fidei Ptolemæus persisteret, jussus est duci ad mortem. Lucius quidam cùm & ipse esset Christianus, & sententiam Urbici improbaret, sese Christianum liberè confessus, similem sententiam accepit, quibus & alius tertius conjunctus est, qui eodem supplicio damnatus fuit.

III. Hæc non Romæ solùm, sed & in omnibus Provinciis à Præsidibus, Populis (seu veriùs Dæmone) eos clamoribus inflammantibus agebantur; & præcipuè in Asia, ubi Persecutio atrociter fuit anno 166. ineunte. Nec pestis quæ anno 165. ab Oriente in Occidentem per omnes Imperii Provincias grassata fuerat, eos deterruerat; quin putantes irâ suorum Numinum ob toleratos Christianos hæc evenisse, majori odio accensi eos

undique exterminare conabantur, Statio Quadrato Proconſule. Sed furorem Paganorum vicit conſtantia Martyrum: ut enim narrat Euſebius L.4. cap.15. ex Epiſt. Eccleſiæ Smyrnenſis de Martyrio S. Polycarpi, quantam animi conſtantiam in doloribus perferendis Fideles oſtenderint, hiſce verbis celebrat: *Obſtupeſcebant omnes, qui aderant, cùm illos viderent, partim flagris ad ultimas uſque venas & arterias laniatos; adeò ut corporis membra penitùs recondita, & viſcera ipſa conſpectui paterent: partim Concharum, quæ buccina dicuntur, teſtis & præacutis quibuſdam ſpiculis humi conſtratis ſuperpoſitos, & omni ſuppliciorum ac tormentorum genere excruciatos; beſtiis denique, ut ab iiſdem laniarentur, objectos*. Et dum qui aderant horrore commoti & compatientes lacrymas ſuper illos continere non poterant, ab ipſis tormentorum vis nec ejulatum nec lacrymas poterat extorquere. Aderat enim Chriſtus, qui interiùs eis loquebatur, cujus præſentiâ & voce fiebat, ut quamvis adhuc eſſent in corpore, ita gloriæ ſibi imminentis gaudio perfunderentur, ut ac ſi extra corpus eſſent corporis ærumnas non ſentirent.

IV. *Præcipuè verò* (pergit Euſebius) *enituiſſe dicunt generoſiſſimum Germanicum, qui Divinâ adjutus gratiâ mortis metum corpori à natura inſitum ſuperavit. Nam cùm Proconſul verbis eum flectere vellet, admonenſque illum ætatis, oraret ut memor adoleſcentiæ ſuæ ſibi ipſi parceret, ille nihil cunctatus, ultrò in ſe attraxiſſe beſtiam dicitur, propemodùm eam adigens ac ſtimulans, quò ab hoc impio injuſtoque ſeculo velociùs abſcederet*. Sed de hoc etiam dixi Tomo præcedente cap. 9. de Martyrio S. Polycarpi (qui ſub eodem Marco Aurelio paulò poſt paſſus fuit) §.2. num.5. De hoc Germanico Martyrol. Rom. agit 19. Januarii his verbis: *Smyrnæ natalis Beati Germanici Martyris, qui cùm primævæ ætatis venuſtate floreret, ſub Marco Antonino & Lucio Aurelio per gratiam virtutis Dei metum corporeæ fragilitatis excludens ſpontè præparatam ſibi beſtiam damnatus à Judice provocavit, cujus dentibus comminutus, vero pani Domino Jeſu Chriſto, pro ipſo moriens, meruit incorporari*.

V. Smyrnenſium conſtantiam ſuo Martyrio non diù poſt coronavit S. Polycarpus illius Eccleſiæ Epiſcopus, quod ſupra loco citato pro dignitate expendi. Quo exſaturata crudelitas viſa fuit à Perſecutione deſiſtere, in Aſia tamen; nam ſequenti anno 167. S. Juſtinus Romæ ſanguinem pro Chriſto fudit, de quo infra loquar. Imò & in Aſia Chriſtiani ſanguinis ſitis non diu manſit ſedata. Nam circa annum 170. S. Melito Sardenſis in Lybia Epiſcopus Apologiam ſuam pro Chriſtianis Marco Aure-

lio

lio obtulit, conquerens, quòd tunc in Asia publicis Magistratuum Urbium Edictis (quod nunquam antea factum fuerat) Christiani inquirerentur ad necem: nec credens, ejus voluntate fieri, ut homines, qui nemini læsionem aut injuriam inferebant, die ac nocte tanquam rei traducerentur, ejus protectionem implorat. An hâc Apologiâ aliquid Melito consecutus fuerit, incertum est. Si quid tamen obtinuit quietis & pacis, hanc parùm durasse sequentia demonstrabunt.

VI. In Asia enim circa illa tempora durum sustinuerunt agonem S. Victor Miles unà cum Corona (quam Græci Stephanidem vocant). Hunc Martyrol. Rom. 14. Maii ita describit. *In Syria Sanctorum Victoris, & Coronæ sub Antonino Imperatore: ex quibus Victor à Sebastiano Judice variis & horrendis affectus est cruciatibus; quem Corona uxor cujusdam Militis, cùm cœpisset Beatum prædicare ob Martyrii constantiam, vidit duas coronas de Cœlo lapsas, unam Victori, alteram sibi missam: cùmque hoc audientibus cunctis testaretur, ipsa quidèm inter arbores scissa, Victor verò decollatus est*. Græci verò in Menol. Basilii die 11. Novembris ajunt: *Sanctus Victor Antonino Imperatore & Sebastiano Italiæ Duce claruit. Comprehensus verò, Christumque ejurare compulsus, cùm nullâ ratione ad id induci posset, luxatis digitorum articulis, in fornacem projicitur: deinde lethali pharmaco, quod sibi à Mago porrectum fuerat, exhausto, nulloque prorsùs damno affectus, Magum ad Christum convertit: erutis demum oculis, capite plectitur. Ea res inspectantem Sanctam Stephanidem movit, ut summam Sancti felicitatem efferret ac prædicaret. Quamobrem comprehensa, atque ad duas palmas, quæ in unum contortæ fuerant, alligata, præcisis repentè vinculis, in duas partes scinditur*. Ita Græci, qui aliqua addunt, aliqua tacent. Solùm dum dicunt, SS. Martyres sub Sebastiano Italiæ Judice fuisse passos, videntur indicare eorum Martyrium in Italia peractum fuisse; quod tamen esset falsum, cùm etiam Græca Acta eos Damasci passos asserant: & licèt alii velint, eos fuisse passos Alexandriæ, aut Lycopoli in Thebaide, communiùs tamen in Asia creditur; qua autem in Urbe tanquam non certum omittitur.

Id autem quod de S. Corona seu Stephanide dicitur, quòd *fuerit inter arbores scissa*, indicat speciale supplicii genus, quod ut notat Baronius in Notis ad 14. Januarii Plutarchus vocat *Diasphendonem*, cùm duarum arborum incurvatis cacuminibus alligatum hominis corpus ad pedes, eisque subitò dimissis, per medium dissecaretur. Ab Aureliano Imperatore idipsum mortis genus esse adhibitum adversùs Militem, qui violaverat thorum

hospitis, auctor est Flavius Vopiscus in Aureliano dicens: *Solus denique omnium militem, qui adulterium cum hospitis uxore commiserat, ita punivit, ut duarum arborum capita inflecteret, quas ad pedes militis deligaret, easdemque subitò dimitteret, ut scissus ille utrimque penderet.* Hoc supplicio S.Corona, græcè Stephanides, affecta fuit: quis ad tantam barbariem non exhorreat?

VII. Alterius similiter Militis Hermiæ nomine Comanis in Cappadocia insigne extitit Martyrium, quod exhibet Martyrol. Rom. die 31. Maii, & eâdem die Menolog. Basilii ita describit: *Hermias Christi Martyr fuit ex Urbe Comanis, imperante Antonino vitam militarem agens, jamque ætate provectus canosque capillos habens. Ob Christi autem Confessionem captus, Sebastiano Duci sistitur, ab eoque compellitur Idolis sacrificare. Sed cùm id facere recusaret, in maxillis lapidibus contunditur; deinde detractâ totius vultus pelle, dentes eidem evelluntur. Mox in ardentem fornacem injectus, indeque sine noxa egressus, jubetur venenatis cibis vesci. Sed cùm hos quoque citra damnum sumsisset, ad Christi Fidem convertit eum qui illos præparaverat Magum, & capite plexum ad coronam Martyrii præmisit. Ipse autem succisis totius corporis nervis in ardentem lebetem immittitur, ex quo cùm incolumis evasisset, effossis oculis, capite inverso suspensus, tandem decollatus fuit.*

VIII. Ad hæc Marci Aurelii tempora refertur etiam Martyrium S. Publii Athenarum Episcopi, cùm S. Dionysius, qui Ecclesiam Corinthi anno 170. regebat, dicat apud Eusebium L.4. cap.13., in Persecutionibus antea excitatis Publium Martyrium obiisse, & eo tempore Ecclesiam à Fide quam amplexa erat propemodùm excidisse, sed in eam zelo Quadrati ejus successoris restitutam. *Qua in re* (Dionysius) *negligentiam arguit Atheniensium, quippe qui à Fide propemodùm descivissent, ex quo Publius ipsorum Episcopus in Persecutionibus tunc temporis excitatis Martyrium subierit. Meminit etiam Quadrati, qui post Martyrium Publii Episcopus Atheniensium est constitutus, ejusque labore & industriâ Cives denuò in Ecclesiam convenisse, & redivivum Fidei ardorem in illis reparatum esse testatur.* Ita Eusebius citatus loquens de Epistola S. Dionysii ad Athenienses scripta. Dubitari tamen jure posse censeo, Publium non sub Marco Aurelio, sed ante passum fuisse: nam Dionysius dicit, eum passum *in Persecutionibus tunc temporis excitatis*, quæ indicant Persecutiones remotas. Unde S. Hieronymus L. de Script. Eccles. in Quadrato cap.19. Publii Martyrium videtur ponere sub Hadriano, quem sequitur P. Ruinart præfat. in Act. Mart. §.3. pag.39.

§.V.

§. V.

S. Justini Genus Gesta & Martyrium.

I. S. Justino speciali titulo Martyris prærogativa jure debetur, quippe qui non sanguine solùm, quod ipsi cum aliis commune est, sed etiam verbis & scriptis Veritati Religionis Christianæ testimonium perhibuit, eamque contra Gentilium Judæorum & Hæreticorum calumnias strenuè vindicavit, adeò ut Gentilium furorem saltem ad tempus mitigarit, ut dicetur. Propterea Tertullianus L. adversùs Valentinianos cap. 5. laudans Viros *sanctitate & præstantiâ insignes*, qui ante ipsum contra Hæreticos decertarant, primo loco recenset *Justinum Philosophum & Martyrem*: & Eusebius L.4. hist. cap.11. *Eâdem*, inquit, *tempestate præ cæteris omnibus florebat Justinus, sub habitu Philosophi Verbum Dei prædicans, & scriptis voluminibus pro Fide nostra propugnans*: & cap.16. affert Tatiani verba, Justinum *virum omnium admiratione dignissimum* proclamantis: quod ejus opera clarè demonstrant.

II. Genus & Patriam suam prodit Justinus ipse in titulo Apologiæ secundæ, seu veriùs primæ: nimirùm *Justinus Prisci Bacchii filius, Flaviæ quæ nova Civitas est Syriæ Palæstinæ ortus*: quæ Eusebius L.4. cap.12. exponit sic: *Justinus Prisci filius, Bacchii nepos, oriundus Flaviâ Neapoli, Urbe Syriæ Palæstinæ*. Quibus apparet, Priscum fuisse Justini patrem, Bacchium avum, Neapolim Syriæ Palæstinæ Urbem patriam, Flaviam dictam à Flavio Vespasiano, à quo in Coloniam Romanorum fuerat creata. Urbs hæc in Provincia Samariæ sita erat, celebris in Scripturis sub nomine *Sichem* seu *Sicar* olim Josepho teste L.11. Antiquit. cap.8. Samariæ Metropolis tempore Alexandri Magni, propè fontem Jacob & Templum Schismaticum Garizim sita. Vocabatur ante Mabartha seu Mamortha, teste Plinio; à Recentioribus autem *Naplos* seu *Napoliza* dicitur: ex quibus colligitur, alienum à vero non fuisse S. Epiphanium, quando hæres.46. de S. Justino dixit: *Qui ex Samaritis in Christum credidit. Hic enim Justinus Samarita erat genere*, Patriâ nempè non Religione.

III. Parentibus Gentilibus natus, in Græcorum Ritibus educatus fuit: sic enim ipse initio Orationis ad Græcos, *Ne existimate*, inquit, *Græci, nullâ me cum ratione, aut nullo cum judicio à vestris Ritibus defecisse*. In Dialogo autem cum Trypho-

phone pag.219. refert, primò Stoicæ Philosophiæ se dedisse, in qua cùm nihil de Deo audiret, ad Peripateticam, deinde ad Pythagoricam, tandem ad Platonicam defecisse. In hac cùm sæpè audiret loqui de notionibus & ideis incorporeis, sperans, se illicò perspecturum Deum, valdè delectabatur. Quod ut faciliùs assequeretur, elegit solitudine prolixiùs uti, & hominum consortia vitare. Itaque locum quendam Mari proximum elegit, ubi cùm quâdam die circa littus Maris solus ambularet, occurrit ei vetulus quidam Senex aspectu minimè contemnendus, cum quo multa locutus, & ab eo Christianæ Religionis Veritatem edoctus fuit, eumque post ampliùs non vidit. Quàre (inquit Justinus) *revolvens ipse mecum disputationem illius, hanc ipsam solam comperi esse certam atque utilem Philosophiam.* Et ita Christianam Religionem amplexus est. Alteram conversionis suæ causam affert ipse in Apologia 1. fuisse constantiam Martyrum, quos cùm videret nullis tormentis nec morte ipsâ à Fide Christiana dimoveri posse, intulit, eos in vera Religione esse. Ita enim apud Eusebium L.4. cap.8. ait: *Nam & ego qui Platonis doctrinam amplexus fueram, cùm Christianos calumniis appeti audirem, eosque adversùs mortem & cætera, quæ formidabilia habentur, fortes atque intrepidos viderem; sic apud me reputabam, fieri non posse, ut iidem vitiis ac voluptatibus dediti essent. Quis enim voluptatibus deditus aut intemperans, & humanis carnibus vesci pro deliciis habens, mortem ipsam possit libenter amplecti, quæ suas ipsi cupiditates ereptura sit? Ac non potiùs omnibus modis contendat, ut in hac vita perpetuò degat, ac Magistratus ipsos lateat; nedum se ipsum necandum ultrò prodat ac deferat?* En intrepida Martyrum in obeunda etiam spontè morte constantia Justino Philosopho argumentum fuit, Religionem Christianam esse veram.

IV. Christianus igitur Justinus factus, quantâ dicendi libertate & contemtu mortis cœperit in Ethnicam Superstitionem invehi, ejus scripta evidenter demonstrant. Apologia 2. pag.54. Ethnicos arguens, quòd Christianos ex solo Christiani nomine ad supplicia traherent, ait: *Ex nomine ipso certè neque laus cuiquam neque pœna rectè debetur; nisi quid vel per virtutem vel per pravitatem factum esse ab eo probari potest. Ac vos quidèm ex eis, qui sacra vestra colunt, accusatos omnes non priùs pœnâ, quàm rei peragantur, afficitis; de nostris autem (Christianis) nomen ipsum tanquam criminis comperti argumentum arripitis, cùm quidèm nominis causâ delatores potiùs mulctare deberetis..... Et contra si quis ex eis, qui inter reos relatus est, se voce Christianum esse neget, eum absolvitis, tanquam nihil in eo, quod delicti nomine reprehendatis, habentes.*

At

At ipſe è contra contemnens omnia Apolog.1. pag.51. ait: *Ut Chriſtianus invenirer, me & votis omnibus optaſſe, & omni contentione decertaſſe profiteor*. In quo animo adeò forti perſtitit, ut in Dialogo cum Tryphone pag.349. dicat: niſi, *ut vera loquar, neminem prorsùs veriturus, quamvis è veſtigio in partes à vobis diſcerpar*. Et in exemplum affert, ſe nec Popularium ſuorum Samaritanorum rationem habuiſſe, ſed ſcripto Cæſarem compellaſſe, cùm vidit eos in errorem ſeductos Simoni Gentis ſuæ Mago parere, eumque Deum eſſe fateri.

V. Quamvis S. Juſtinus relictâ Palæſtinâ, in qua Mundo natus & Chriſto renatus fuit, Romam ſe contulerit, ibique ſedem fixerit, ubi etiam gloriosè Martyrium conſummavit; attamen non tollitur, quin alias etiam Regiones Veritatis effundendæ zelo percurrerit. Eum enim in Aſia fuiſſe conſtat ex Dialogo, quem Epheſi habuit cum Tryphone Judæo. In Ægypto etiam; In Cohortat. ad Græcos pag.14. dicit, ſe fuiſſe Alexandriæ, *& veſtigia domuncularum* (ſingulis 70. Interpretibus aſſignatarum) *apud Pharum adhuc reliqua* vidiſſe. Cumis quoque in Campania fuiſſe, & ibi Baſilicam ingentem uno fabrefactam ſaxo, ubi oracula Sybilla, Cumana dicta, Majorum traditione ediderat, ſe conſpexiſſe, ibidem pag.35. affirmat. Stabile tamen ac fixum domicilium habuit Romæ, ubi ſub Philoſophi habitu Verbum Dei ad ſe accedentibus prædicabat, & ſcriptis voluminibus pro Fide noſtra propugnabat, ut ait Euſebins L.4. cap.11., & S. Hieronymus L. de Script. Eccleſ. cap.23., ubi Libros ab ipſo conſcriptos recenſet; quod facit etiam Photius Cod.125.

VI. Verùm cùm & verbo & ſcripto quendam Philoſophum Cynicum nomine Creſcentem continuò redargueret, & de doctrina & moribus eum increparet, ab iſto coram Imperatore M. Aurelio accuſatus, Martyrio tandem coronatus fuit. Hoc omnes prælaudati Patres concorditer aſſerunt, & Juſtinus ipſe ſibi fore prædixerat Apolog.1. pag.46. dicens: *Et ego igitur expecto, ut ab aliquo eorum, qui nomine ſunt Philoſophi, inſidiis appetar, & ligno infigar, vel ab ipſo etiam Creſcente Philoſopho & Philocompo, hoc eſt ſtrepitus popularis & inſolentis arrogantiæ amatore. Indignus namque eſt, qui Philoſophus & ſapientiæ amator dicatur; propterea quòd publicè de rebus quas ignorat, videlicet quòd Chriſtiani athei prorsùſque ſine Deo & impii ſint, aſſeverat* &c. Creſcentis hujus vanitatem & ſordidos mores deſcribit Tatianus ipſe (tunc Juſtini Diſcipulus & verus Catholicus) in Orat.contra Græcos, quæ extat inter S.Juſtini Opera pag.16., & ex

& ex Tatiano refert Eusebius L. 4. cap. 16. dicens: *Crescens quidem, qui in urbe Roma nidulum suum fixerat, fœdis puerorum amoribus & avaritiæ super omnes mortales deditus fuit. Et qui alios hortabatur; ut mortem contemnerent, ipse tantoperè eam formidabat, ut Justino tanquam gravissimum malum mortem comminaverit, eò quòd ille Veritatem prædicans, Philosophos helluones & deceptores esse convinceret. Et hæc quidèm Justino causa Martyrii fuit.*

VII. Contra Justinus quod verbo & scripto docuerat opere comprobavit. Scripserat ipse Apolog. 2. pag. 53.: *Qui verè Pii & Philosophi sunt, eos solam veritatem in pretio habere & colere debere, ratio dictat; Veterum opinionibus, si pravæ sint, insistere detrectantes. Non enim solùm, ut ne eos qui injustè quidquam egerint aut statuerint sequamur, sana ratio suadet; verùm etiam modis omnibus præ sua quoque ipsius animâ veri amatorem quemque, vel si mors intentetur, ut quæ justa sunt dicat & faciat, eligere oportet.* Quare audiens, se ad Judicem & ad mortem pro veritate vocari, adivit intrepidus, sciens, quòd occidere quidèm poterat, at nocere non poterat, ut in eadem Apologia ipse docuerat.

VIII. Comprehensi ergo (ut ferunt Acta apud Baronium ad annum 165. num. 2., & Ruinart) Justinus, & qui cum illo erant, adducti sunt ad Romæ Præsidem, Rusticum nomine. Quibus ante Tribunal constitutis, Rusticus Præses dixit Justino: *Age, esto Diis ipsis obediens, & Imperatoris Edictis*: & respondente Justino: *Nemo unquam reprehendi aut condemnari poterit, qui Salvatoris nostri Jesu Christi præceptis obedierit.* Tunc interrogante Rustico, cujus eruditionis ac disciplinæ esset, respondit Justinus, se omnia disciplinarum genera addiscere conatum esse, sed postremò Christianæ disciplinæ adhæsisse. Tum Rusticus miserrimum ipsum appellans, quæsivit, quale esset Christianum dogma. Cui Justinus: *Rectum*, inquit, *dogma, quod Christiani homines cum pietate servamus, hoc est, ut Deum unum existimemus Factorem atque Creatorem omnium, quæ videntur, quæque corporeis oculis non cernuntur; & Dominum Jesum Christum Dei Filium confitemur olim à Prophetis prænuntiatum, qui & humani generis Judex venturus est* &c.. Ab his digressus Rusticus, à Justino quæsivit, quo in loco Christiani convenirent: sed cùm responderet Justinus, Christianum convenire quò vellet aut posset; *nam Christianorum Deus loco non circumscribitur. Sed, cùm invisibilis sit, Cœlum ac terram implet, atque ubique à Fidelibus adoratur & ejus gloria collaudatur.* Et urgente Præfecto, quem in locnm congregaret Discipulos suos, Justinus respondit: *Ego propè domum Martini cujusdam, ad balneum cognomento*

mento Timiotinum (seu Timothinum) *hactenùs mansi. Veni autem in urbem Romam secundò: neque alium quempiam locum, nisi quem dixi, cognosco. Ac si quis ad me venire voluit, communicavi cum illo Veritatis doctrinam.* Ergo Christianus es tu: inquit Rusticus: at Justinus: *maximè, Christianus ego sum.*

IX. Tunc conversus Rusticus ad Justini socios dixit: *Charitoni*: an & tu Christianus es? Cui Chariton: *Christianus ego sum, Deo adjuvante.* Idem à *Charitana* muliere quæsivit, quæ *se quoque Deo dante Christianam esse* respondit. Tunc *Evelpisto* dixit: Tu verò quisnam es? qui ait: *Servus quidèm Cæsaris sum: sed Christianus à Christo ipso libertate donatus, & illius beneficio atque gratiâ, ejusdem spei, cujus & isti sunt, quos vides, particeps factus.* Post hæc Præfectus quæsivit ab *Hierace*: an & ipse Christianus esset: cui Hierax, *certè*, inquit, *Christianus & ego sum: eundem enim Deum colo atque adoro.* An, subdidit Præfectus, Christianos vos fecit Justinus? *Ego*, inquit Hierax, *& fui & ero Christianus.* Stans autem & *Pæon* dixit: *ego quoque sum Christianus.* Et quisnam, inquit Præfectus, te docuit? respondit ille: *A Parentibus bonam hanc Confessionem ego accepi.* Post hunc *Evelpistus* dixit: *Et ego Justini quidèm sermones magna cum voluptate audiebam, sed à Parentibus tamen & ipse Christianus esse didici.* Tunc Præfectus: & ubinam Parentes tui sunt? *In Cappadocia*, inquit Evelpistus. Quæsivit Præfectus & ab Hierace, ubinam Gentium essent ejus Parentes. Cui respondit Hierax: *Verus Pater noster Christus est, & Mater Fides, quâ in ipsum credimus: terreni verò Parentes mei mortui sunt, cæterùm ego ab Iconio Phrygia abstractus veni.* Quæsivit Præfectus à *Liberiano*: quidnam & ipse diceret, num & Christianus esset, atque in Deos impius. *Et ego*, inquit, *Christianus sum: colo enim & adoro solum Deum verum.*

X. Tunc Præfectus ad Justinum conversus dixit: Audi tu, qui eloquens esse diceris, & putas te veram disciplinam tenere: si à capite per totum corpus flagellis cæsus fueris, persuasum ne habes, fore ut in Cœlum ascendas? Cui Justinus: *Spero*, inquit, *me habiturum quod habent qui Christi dogmata servaverint, si hæc ipsa quæ dicis perpessus fuero. Scio enim omnibus qui sic vixerint Divinam gratiam conservari, quoad totus Mundus consummetur.* Tunc Præfectus: ergo futurum opinaris, ut in Cœlum ascendas, mercedem aliquam recepturus? *Non opinor*, inquit Justinus, *sed scio, & hoc tam certum habeo, ut nihil dubitem.* Tunc Rusticus ait: Veniamus ad id quod propositum est, & nos urget. Convenite simul, & uno eodemque animo Diis sacrificate. Ad

hæc Justinus: *Nemo*, inquit, *qui rectè sentiat, pietatem deserit, ut in errorem atque impietatem delabatur*. Tunc Rusticus: nisi jussis nostris parere volueritis, cruciatus sine ulla misericordia patiemini. Justinus autem: *Maximè nos in votis habemus, propter Dominum nostrum Jesum Christum cruciatus perpeti, ac salvari: Hoc enim nobis salutem & fiduciam conciliabit ante ejusdem Domini & Servatoris nostri terribile illud Tribunal, cui totus Mundus Divino jussu assistet*. Idem & reliqui omnes Martyres dixerunt, hoc addentes: *Fac citò quod vis; nos enim Christiani sumus, & Idolis non sacrificamus*.

XI. Hæc audiens Præfectus talem sententiam pronuntiavit: *Qui Diis sacrificare, & Imperatoris Edicto parere noluerunt, flagello cæsi, ad capitalem pœnam abducantur, quemadmodùm Leges præcipiunt*. Itaque Sancti Martyres Deum collaudantes, ad consuetum locum perducti, post verbera securi percussi sunt, & in Salvatoris Confessione Martyrium consummarunt. Post hæc quidèm Fideles clam illorum corpora sustulerunt, & in loco idoneo illa condiderunt. Hæc Acta ab omnibus ut sincera reputata. De anno, quo S Justinus passus fuit sub Marco Aurelio, varii inter se Auctores sunt. Ejus mortem ad annum 170. protrahit Papebrochius. Ad annum 165. antevertit Baronius. Alii ad ann. 167. referunt, Marci Aurelii sextum, ut in Chronico Alexandrino: cui favere videtur Eusebius L.4. cap.16., Justini mortem Martyrio S. Polycarpi proximè conjungens his verbis: *iisdem temporibus & Justinus* &c. S. Polycarpus autem anno præcedente 166. passus fuerat.

XII. De S. Justini Martyrio memoriam colunt 13. Aprilis Latini, nullam tamen mentionem faciunt Sociorum: sic enim in Martyrologio Romano legitur: *In qua etiam Persecutione* (Marci Antonini Veri, & Lucii Aurelii) *Romæ passus est Vir mirabilis Justinus Philosophus, qui cùm secundum Librum pro Religionis nostræ defensione præfatis Imperatoribus porrexisset, eamque ibidem disputando strenuè propugnasset, Crescentis Cynici, cujus vitam & mores nefarios redarguerat, insidiis accusatus, quòd Christianus esset, remunerationem vitæ fidelis Martyrii munus accepit*. Hinc factum est, ut Papebrochius contendat, duos fuisse Justinos; unum Justinum Philosophum & Martyrem Romæ celebrem, & hunc Crescentis insidiis veneno necatum; alterum verò paulò post suum Romam è Græcia adventum à Rustico Urbis Præfecto tentum, qui cum aliis Martyrium subiit: & de hoc, non de primo Acta prælaudata esse accipienda. Tum quia, inquit eruditus Auctor, Justinus, de quo præfata Acta, Rustico

Præfecto ignotus erat, cum ab eo inquirat, *in cujusnam eruditionis ac disciplinæ genere versaretur*. Tum quia in præfatis Actis nihil legitur de libellis Imperatori oblatis, nec de disputationibus contra Philosophos, nec de Crescentis Cynici machinationibus. Quibus addi potest, quòd in Menolog. Basilii die 1. Junii duplicis Justini separatim commemoratio fit: unius Philosophi, libelli Imperatori oblati Auctoris pro Christiana Religione Scriptoris, qui *insidiis Crescentis Philosophi petitus, ab eo interfectus est*: alterius verò qui cum Sociis ab Urbis Romæ Præfecto comprehensus post interrogationes ab eo ipsi factas, ut in Actis supra relatis, *unà cum Sociis capite plexus est*.

XIII. Communis tamen sententia est, unum fuisse Justinum Martyrem, & hunc Philosophum, & de isto Acta prælaudata esse intelligenda. Ita sensere Veteres omnes. Tatianus ejusdem Justini Discipulus apud Eusebium L.4. hist. cap.16., Irenæus L.1. contra Hæreses cap.31. modò 28., Tertullianus L. adver. Valentinianos cap. 5., Epiphanius hæresi 46., Hieronymus L. de Script. Eccles. cap.23.: qui omnes dicunt, Justinum Martyrio obiisse, sanguinem fudisse, accusatum à Crescente Philosopho, quòd esset Christianus, non verò ab eo fuisse furtim veneno necatum. Confirmat Photius Biblioth. Cod.125. dicens de Justino: *Romæ autem commoratus sermonibus ibidem ac vitâ pariter ut habitu Philosophum egit: itaque cùm esset ferventi pietatis amore ac studio incensus, Crescentem quemdam ex iis, qui Cynici vocitantur, adversarium habuit, cum ipsi tum vitæ ac Religioni ejus obnitentem: à quo tandem insidiosè accusatus, ita ut toto ipsius vitæ instituto dignum erat, insidias istas pertulit. Martyrii namque hâc ansâ captatâ, splendidè lætoque animo pro Christo mortem appetiit*.

XIV. Nec obsunt quæ in contrarium allata sunt. Primò: nam etsi Romanum Martyrologium taceat Socios habuisse in Martyrio S. Justinum, dicit tamen eum Crescentis invidiâ accusatum Martyrem obiisse Romæ, & quidèm Justinum Philosophum, qui librum Imperatoribus pro Christiana Religione obtulerat, & hic est de quo prælaudata Acta loquuntur. Non enim secundò obest, quòd Rusticus eum interrogarit: cujus eruditionis & discisciplinarum esset. Hæc enim est juris formula, ut Judex accusatum, quamvis sibi aliàs notissimum, de nomine patria conditione ac professione interroget. Imò se benè nosse illum esse Justinum, qui Romæ dudum commorabatur docendo, dum ab eo iteratò petiit, ubi congregaret Discipulos suos: dum ab aliis, qui coram ipso adstabant, quæsivit, à quo conversi essent, an

à Justino. Rursus se esse illum, qui Romæ à multo tempore domicilium habebat, & ad quem accedebant qui volebant audire Veritatis doctrinam, Justinus ipse fassus est, ut Acta testantur. De quo ergo alio quàm de Justino Philosopho loquuntur? Crescentis Judex non meminit, sed solius Confessionis Fidei; nam in interrogatione rei expressio accusatoris non fit, sed criminis; ne videretur ex invidentia potiùs, quàm zelo justitiæ & Religionis illum damnare. Quod verò additur ex Menol. Basilii, solvitur dicendo, ibi de eodem Justino Philosopho sermonem esse, cujus primò genus, zelus pro Religione, & odium Crescentis ei exitium parantis, narrantur, deinde insidiarum exitus, Martyrii nempè quod sententiâ Rustici unà cum aliis sustinuit. Sed hæc satis: cùm ipsemet Papebrochius agnitâ Veritate sententiam suam priorem retractet tom 1. Junii Bollandiani pag. 16. &c., ut refert Ruinart.

XV. Passum fuisse S. Justinum sub Marco Aurelio, omnes consentiunt. Quòd si Epiphanius hæres. 46. dicit eum passum fuisse sub Hadriano, ex lapsu evenisse credi debet, cùm exploratum omnibus sit, eum ad Marci Aurelii tempora pervenisse, cui primam (veriùs secundam) pro Christianis obtulit Apologiam. Ejus corpus Romæ in Ecclesia S. Laurentii extra Urbem adhuc requiescere censent aliqui. Eistadii se illud habere PP. Societatis censent, ait Tilmontius. Bollandus tamen putat, neminem gloriari posse apud se hunc thesaurum possidere: reverà autem variis in locis etiam Romæ ejus Reliquiæ ostenduntur. Hoc certum est, eum in suis scriptis sui spiritus ac pietatis monumenta in Ecclesia reliquisse: quo gloriari debemus; & petere, ut apud Deum talem nobis spiritum intercedat, quo ejus zelum pro veritate Fidei imitari possimus; veræ enim Sanctorum Reliquiæ eorum imitatio est.

§. VI.

De Victoria per Christianos obtenta, & Martyribus Lugdunensibus.

I. ETsi Marcus Aurelius Christianorum hostis esset, ingentem tamen eorum numerum in suis Exercitibus habebat, qui ei inserviebant eâ fidelitate, quam omni Potestati, quæ à Deo est, Christianus debet. Insuper autem bonum pro malo ei reddentes, insigni miraculo precibus obtento anno 174. totum Exercitum à Germanis & Sarmatis, qui eum siti & armis obses-

sum

sum tenebant, liberarunt. Factum narrat Eusebius L.5. hist. cap.5. his verbis: *Cùm* (Marcus Aurelius) *adversùs Germanos & Sarmatas pugnaturus aciem instrueret, & Exercitus ipsius siti premeretur, penè ad inopiam consilii redactum esse memorant. Tum verò Milites Legionis Melitinæ, quæ Fidei merito etiam nunc manet, dum acies adversùs hostes ordinatur, flexis in terram genibus, ut nostris orantibus mos est, preces ad Deum fudisse perhibentur. Cujus spectaculi novitate hostibus stupefactis, aliud quiddam longè majori dignum admiratione accidisse narrant: Hinc quidèm fulminum jactus, quibus hostium copiæ in fugam versæ atque extinctæ sunt: Illinc verò imbrium vim, quibus Exercitus eorum, qui Deum precati fuerant, jamjam siti periturus, præter spem recreatus est. Atque ea res tum à Scriptoribus à Fide nostra penitùs alienis, quibus curæ fuit res eo tempore gestas memoriæ mandare, tum à nostris etiam hominibus refertur.*

Licèt autem dicat: *Sed Gentilium Scriptores, utpotè à Religione nostra dissidentes, hoc quidèm miraculum commemorarunt, non tamen id nostrorum precibus factum esse confessi sunt.* Nam Dio L. 71. Mago cuidam Ægyptio Arnulpho nomine, qui cum Imperatore tunc erat, illud tribuit. Suidas alteri Mago Chaldæo Juliano nomine: Romanæ Coloniæ gloriam Jovi Fulminatori & imbrifero dederunt. Julius Capitolinus, Themistius, & Claudianus ipsius Imperatoris precibus hoc evenisse asseverarunt.

Nihilominùs subjicit Eusebius: *Nostri verò utpotè Veritatis cultores simpliciter atque ingenuè rem ipsam litteris tradiderunt. Ex his est Apollinaris* (Hierapoli Episcopus facto coævus) : *qui Legionem ipsam, cujus precibus id miraculum perpetratum est, exinde congruo rei vocabulo fulmineam ab Imperatore cognominatam esse scribit. Sed & Tertullianus ejusdem rei idoneus testis est in Apologetico, quem pro Fidei nostræ defensione ad Senatum Urbis Romæ latino sermone conscripsit, cujus etiam supra mentionem fecimus, ubi hanc historiam validiore atque evidentiore argumento confirmat* (cap. 5.) *Scribit enim Marci gravissimi Imperatoris litteras adhuc suá ætate extitisse, quibus testabatur Exercitum Romanum in Germania cùm aquæ penuriá jamjam periturus esset, Christianorum precibus esse servatum. Eumdem quoque Principem capitis pœnam comminatum esse dicit accusatoribus Christianorum. Quibus ista subjungit: Quales ergo Leges istæ, quas adversùs nos soli exercent impii injusti truces vani dementes? Quas Trajanus ex parte frustratus est vetando inquiri Christianos. Quas nullus Hadrianus, quamquam curiositatum omnium explorator, nullus Vespasianus, quamquam Judæorum debellator, nullus Pius, nullus Verus impressit.* Hactenùs Eusebius.

II. Non

II. Non latet, Valesium aliosque Criticos, non admittere, Legionem illam dictam fuisse *Fulminatricem*, quia Legio sic dicta multò ante apud Romanos extabat. Sed hoc etiam dato: quis prohibet, hujusmodi nomen ob secutum prodigium fuisse etiam Legioni illi Christianæ applicatum? Apollinaris auctor coævus hoc dicit: ei ergo magis credendum est, quàm Recentioribus. Sed quidquid sit. Obtentu precum Legionis Christianæ prodigium illud accidisse, M. Aurelius testatus est, dum datis litteris sub pœna gravi vetuit Christianos quòd Christiani essent imposterùm accusari, ut Tertullianus citatus affirmat: ubi postquam provocavit Gentiles ad edendum aliquem Christianorum Debellatorem, subjungit dicens: *Nos è contrario edimus Protectorem, si litteræ Marci Aurelii gravissimi Imperatoris requirantur, quibus illam Germanicam sitim Christianorum fortè Militum precationibus impetrato imbri discussam contestatur. Qui sicut palàm ab ejusmodi hominibus pœnam dimovit: ita alio modo palàm dispersit, adjectâ etiam accusatoribus damnatione & quidèm tetriore*. Harum Marci Aurelii litterarum exemplum videat Lector apud Justinum Apolog. 2. in fine, indeque inferat, quanta sit vis Veritatis, quæ etiam ab inimico laudem & protectionem extorqueat.

III. Accepti tamen memoria beneficii è Marci Aurelii animo odium adversùs Christianos sopivit, sed non extinxit; ideòque paulò post excidit, iterùmque adversùs eos anno 177. excitata est Persecutio, & quidèm violentior, quàm ante. Orta fuit anno decimo septimo Imperii M. Aurelii, ut scribit Eusebius in procemio L. 5. hist., eamque cap. 1. describit. In Gallia, & præcipuè Viennæ ac Lugduni summo furore desæviit, plurimosque Martyres Christo dedit. Popularibus excitati Gubernatores Christianos tanquam flagitii reos ubique inquiri jusserunt. Et quod mirabilius est, Imperator ipse, qui triennio Christianos inquiri sub gravi pœna vetuerat, per litteras monitus, præcepit, ut qui in Christiana Religione persisterent, extremo supplicio traderentur. Fideles apud Viennam & Lugdunum degentes in Epistola ad Fideles Asiæ & Phrygiæ, quam exhibet Eusebius citato cap. 1. ita narrant: *Gravitatem quidèm ipsam ærumnarum & Gentilium adversùs Sanctos furorem & rabiem, quæque & quanta Beati Martyres perpessi sunt, nec nos exprimere dicendo, nec quisquam scribendo complecti accuratè potest.* Interdicti enim à balneis, à foro, à quocumque loco, à Populo universo angustiati afflicti, injurias plagas raptationes, spoliationes bonorum, lapidum jactus, cuncta denique, quæ vulgus furore ac rabie concitatum adversùs hostes comminisci solet, patientissimè tolerarunt.

Deinde ad Tribunalia raptis sat erat fateri, se Christianos esse, ut extremo supplicio addicerentur. Hæc tamen omnia invicto animo superabant; scientes, quòd non sunt condignæ Passiones hujus temporis, si comparentur ad gloriam, quæ in ipsis revelanda erat.

IV. Quod tunc eos cruciabat, gravissimus erat metus de incerto Confessionis eventu; non quòd tormenta, quæ inferebantur, timerent, sed quoniam exitum rei animo prospicientes, ne quis corrueret, verebantur. Inter fortes aliqui etiam infirmi comprehendebantur, ex quibus decem circiter collapsi cæteris maximum luctum attulerunt. Capti fuere etiam quidam eorum servi, qui Gentiles erant: qui Dæmonis impulsu, cùm tormenta reformidarent quæ Sanctos perpeti videbant, Militibus ad hoc eos incitantibus, Thyesteas quasdum cœnas & incestos Oedipi concubitus, & alia quæ nec proloqui nec cogitare fas est, adversùs Christianos ementiti sunt. Quibus in vulgus sparsis, omnes continuò adversùs Christianos adeò efferati sunt, ut si qui fortè cognationis causâ moderati erga eos extitissent, tunc acerbissimâ indignatione commoti adversus eos infremerent. Hæc summatim ex prælaudata Epistola Lugdunensium.

V. Timorem tamen & luctum de aliquorum infirmitate conceptum, plurimorum fortitudo & constantia fugavit, & penitùs abstersit. Præcipuè Vulgi Militum & Præsidis furor in Diaconum Viennensem nomine Sanctum, in Maturum neophytum quidèm sed generosissimum pugilem Christi, in Attalum Patriâ Pergamenum qui Ecclesiæ illius columna erat, & in Blandinam sexu quidèm infirmam sed constantiæ fervore fortissimam totus efferbuit. In hos omni tormentorum genere sævitum est: sed frustrà; nam ab eis in atrocioribus tormentis positis nil aliud poterat extorqueri, nisi: *Christianus sum*: inter tormenta ac si inter delicias essent, nedum animo sed corpore etiam magis vigentibus. Sed & Bibliades quædam, quæ ex eorum numero fuerat, qui metu Fidem abnegaverant, resipiens, & ad supplicium ducta, repetens, Christiana sum, inter Martyres relata est. Pothinus etiam Lugdunensis Ecclesiæ Episcopus, licèt nonagenario major & corpore infirmus raptus ad Tribunal, prosequentibus ipsum Magistratibus Civitatis & universâ Plebe contra ipsum, tanquam si Christus esset conclamantibus, innumeris plagis & contumeliis affectus egregium pro Christo moriens edidit testimonium. His omnibus tantùm abfuit, ut qui supererant territi à Christo deficerent, quin potiùs omnes, qui à prima statim comprehensione Fidem negaverant, Divinâ gra-

tiâ

tiâ tacti Chriſtum iterùm confitentes, & in carcerem conjecti, durum & ipſi Martyrium ſuſtinuerint: quibus adjunctus fuit Alexander Medicus natione Phryx, qui in Tribunali aſſiſtens impavidus, ac cæteros adhortans, eandem cum eis ſubiit coronam.

VI. Tandem Sanctus, Maturus, Attalus, & Blandina in amphitheatrum ad publicum inhumanitatis ſpectaculum ducti fuere, ubi poſt horribilia tormenta Maturus & Sanctus gladio jugulati ſunt; Blandina verò ad palum in Crucis ſpeciem ſuſpenſa beſtiis objecta eſt, alacriter interim Chriſtum prædicans: ſed cùm ex beſtiis nulla eam tetigiſſet, depoſita ex ſtipite, rursùs carceri traditur in aliud certamen reſervata. Attalus verò vir celebris, cùm per amphitheatrum circumduceretur præcedente tabellâ, in qua ſcriptum erat: *Hic eſt Attalus Chriſtianus*: ingentibus clamoribus à Populo ad necem poſtulabatur. Sed Præſes, comperto eum eſſe Civem Romanum, reduci in carcerem juſſit. Interea ad Imperatorem ſcribens, quid de his qui incluſi tenebantur, ſibi agendum erat. Inter hæc tamen Eccleſia invicta ſtabat, & Martyrum tolerantiâ nedum infirmos roborabat, ſed, ut dixi, qui timore perculſi miſerè Fidem abjecerant, alacriter etiam ſanguine defectionem ſuam deteſtabantur. Attalus verò (fortè Imperatoris adveniente Reſcripto) in ferrea Cathedra collocatus, cùm undique torreretur, fortiter Populum allocutus, ambuſto corpore & odorem exhalante, ſpiritum Deo reddidit.

VII. Poſt omnes ultimo ſuppliciorum die Blandina rursùs illata eſt unà cum Pontico adoleſcente quindecim annos nato: qui nec cruciatibus aliorum territi, ſed Gentilium Deos fortiter contemnentes, tantum in multitudine furorem concitaverunt, ut nec ætatis pueri, nec ſexus mulieris ullâ commiſeratione habitâ, poſt atroces cruciatus Ponticum necarint; Blandinam verò poſt flagra, poſt beſtias, poſt ſartaginem, reticulo incluſam, tauro objecerint: à quo diù in altum jactata nihil tamen læſa, tandem & ipſa victimæ inſtar jugulata eſt: ipſis etiam Gentilibus ingenuè fatentibus, nullam unquam apud ſe Feminam extitiſſe, quæ tot & tanta tam forti animo pertulerit. In Sanctorum corpora Martyrum adhuc ſævitum eſt. Eorum enim corpora, qui in carcere ſuffocati perierunt, canibus objecerunt; ſollicitè obſervantes nocte ac die, ne quis ea ſepulturæ mandaret. Quidquid autem aut à beſtiis aut ab igne reliquum fuerat, capita cum ipſis corporum truncis pariter inſepulta, ac omnibus expoſita reliquerunt, Gentilibus inſultantibus ac irridentibus Chriſtianos,

nos, ac dicentibus: ubi est Deus eorum? Quid illis profuit hæc Religio, cui vitam quoque suam postposuerunt? Tandem omni contumeliarum genere traducta, & sub dio post sex dies exposita Martyrum corpora jacuerunt, cremata atque in cineres redacta in præfluentis Rhodani alveum projecta sunt; quasi eis, quibus abstulerant vitam corporis, spem quoque resurrectionis auferre possent.

VIII. At quamvis naturali affectu unusquisque diligat, carnem sepulturæ tradi post mortem; attamen (inquit Augustinus L. de Cura pro Mortuis cap.8.) *Hunc affectum Martyres Christi pro Veritate certantes vicerunt; nec mirum, quia contemserunt quod non fuerant peractâ morte sensuri, qui non potuerunt eis, quos viventes sentiebant, cruciatibus vinci. Poterat utique Deus, qui Leonem Prophetæ corpus quod ipse occiderat ulteriùs non permisit attingere, & fecit de peremtore custodem; poterat, inquam, à suorum interfectis corporibus canes, quibus fuerant projecta, prohibere; poterat & ipsorum hominum innumerabilibus modis terrere sævitiam, ne cadavera incendere, ne cineres dispergere auderent: sed hoc quoquè experimentum multiplici varietati tentationum deesse non debuit, ne fortitudo Confessionis, quæ immanitati Persecutionis pro corporis salute non cederet, pro sepulcri honore trepidaret; postremò ne fides resurrectionis consumtionem corporis formidaret. Debuerunt ergo & ista permitti, ut etiam post hæc tanti horroris exempla Martyres in Christi Confessione ferventes hujus quoquè testes fierent Veritatis, in qua didicerant, eos, à quibus sua corpora interficerentur; postea nihil habere quod facerent; quoniam quidquid mortuis corporibus facerent utique nihil facerent, quando in carne omni vitâ carente nec aliquid sentire posset qui inde migravit, nec aliquid inde perdere qui creavit.*

Sed inter hæc quæ fiebant de corporibus occisorum, cùm Martyres ea non metuentes magnâ fortitudine paterentur, tamen inter Fratres ingens luctus erat, quòd nulla dabatur potestas Sanctorum funeribus justa persolvere, nec occultè subtrahere aliquid, sicut eadem testatur historia, (Eusebii L.5. cap.1.) *crudelium Custodum vigiliæ permittebant. Ita cùm illos qui occisi fuerant, in dilaceratione membrorum suorum, in conflagratione ossium, in dispersione cinerum miseria nulla contingeret; istos tamen, qui nihil eorum sepelire poterant, magna misericordia cruciabat; quia in nullo modo sentientibus, ipsi quoquo modo sentiebant, & ubi jam illorum nulla erat passio, erat istorum misera compassio.* Ita S. Doctor exprimit Martyrum Lugdunensium fortitudinem, Gentilium barbariem etiam in eorum mortua corpora sævientium, & Fidelium erga

illos pietatem. Horum Passionem seu veriùs triumphum paucis commemorat Martyrol. Rom. die 2. Aprilis, his verbis: *Lugduni Sanctorum Martyrum Photini Episcopi, Sancti Diaconi, Vetii, Epagathi, Maturi, Pontici, Biblidis, Attali, Alexandri, & Blandinæ cum aliis multis, quorum fortia & iterata certamina tempore Marci Aurelii Antonini & Lucii Veri Ecclesiæ Lugdunensis Epistola ad Ecclesias Asiæ & Phrygiæ scripta recenset. In his Sancta Blandina sexu infirmior, corpore imbecillior, conditione deterior, diuturniora & acerbiora certamina subiens & fortis adhuc permanens, gladio jugulata cæteros secuta est, quos hortabatur ad palmam.*

§. VII.

Alii Martyres sub Marco Aurelio.

I. NArrato Martyrum Lugdunensium glorioso certamine, addit Eusebius L. 5. cap. 2.: *Hæc supradicti Imperatoris temporibus Christi Ecclesiis contigerunt, ex quibus ea quæ in reliquis Provinciis gesta sunt conjecturâ assequi licet.* Et meritò quidèm: nam ubiquè Christianus sanguis fundebatur. Ut enim ex Melitone ipse refert L. 4. cap. 26.: *Quod numquam antea factum fuerat, Persecutionem nunc patitur piorum hominum genus novis per Asiam decretis exagitatum. Impudentissimi namque delatores & alienarum opum cupidi, ex Imperialibus Edictis occasionem nacti, palàm diu noctuque grassantur* &c. Hoc tempore Sagarim Laodiceæ Episcopum sub Servilio Paulo Præside Martyrio coronatum fuisse scribit L. 4. cap. 26.; quem Pauli Apostoli fuisse Discipulum refert Martyrol. Rom. 6. Octobris his verbis: *Laodiceæ Beati Sagaris Episcopi & Martyris, qui fuit unus de antiquis Pauli Apostoli Discipulis.* Incredibile tamen videtur, quempiam ex Pauli Discipulis usque ad illa tempora fuisse superstitem.

II. Circa eadem tempora contigit Martyrium S. Concordii Presbyteri, de quo Martyrol. Rom. die 1. Januarii hæc habet: *Apud Spoletum Sancti Concordii Presbyteri & Martyris temporibus Antonini Imperatoris; qui primò fustibus cæsus, dehinc equuleo suspensus, ac postea in carcere maceratus, ibique Angelicâ visitatione consolatus, demum gladio vitam finivit.* De hoc apud Surium & Bollandum habentur Acta, quæ (cujuscumque sint fidei) strictim referam. Romæ, ajunt, Marci Aurelii Antonini temporibus erat quidam Presbyter genere illustris Gordianus sive Concordianus nomine, cujusdam Ecclesiæ Rector. Huic

filius

filius erat Concordius, quem in Sacrarum Litterarum doctrina ab eo instructum S. Pio tunc Romæ Episcopo præsentavit, a quo Subdiaconus ordinatus fuit. Totum Patris & fidei studium in jejuniis eleemosynis & precibus versabatur, ut Deus eis gratiam largiretur, quâ tunc violentæ Persecutionis furorem declinaret, non quidèm non patiendo, sed à Fide non declinando. Vivebat tunc vir sanctus nomine Eutyches in prædio suo prope Trebulam (fortè Urbem in Umbria prope Reatem) cum quo amicitiæ vinculo vinctus erat Concordius. Is Patrem rogavit, ut Eutychem adire ac sibi aliquandiù conversari liceret. Pater timens, ne Concordius hoc peteret animo effugiendi Martyrium Romæ, ab initio renuit; sed instante illo & protestante, se paratum esse ad Martyrium ubicumque Deus voluisset subeundum, existimavit Pater illi esse annuendum.

Concordius Eutychem conveniens, & ab eo cum gaudio & gratiarum actione susceptus, unà cum ipso jejuniis & orationibus vacabat, quibus frequenter concedebat Deus, ut infirmi ad eos accedentes sanarentur. Provinciæ illi præerat tunc Torquatus, qui Spoleti morabatur: qui cùm hæc audisset, ad se accersitum Concordium interrogavit, quis esset? Cui ille respondit, Christianus sum. At Præses, de tuo, inquit, Christo non loquor; nomen tuum peto. Repetiit Concordius, jam dixi Christianus sum, Jesum Christum confiteor. Nec quidquam aliud ab eo obtinere potuit. Tunc Præses post promissiones ac minas, flagris cæsum in carcerem conjecit.

Sequenti nocte Eutyches & Anthimus Spoleti Episcopus Concordium adierunt; cùmque Anthimus esset Torquato acceptus, obtinuit, ut aliquot diebus Concordius apud se maneret, quem debito tempore Presbyterum ordinavit, & non modico tempore apud se detinuit. Sed instante Torquato Concordium ei tradere coactus fuit, qui cùm variis artibus à Fide eum seducere incassùm tentasset, equuleo suspendi jussit, ac detrudi in carcerem capite & manibus ferreis catenis constrictum, quocumque ad eum accedere prohibito, ut sic vel fame interiret. Impedire tamen non potuit, quin noctu ingrediens Angelus eum in constantia firmaret. Quare post triduum Torquatus missis duobus Militibus, jussit, ut Concordium vel Diis cogerent sacrificare, vel capite truncarent. Unde cùm præsentatam sibi Jovis Imaginem cum contemtu rejecisset, illicò caput ei amputatum fuit. Corpus ejus à duobus Clericis aliisque piis Personis prope Urbem sepultum fuit, ubi multis fertur miraculis coruscasse. Ita ex Actis præfatis nomen ejus ab Usuardo & Adone lecebratur.

 III. Apud

III. Apud Spoletum quoque circa idem tempus passus fuit S. Pontianus, de quo Martyrol. Rom. 19. Januarii hæc habet: *Apud Spoletum Passio Sancti Pontiani Martyris tempore Antonini Imperatoris; quem Fabianus Judex pro Christo vehementissimè virgis cæsum jussit super carbones nudis pedibus ambulare: à quibus nil læsus, equuleo & uncinis ferreis jussus est suspendi, & sic in carcerem trudi, ubi Angelicá visitatione meruit confortari: post quæ Leonibus expositus & plumbo ferventi perfusus, tandem gladio percussus est*. Sub eodem Martyrio coronati feruntur Romæ S. Alexander Episcopus, cujus Sedes ignoratur; propè Romam tamen fuisse creditur. Soræ in Campania seu Atini S. Julianus. Tergestæ in Istria S. Diaconus Lazarus nomine. In Sardinia S. Potitus. Hi aliique plurimi, quos prætereo, sub Marco Aurelio passi sunt.

IV. Ex dictis colliget Lector, Marcum Aurelium non fuisse, qualem eum describit Doduvellius, placidum & in Christianos mitem. Dato enim, quòd speciales contra ipsos Leges non tulerit, Leges tamen contra eos antea latas non abstulit, imò eis exequendis obsecundavit. Undè Populares à Christianis aversi scientes, se etiam genio Principis famulari, ubiquè contra eos tumultus excitabant, quibus, faventibus Provinciarum Præsidibus, toto Orbe ut dictum est Christianus sanguis fundebatur. Testis sit Theophilus, qui eo imperante Ecclesiam Antiochenam gubernabat. Is ènim L. 3. ad Autolicum in fine sic loquitur: *Eos qui verum Deum venerantur hactenùs persequuti sunt, nec adhuc hodie persequi cessant; imò iis, qui apertè Deum convitiantur, præmia & honores decernunt; eorum verò qui festinant ad virtutem capessendam & sanctam vitam agunt, quosdam lapidibus obruère, quosdam interfecère, nec adhuc hodie cessant Christianos crudelissimè & immanissimè cruciatibus subjicere.* Ita Marco imperante in Christianos agebatur: quare meritò dicit Eusebius in proœmio L. 5. hist. ait: *Quo tempore cùm in nonnullis terrarum partibus violentior adversùs nostros Persecutio commota esset ex incursione Popularium, innumerabiles propè Martyres per universum Orbem enituisse . . . . , conjicere est*. Cùmque ibi loquatur de iis, quæ post annum 17. Imperii M. Aurelii contigerunt, apparet, eo imperante usque ad finem crevisse potiùs Persecutionem quàm defecisse.

V. Verùm tot Christianorum necibus Christi Fides numquid è terrarum Orbe deleta est? imò ubiquè aucta & multiplicata. Impletum est quod Christus dixerat Joann. 12. v. 24. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. Christus

stus Jesus granum frumenti est à Cœlo missum per Incarnationem in Mundum, per Mortem in terra sepultum, per Resurrectionem germinans multumque afferens fructum. Ipsum erat *granum mortificandum & multiplicandum, mortificandum infidelitate Judæorum, multiplicandum fide Populorum*, inquit S. Augustinus Tract. 51. in Joann. Sic Christiani membra ejus debebant mortificari, in Persecutionibus mortem pati; sed ex ipsa morte in ingentem numerum germinare, omnes Urbes ac Provincias implere: ut enim ajebat Tertullianus in Apolog. cap. 50. ad Gentes: *Plures efficimur, quoties metimur à vobis, semen est sanguis Christianorum.* Atque istud semen adeò multiplicaverat fructus, ut idem Tertullianus ibidem cap. 37. dixerit: *Externi* (aliàs hesterni) *sumus, ut vestra omnia implevimus, Urbes, Insulas, Castella ...., sola vobis relinquimus Templa.* Quis ergo hinc non sumat argumentum pro Veritate Religionis Christianæ, quæ inter Persecutiones & suorum clades brevi tempore adeò multiplicata est, ut totum Orbem implens Gentilium Deos exterminarit? Certè Dei potentiæ non humanæ, imò contra humanam hæc victoria fuit. Sed ad ulteriora procedamus.

CAPUT VII.

Persecutio sub Severo.

§. I.

Commodi Imperium.

I. SUb Commodo, qui M. Aurelio in Imperio successit, *Res quidèm nostræ* (inquit Eusebius L. 5. cap. 21.) *in tranquilliore statu versabantur, pace per Dei gratiam cunctas Orbis terrarum Ecclesias complexâ. Atque interim salutaris Dei sermo ex omni genere hominum quamplurimos ad religiosum Summi Numinis cultum pertrahebat: adeò ut multi ex iis, qui in urbe Roma genere atque opibus eminebant, simul cum universa domo & familia salutem consecuturi accurrerent.* Hæc tamen Ecclesiæ tranquillitas non ex clementia aut pietate Commodi (ut observat Baronius in Notis ad diem 18. Aprilis) hominis Reipublicæ perincommodi; quem & publico Populi clamore appellatum esse Nerone crudeliorem, & Domitiano impuriorem scribit Lampridius ex Mario Maximo, processit, sed ex proprio sui commodo; quia ut idem Lampridius scribit, vendiderat supplicio-

ciorum diversitates, sepulturas &c.; unde Christiani erogato tributo pacem ab eo redimebant. Quam rem Tertullianus factus jam hæreticus Montanista L. de Fuga in Persecut.cap.13. improbat dicens: *Massaliter totæ Ecclesiæ tributum sibi irrogaverunt. Nescio an dolendum an erubescendum sit* &c.. His ad pacem Christianorum accessit, quod scribit Dio in Commodo, nimirùm Martiam, quæ præ cæteris Commodo in deliciis erat, fuisse Christianorum studiosissimam, multaque in illos contulisse beneficia. Propterea Legem tulerat Commodus, ne quis Christianos deferret pœnâ in delatores statutâ; non vetuit tamen, ne contra accusatum, si se Christianum esse fateretur, & Diis sacrificare renueret, contra eum secundùm Leges Imperiales procederetur.

II. Factum hoc comprobatum fuit in S. Apollonio Senatore Romano; cùm enim à servo accusatus esset, quòd Christum sequeretur, servus quidèm delator crurifragio interemtus fuit, ipse tamen delatâ in Senatum causâ, dum Christianam Religionem etiam scripto defendendam suscipit, ex Senatus-consulto sententiam mortis subiit: de quo in Martyrol. 18. Aprilis legitur: *Romæ Beati Apollonii Senatoris, qui sub Commodo Principe & Perennio Præfecto à Servo proditus quòd Christianus esset, jussus ut rationem Fidei suæ redderet, insigne volumen composuit, quod in Senatu legit; & nihilominùs sententiâ Senatus pro Christo capite truncatus est.*

Eusebius etiam L.5. cap.21. postquam dixit, quòd Diabolus paci Ecclesiæ invidens, ut eam turbaret, multas machinas commentus est, subjicit: *Denique Romæ Apollonium quemdam è numero Fidelium, qui in humanioribus litteris & in Philosophia eximius habebatur, in judicium adduxit, suscitato ei accusatore homine quodam perditissimo, qui ad hujusmodi flagitia idoneus inprimis minister Dæmonis videbatur. Sed miser intempestivè susceptâ accusatione, cùm ex Imperatoris Edicto capitalis pœna in eos qui talia detulissent, esset constituta, confestim fractis cruribus occiditur: Perenne ejusmodi adversùs ipsum sententiam pronuntiante. Martyr verò Deo acceptissimus, cùm Judex multis eum precibus obsecrasset, petiissetque ab illo, ut coram Senatu rationem Fidei suæ redderet, elegantissimâ Oratione pro defensione Fidei suæ coram omnibus pronunciatâ, capitali supplicio à Senatu damnatus est. Quippè veteri apud eos Lege sancitum erat, ut Christiani, qui semel in jus vocati fuerant, nisi à proposito suo discederent, nequaquam dimitterentur.* Ita Eusebius, qui addit Apollonii Orationem coram Senatu & responsa se in Libro de Passionibus Martyrum (qui tamen excidit) descripsisse.

III. Hæc

III. Hæc igitur erat pax, quam Ecclesiæ sub Commodo tributo redemerant, Pax erat, quia Christiani deferri & accusari sub pœnis prohibebantur; non erat autem pax, quia accusati, si Christo non renuntiabant, capitali sententiâ damnabantur. In hoc statu ab anno 180. usque ad annum 192. perseveravit Ecclesia, quo anno Commodo interfecto, post ejus necem Pertinaci delatum fuit Imperium 1. Januarii 193. Sed hoc etiam die 28. Martii ejusdem anni occiso, Imperium à Militibus Prætorianis Didius Julianus accepit. Hic tamen solis duobus mensibus & diebus quinque imperavit. Nam cùm eodem tempore tres Exercituum Duces, Severus in Pannonia, Pescennius Niger in Oriente, Albinus in Gallis Imperium arripuissent, Ecclesia interim pace fruebatur: Pescennio tamen & Albino victis & occisis, in solo Severo Imperii summa remansit.

§. II.

Imperii Severi Initia.

I. AB anno 193., quo Imperium in Pannonia Severus arripuit usque ad annum 197. vel 198., quo solus imperare cœpit, nihil contra Christianos molitus fuit, fortè bellis civilibus distractus: Ecclesias enim tunc libertate aliquâ fuisse donatas, indicant Concilia tam in Oriente, quàm in Occidente super die celebrandi Paschatis coacta anno 195. vel 196. Adde initio Imperii favorabilem fuisse Christianis, testem esse Tertullianum L. ad Scapulam c. 4. dicentem: *Ipse etiam Severus pater Antonini Christianorum memor fuit. Nam & Proculum Christianum, qui Torpacion cognominabatur, Eubodeæ Procuratorem, qui eum per oleum aliquando curaverat, requisivit, & in palatio suo habuit usque ad mortem ejus, quem Antoninus* (Caracalla filius) *optimè noverat lacte Christiano educatus*. Fertur enim, Severum huic Proculo Caracallam filium educandum commisisse, qui eum Nutrici Christianæ ablactandum tradidit. Pergit insuper Tertullianus: *Sed & clarissimas Feminas & clarissimos Viros Severus sciens hujus Sectæ* (Christianorum) *esse, non modò non læsit, verùm & testimonio exornavit, & Populo furenti in os palàm restitit.*

II. Severum etiam ad Christianos propensum reddiderat eorum à bellicis factionibus temperantia. Sciebat enim, eos in Pescennii & Albini motibus sese non miscuisse; non quia ex eis aliqui in eis Regionibus, in quibus æquo jure dominabantur, existentes eis non paruerint, sed quia bellicis tumultibus non se im-

immiscentes, nec pro uno nec pro altero arma sumserant. Quare Tertullianus ad Scapulam cap.2.: *Sic*, inquit, *& circa Majestatem Imperatoris infamamur; tamen nunquam Albiniani nec Nigriani nec Cassiani inveniri potuerunt Christiani .... Christianus nullius est hostis, nedum Imperatoris, quem sciens à Deo suo constitui, necesse est, ut & ipsum diligat & revereatur & honoret & salvum velit cum toto Romano Imperio, quousque seculum stabit; tamdiù enim stabit. Colimus ergo & Imperatorem sic, quomodò & nobis licet, & ipsi expedit, ut hominem à Deo secundum, & quidquid est à Deo consecutum, & solo Deo minorem .... Itaque sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro & ipsius* &c.. Is erat animus Christianorum erga Imperatores; qui cùm experientiâ probè notus esset Severo, eum à Christianis persequendis aliquandiù detinuit.

III. Christiani interea hâc libertate gaudentes in dies augebantur, Urbes replebant, & ad ministeria tum privata tum publica, ut cæteri, admittebantur, solis Templis ac theatris abstinebant; adeò ut Tertullianus in Apologetico, quod illo tempore nempe anno 197. scripsisse fertur, cap.37. dicat: *Vestra omnia implevimus, Urbes, Insulas, Castella, Municipia, Conciliabula, Castra ipsa, Tribus, Decurias, Palatium, Senatum, Forum. Sola vobis relinquimus Templa*. Et cap.42. contra quendam, qui Christianos ut infructuosos aspernabatur: *Navigamus*, inquit, *& nos vobiscum & militamus & rusticamur & mercamur; proinde miscemus artes, opera nostra publicamus usui vestro. Quomodò infructuosi videamur negotiis vestris, cum quibus & de quibus vivimus, non scio. Sed si cæremonias tuas non frequento, attamen & illa die homo sum*. Hæc & alia Tertullianus: qui cap. 37. tantum dicit fuisse tunc numerum Christianorum in toto Imperio Romano, ut si discederent, Imperium redigeretur in solitudinem.

IV. Causæ autem, cur ex omni ordine statu & conditione Gentes venirent ad Christum, erant: primò: Puritas vitæ ac morum & Caritas erga omnes, quam in Christianis videbant, qui non violentiâ aut vi ad suam Religionem compellebant, sed verbo & suavitate eam volentibus insinuabant. Multos etiam movebat constantia, quâ videbant Christianos atrociora tormenta & mortem ipsam pro Christo contemnere: ex hoc enim arguebant, gratiâ Dei in eis operante, magnum quid sperare Christianos, propter quod mortem voluntariè subibant, quam solo verbo vitare poterant. *Quisque enim*, inquit Tertullianus ad Scapulam cap.5., *tantam tolerantiam spectans, ut aliquo scrupulo percussus & inquirere accenditur, quid sit in causa, & ubi cognoverit,*

verit, *Veritatem & ipse statim sequitur*: & maximè dum videbant Christianos tantò magis augeri, quantò magis eos destruere conabantur; unde Tertullianus laudato loco ait: *Nec tamen deficiet hæc Secta, quam tunc magis ædificari scias, cum cædi videtur*.

V. Movebantur secundò alii ex miraculis, quæ in ipsis & per ipsos fieri videbant. In ipsis; quia plerumque videbant eos è flammis exire illæsos, bestiis expositos ferocioribus eas ad pedes mansuetas habere. Per ipsos etiam; nam videbant eos cujuscumque infirmitatis ægros solâ manus impositione sanare, Dæmonia ab Obsessis solo verbo ejicere, nec ob id quidquam auri vel argenti requirere. Et rursùs quia Dæmones ipsi dum expellebantur, virtutem ac Divinitatem Christi vel inviti fatebantur, facti veritatis testes ipsi veritatis hostes. Hoc argumento Gentiles urget Tertullianus in Apolog. cap.23., ejusque efficaciâ fretus rogat Magistratus Ethnicos, ut ipsos à Dæmonibus obsessos coram se adducant; et si à Christiano Spiritus ille interrogatus fateatur, se Dæmonem esse, non Deum, ipsi credant. *Edatur hìc aliquis sub Tribunalibus vestris, quem à Dæmone agi constet. Jussus à quolibet Christiano loqui Spiritus ille, tam se Dæmonem confitebitur de vero, quàm alibi Deum de falso*. Produci insuper rogat ipsosmet Deos: *Et nisi se Dæmones confessi fuerint Christiano mentiri non audentes*, ait, *ibidem illius Christiani procacissimi sanguinem fundite. Quid isto opere manifestius? Quid hâc probatione fidelius*? Post multa tandem concludit: *Credite illis* (Dæmonibus ac Diis) *cùm verum de se loquuntur, qui mentientibus creditis. Nemo ad suum dedecus mentitur, quin potiùs ad honorem. Magis fides prona est in adversùs semetipsos confitentes, quàm pro semetipsis negantes. Hæc denique testimonia Deorum vestrorum Christianos facere consueverunt* &c. Perpendat hunc discursum Lector, jugulum enim petit Gentilibus.

VI. Alii tertiò ad Religionem Christianam amplectendam monebantur visionibus in somnis eis apparentibus, eosque ad Fidem vocantibus. Hoc modo circa hæc tempora conversum fuisse Basilidem, scribit Eusebius L.6. cap.5. Cùm enim iste fuisset unus ex Apparitoribus, qui S. Potamiænam ad Martyrium duxit, eamque à contumeliis quibus à Vulgo impetebatur eripere studuisset, illa pollicita est se post obitum salutem ei impetraturam; unde tertio post Martyrium die Potamiænam noctu sibi assistentem coronam sibi capiti suo imponentem vidit, ac sibi dicentem, *se ipsius causâ Dominum orasse, atque id quod petierat impetrasse; nec diù postea ad Superos migraturum. Post hæc signacu-*

lo Domini à Fratribus accepto, postridie Christum gloriosè confessus, capite truncatus est. Plures quoque alii ex Alexandrinis Civibus eodem tempore ad Fidem Christi subitò transiisse memorantur, quos scilicet Potamiæna in somnis apparens ad id faciendum provocaverat Ita Eusebius. Multosque etiam suâ ætate secretis hujusmodi vocationibus tractos fuisse ad Fidem testatur Origenes L. 1. contra Celsum num.46., ubi, ut ostendat aliqua Spiritus Sancti qui apparuit, adhuc superesse vestigia, quamvis Celsus hoc sit irrisurus, ait: *Dicam nihilominùs, multos ad Religionem Christianam accessisse velut invitos, spiritu quodam repentè sive per visum sive per somnium in illorum animos agente atque ita illos immutante, ut quod in illam conceperant odium deponerent, & pro illa mortem oppetere statuerent. Multa ejusmodi novimus, quæ si scriberemus, tametsi illorum oculati testes fuerimus, benignam risus materiam præberemus incredulis.* Ita prioribus illis seculis disponebat Deus, ut multi absque prædicatione, sive patientiâ & constantiâ quam in Martyribus videbant, etiam ipsi apparitores & carnifices, vel alio repentino casu intrinsecùs tacti ac repentè mutati, Fidem susciperent & pro ea mori parati essent.

§. III.

Persecutio sub Severo.

I. QUamvis Persecutio Generalis sub Severo referatur ad ejus Imperii annum decimum, & Christi 202.; nihilominùs non adeò generalem fuisse antea Christianorum pacem, quin alicubi hostes adessent, qui eos persequerentur, inter cætera demonstrant Martyres Scyllitani, qui anno 200. Carthagine in Africa sub Saturnino Proconsule passi fuerunt, de quibus Martyrol. Rom. die 17. Julii hæc narrat: *Carthagine natalis Sanctorum Martyrum Scyllitanorum, Sperati, Nartali, Cythini, Beturii, Felicis, Aquili, Letarii, Januariæ, Generosæ, Bessiæ, Donatæ, & Secundæ, qui jussu Saturnini Præfecti post primam Christi confessionem in carcerem missi, & in ligno confixi, deinde gladio decollati sunt.* De his Beda, Usuardus, Ado & alii: unde Baronius in Notis ad 17. Julii: *Habemus*, inquit, *horum Sanctorum Martyrum Acta, prout excepta fuerunt à Notariis, & relata in Acta Proconsularia absque ullo aliquo fuco vel additamento inde descripta.* Eosdem fuisse numero duodecim, octo Viros & quatuor Feminas, Acta præfata produnt. Martyres Scyllitani dicuntur, quia in Scyllitana Urbe, quæ ad Provinciam Proconsularem

rem pertinebat, passi sunt, ut in Geograph.sacra pag.64. . Primos fuisse Martyres, quos Africa Christo dedit, existimatur: & Tertullianus L. ad Scapulam cap.3. , ubi referens aliquos Præsides, quos in fine pœnituit se persecutos fuisse Christianos, ait: *Vigellius Saturninus, qui primus hic gladium in nos egit, lumina amisit*.

II. Progressus, quibus Religio Christiana ubiquè in dies extendebatur, eorum corda, qui adhuc in duritie permanebant, tanto furore accenderant, ut hæc vera causa fuerit, quæ Persecutioni initium dedit, quamvis eam variis calumniis obtegerent. Dicebant enim, Christianos, quòd per genium Imperatoris (idest per Idola & Dæmones) jurare nollent, Imperio rebelles esse; & hoc augebatur, quia obscœna & sacrilega Festa in honorem Imperatoris celebrare aut eis interesse nolebant, sicut faces accendere & lauris domorum suarum portas ornare. Quæ omnia detestatur Tertullianus in Apolog. cap.35. dicens: *Propterea igitur publici hostes Christiani, quia Imperatoribus neque vanos neque mentientes neque temerarios honores dicant, quia veræ Religionis homines, etiam solemnia eorum conscientiâ potiùs quàm lasciviâ celebrant. Grande videlicet officium focos & thoros in publicum educere, vicatim epulari, Civitatem Tabernæ habitu abolefacere, vino lutum cogere, catervatim cursitare ad injurias ad impudicitias ad libidinis illecebras. Siccine exprimitur publicum gaudium & publicum dedecus? Hæccine solemnes dies Principum decent, quæ alios dies non decent? Qui observant disciplinam de Cæsaris respectu, ii eam propter Cæsarem deserunt, & malorum morum licentia pietas est; occasio luxuriæ Religio deputatur? O nos meritò damnandos! Cur enim vota & gaudia Cæsarum casti & sobrii & probi expungimus? Cur die læto non laureis postes obumbramus, nec lucernis diem infringimus? Honesta res est solemnitate publicâ exigente induere domui tuæ habitum alicujus novi lupanaris*. His Tertullianus defendit Christianos, quòd ejusmodi Festa celebrare nollent; qui tamen conscientiæ puritate eadem, pro salute Imperatoris Deum verum precantes, celebrabant.

III. Nihilominùs discrimen hoc in celebrandis Cæsarum Festis, maximam Persecutionis in Christianos viam aperuit, & maximè anno 197. in solemni ingressu Severi Romam post devictum Albinum. Cùm enim nec tunc Christiani eorum Festis ob talem ingressum communicare voluissent, credibile est, ab eo tempore usque ad ann 203., quo Romam reversus Severus Edictum contra Christianos promulgavit, ejus animum Ethnicos ad Christianorum cædes accendere tentasse. Eis tamen non sta-

tim acquievit Severus; imò adhuc benignus & clemens licèt audiisset, plures Viros ac Feminas nobilis etiam generis & gradus Religionem Christianam fuisse amplexos, nihil tamen contra eos molitus est, quin potiùs testimonium honorificum eis exhibuit: ideòque ad hæc tempora referendum, quod ait Tertullianus ad Scapulam cap.4.: *Sed & clarissimas Feminas & clarissimos Viros Severus sciens hujus Sectæ esse, non modò non læsit, verùm & testimonio exornavit, & Populo furenti in os palàm restitit.*

IV. Verùm cum eodem anno 197. Severus Româ in Orientem iter suscepisset, Persecutio in Christianos fervere cœpit. Etsi enim nulla lex contra ipsos à Severo prodiisset, aderant ex sæpè dictis antiquæ Leges Imperiales, quibus severè quæcumque Religio, conventio, cœtus à Senatu non approbatus prohibebatur; perseverabat etiam Trajani Lex (de qua supra) quæ Christianos ad Judices delatos puniri jubebat: quæ satis erant, ut Pagani in Christianos suum odium exercerent. Inter omnes tamen odio in Christianos ardebat Populus; putans enim eos cujuslibet publici infortunii causam esse, modò instabant, ut Leonibus exponerentur; modò non expectatâ Magistratuum auctoritate, diebus præsertim solemnibus, eos igne ac lapidibus insequebantur, & eorum etiam corpora è sepultnræ asylo extrahentes dissecabant & in partes distrahebant. Quod barbarum facinus exaggerat Tertullianus in Apolog. cap.37.; qui tamen addit, Evangelicâ patientiâ & mansuetudine hæc omnia à Christianis tolerata fuisse, quamvis ea ulcisci potuissent: *Sed absit, ut aut igni humano vindicetur Divina Secta, aut doleat pati, in quo probatur.*

V. Nec majori justitiæ ordine Magistratus ipsi procedebant: solùm hominem interrogabant, an esset Christianus, acsi hoc crimen esset. Confesso, non permittebatur ostendere, quòd nullum crimen sit esse Christianum: sed loco puniendi eum qui spontè id quod crimen reputabant fuerat confessus, conabantur (quod de nullo alio crimine fit) ut suam confessionem retractaret, & quod antea confessus voluntariè fuerat, negaret. Hoc eis improperat Tertullianus in Apolog. cap.2.: *Si certum est nos nocentissimos esse, cur à vobis ipsis aliter tractamur, quàm pares nostri idest cæteri nocentes? cùm ejusdem noxæ eadem tractatio deberet intervenire? Quodcumque dicimur cum alii dicuntur, & proprio ore & mercenariâ advocatione utuntur ad innocentiæ suæ commendationem. Respondendi, altercandi facultas patet, quando nec liceat indefensos & inauditos omninò damnare. Sed Christianis solis*

nihil

nihil permittitur loqui quod causam purget, quod veritatem defendat, quod Judicem non faciat injustum. Sed illud solùm expectatur, quod odio publico necessarium est, confessio nominis, non examinatio criminis. Nihil tamen hisce injustitiis territi Christiani in Confessione Christi fortiores evadebant, & gratias Deo & ipsis Judicibus agebant.

VI. Videns Diabolus, hâc Persecutione Ecclesiam ardere quidèm sed non consumi, imò è cineribus Martyrum reflorescere, aliam viam subdolè excogitavit, quâ Christianos præsertim debiles ac infirmos à Martyrio subeundo diverteret. Ad hoc Ministros adhibuit Gnosticos, Valentinianos, Cainitas aliosque illius temporis Hæreticos, qui dicerent, stultitiam esse putare quòd Deus velit hominem mortem pro se pati, Deus enim vult nos salvare, non perdere: satis est quòd Christus mortuus sit pro nobis, qui suum Sanguinem fudit, ut nos à fundendo nostrum eximeret: *Semel*, ajebant, *Christus pro nobiis obiit, semel occisus est ne occideremur. Si vicem repetit: num & ille salutem de mea nece expectat? An Deus hominum sanguinem flagitat, maximè si taurorum & hircorum recusat?* Ita refert Tertullianus cap. 1. *Scorpiaci*, Libri ab eo contra præfatos Hæreticos compositi, cui titulum Scorpiaci præfixit, sive quia adversùs *Scorpianum* hâc hæresi infectum scribebat, sive quia hæresis hæc Scorpii in morem arcuato vulnere in Ecclesiæ corpus venena diffunderet. In eo igitur ostendit, bonum nobis esse Martyrium, quia pro vita temporali dat æternam. Esse præceptum vitam hanc potiùs dare, quàm Deum negando indignè agere, demonstrat Scripturis tum veteris tum novæ Legis & exemplis: quæ omitto, præsentis enim materiæ non sunt.

VII. Hactenùs de Persecutione sub Severo quidèm non tamen ab ipso, sed à Popularibus Magistratibus ac Provinciarum Præsidibus juxta antiquas Imperiales Leges excitata, actum est. Modò de Persecutione ab ipso suis Edictis promota sermo erit. Quæ autem causæ Severi spiritum antea erga Christianos mitem in ferum & crudelem converterint, ignoramus. Hoc scimus, Severum anno decimo sui Imperii, & Christi 202. movisse violentam Edicto suo in Christianos Persecutionem, ex Eusebio L.6. cap.1. & 2., Sulpicio Severo L. 2. cap.46. & Orosio L.7. c.17. Hanc Eusebius & Orosius aliique cum S. Augustino L.18. de Civit. Dei cap.32. quintam vocant, Sulpitius verò sextam. Dum enim Severus in Palæstina moraretur Legem edidit, quâ sub gravissimis pœnis vetitum erat, ne quis Judæus fieret aut Christianus: *Christianum fieri sub gravi pœna vetuit*. Ita Spartianus.

nus. Licèt ex terminis hujus Legis viderentur comprehendi soli illi, qui imposterùm nomen Christo forent daturi, & fortè illi, qui ad hoc inducerent, non verò illi, qui antea nomen Christo dedissent; Attamen factum evincit eâ Lege omnes fuisse Christianos comprehensos: sive quia amplioribus terminis fuerit concepta, quàm referat Spartianus: sive quia successu temporis ampliora & crudeliora Edicta Severus tulerit.

VIII. Ut ut fuerit, Persecutionem fuisse atrocissimam, & in ea innumerabiles Martyrio coronatos, fatetur Eusebius L.6. cap.1. his verbis: *Porrò cùm Severus Persecutionem adversùs Ecclesias excitasset, per omnes quidèm ubiquè locorum Ecclesias ab Athletis pro pietate certantibus illustria sunt confecta Martyria. Præcipuè tamen Alexandriæ increbuerunt, cùm ex universa Ægypto ac Thebaide lectissimi pugiles eò tanquam in amplissimum Dei stadium deducerentur, & cujusquemodi tormenta mortesque invicto animo perpessi à Deo coronas acciperent. Inter quos Leonides, qui Origenis Pater fuisse dicitur, capite truncatus* &c.. Et cap.2.: *Severo*, inquit, *annum Imperii decimum agente Alexandriæ & totius Ægypti Præfecturam obtinente Læto .... cùm Persecutionis ardentissimum flagraret incendium, atque innumerabiles Martyrio coronarentur, Origenis animum adhuc admodùm pueri tanta cupido occupavit Martyrii, ut se periculis ipsis objiceret*. Et Orosius L.7. cap.11. ait, quòd Severus *quintâ post Neronem Persecutione Christianos excruciavit: plurimique Sanctorum per diversas Provincias Martyrio coronati sunt*: adeòque furor Persecutionis auctus fuit, ut referente Eusebio L.6. cap.7., & S. Hieronymo L. de Script. Eccles. cap.52. Judas quidam Severi temporibus de 70. Danielis hebdomadibus scribens, cùm ad annum decimum Severi supputationem perduxisset, Antichristi adventum imminere existimarit: *Adeò commota tunc adversùs nostros Persecutio multorum animos vehementer conturbaverat*.

IX. Quapropter nescio, quomodò Doduvellius contendere possit, Severi Persecutionem paucos fecisse Martyres juxta Eusebium. Nam licèt Eusebius paucos ibi nomine describat, quia ejus intentum singulorum referre nomina, non erat; sed eorum tantùm, quos narratio de Origene, quam ibi instituit, postulabat; Attamen dum generaliter ait per omnes ubique Ecclesias innumerabiles Martyrio fuisse coronatos, & tantam fuisse Persecutionem, ut Antichristi adventum imminere aliqui existimarint, nescio quid ulteriùs desiderandum sit, ut concipiatur, multitudinem Martyrum & quidèm maximam in Severi Persecutione extitisse. Quòd si Doduvellus alios testes requirit, audiat

diat Tertullianum, qui de hujus Persecutionis, cui coævus erat, acerbitate plura scripsit Opuscula: audiat, inquam in Apolog. cap. 12. dicentem: *Crucibus & stipitibus imponitis Christianos .... ungulis deraditis latera Christianorum .... cervices ponimus .... ad bestias impellimur .... ignibus urimur .... in Insulas relegamur*. Et cap. 37. Vulgus ipsum Christianos invasisse, nec eorum sepulcris pepercisse: sic enim ait ad Judices: *Quoties etiam præteritis vobis suo jure nos inimicum Vulgus invadit lapidibus & incendiis? Ipsis Bacchanalium furiis nec mortuis parcunt Christianis; quin illos de requie sepulturæ, de asylo quodam mortis jam alios nec totos avellant, dissecent, distrahant*, Quâ ergo fronte Doduvellus dicit, Vulgus ad cædes Christianorum nunquam processisse? quid crudelius, quàm in Mortuos desævire? Quare cap. 50. & ultimo concludit: *Sed hoc agite boni Præsides, meliores multò apud Populum, si illis Christianos immolaveritis. Cruciate torquete, damnate, atterite nos; probatio est enim innocentiæ nostræ iniquitas vestra*. Ita de Persecutione Severi, quæ suo tempore agebatur, loquitur Tertullianus. Cur autem Severus priùs erga Christianos mitis in eos adeò exarserit, ratio ex Historicis petitur: quia nimirùm naturâ crudelis erat, & in eo quòd semel animo conceperat prosequendo, immobili ferocitate perseverabat: unde ait de eo Spartianus, *infinita multorum cæde crudelior habitus est ... solum vitium crudelitatis excusans. De quo Senatus ita judicavit, illum aut nasci non debuisse, aut non mori, quòd & nimis crudelis, & nimis utilis Reipublicæ videretur*.

X. Hæc de Persecutionis sævitia. Nunc de ejus diuturnitate agendum. Doduvellus eam ad biennium restringit, dicens, occasione ludorum secularium, qui anno 12. Severi celebrati sunt, Persecutionem fuisse sedatam, *ne tanta solemnitas cruore macularetur*. Sed hìc immemor sui apparet Doduvellus, qui aliàs sæpè dicit occasiones Persecutionum fuisse ludos. Cùm enim, ut supra dixi ex Tertulliano in Apolog. cap. 35., Christiani in publicis Imperatorum Festis nec faces accenderent, nec laureis postes adumbrarent, nec alia facerent quæ Pagani, sed tristes & modesti apparerent, quasi publicæ prosperitatis & Cæsarum fortunæ adversarii & hostes à Populo accusabantur. Fateor quidèm, Persecutionem aliquando minùs sæviisse pro Præsidum genio, vel Ministrorum indulgentiâ, à quibus etiam erogato pretio Ecclesiæ libertatem suam redimebant, alii fugâ elabi conabantur: hæ tamen induciæ erant, non pax. Nam post hæc inopinatò deprehensi, quòd Christiani essent, vel Fidem negare vel mortem subire cogebantur.

XI. Utro-

XI. Utroque modo & fugâ & argento Persecutionem evadere curavit S. Rutilius. Sed inopinatè detentus ac Judici cuidam præsentatus, post atrociora tormenta fortiter tolerata, flammis consumtus interiit; benedicens Deum, quòd honore Martyrii ipsum decoravit, quod indignum se reputans effugere tentaverat. Humilitati enim ejus suæ infirmitatis conscii fugam Catholici tribuebant; in cujus præmium fortitudinem ad ferendum Martyrium à Deo accepit. Hoc exemplum necessarium erat eo tempore, quo Tertullianus & cæteri Montanistæ in oppositum errorem lapsi, Philosophiæ Stoicæ fastu, contendentes, vetitum esse in Persecutione fugam arripere, plures infirmos periculo abnegandi Fidem exponebant. Cùmque eis objicebatur Christi permissum Matth. 10. v. 23. dicentis: *Cùm autem persequentur vos in Civitate ista, fugite in aliam*, respondebant, hoc dictum esse solis Apostolis, & in persona eorum, ut videre est apud Tertullianum unum ex illis L. de Fuga in Persec. cap. 5. & 6., ubi licèt damnet Rutilii factum, eum tamen Sanctum Martyrem appellat his verbis: *Rutilius Sanctissimus Martyr cùm toties fugisset Persecutionem de loco in locum, etiam periculum (ut putabat) nummis redemisset, post totam securitatem, quam sibi prospexerat, ex inopinato apprehensus & Præsidi oblatus tormentis dissipatus, credo pro fugæ castigatione, dehinc ignibus datus, passionem, quam vitarat, misericordiæ Dei retulit*. Ita Tertullianus factus Montanista subdens: *Quid aliud voluit Dominus nobis demonstrare hoc documento, quàm fugiendum non esse, quia nihil fuga prosit, si Deus nolit?*

XII. Ecclesia tamen Catholica semper sensit, & adhuc sentit, licere fugere in Persecutione; nisi ex fuga, puta Pastoris, periclitarentur oves, & gloria Christi detrimentum pateretur. Primum docuere: Cyprianus tum Epist. 56., tum Lib. de lapsis, ubi post varia Scripturæ loca allegata ait: *Et ideò Dominus in Persecutione secedere & fugere mandavit, atque, ut id fieret, & docuit & fecit. Nam cùm corona de Dei dignatione descendat, nec possit accipi nisi fuerit hora sumendi, quisquis in Christo manens interim cedit, non Fidem denegat sed tempus expectat*: Athanasius, qui Apologiam edidit pro fuga sua: S. Augustinus Tract. 46. in Joann.; ubi advertens Christum Jo. 10. v. 13. dicere, *Mercenarius fugit, quia Mercenarius*, & videns Petrum & Paulum in Persecutione fugisse, qui tamen Pastores non Mercenarii erant, dicit: *Si ergo Pastores non Mercenarii erant, quare fugiebant, quando Persecutionem patiebantur? Expone nobis, o Domine. Vidi in Epistola fugientem Paulum; per murum in sporta submissus est,*

est, ut manus Persequentis evaderet. Non ergo illi fuit cura de ovibus, quas lupo veniente deserebat? Fuit planè; sed eas Pastori in Cœlo sedenti orationibus commendabat: se autem utilitati eorum fugiendo servabat, sicut quodam loco (Philipp.1. v.24.) *ait, Manere in carne necessarium propter vos. Ab ipso namque Pastore omnes audierant: si vos persecuti fuerint in una Civitate, fugite in aliam*. Alterum verò nempè Pastori non esse fugiendum, quando ex ejus fuga nascitur detrimentum ovium & gloriæ Dei, multis idem S. Augustinus ostendit Epist. 228. aliàs 180. ad Honoratum; fugiendum esse, quando vel non sunt oves, vel alii remanent, qui earum curam gerant, sicut fugit Paulus, fugit & Athanasius; non fugiendum autem quando periculum est, ne desertas oves lupus rapiat & disperdat: *Cur enim*, inquit, *sibi putant, indifferenter obtemperandum esse præcepto, ubi legunt de Civitate in Civitatem esse fugiendum; & Mercenarium non exhorrent, qui videt lupum venientem & fugit, quoniam non est ei cura de ovibus?*

XIII. Cùm ergo fuga Rutilii secum non traxerit periculum ovium, quarum cura commissa ei non legitur, licitè uti potuit Christi præcepto de una Civitate fugiendo in aliam, expectando tempus à Deo statutum pro corona; quod ubi advenit, illud generoso Martyrio acceptavit, non in fugæ pœnam, ut vult Tertullianus, sed in coronam. Quare Ecclesia Catholica eam in Martyrol. die 2. Augusti celebrat dicens: *In Africa S. Rutilii Martyris, qui cùm sæpiùs de loco in locum Persecutionem fugisset, & periculum interdum etiam pecuniâ redemisset, ex inopinato aliquando deprehensus & Præsidi oblatus, tormentis plurimis cruciatur: demum ignibus traditus egregio Martyrio coronatur*. Ex his apparet, Rutilium in Africa passum eo tempore, quo Tertullianus ad Montanistas defecerat: quod cùm circa medium annum Christi 207. contigisse putet Tilmontius, ideò post passum fuisse Rutilium statim dicam: & sic ultra annum 204. Persecutio continuavit.

XIV. Imò quantum ex historiis conjicere licet, Severus in persequendis Christianis usque ad mortem perstitit, quæ 4. Februarii anni 211. evenit. Cùmque vix credi possit, Severi morte statim Persecutionem extinctam fuisse, sed potiùs probabile videatur, Caracallam & Getam filios, & in Imperio Successores, in honorem Patris Edicta ejus contra Christianos aliquantò temporis post exequi sustinuisse; si verum est, Tertullianum post mortem Severi scripsisse Librum ad Scapulam, ut cap.4. indicare videtur, dici debebit, Persecutionem in aliquibus saltem

Provinciis & maximè in Africa, ipso Scapulâ ibi Proconsule, continuasse. Generalem tamen Persecutionem Severi morte cessasse colligitur ex Sulpitio Severo L.2. hist. cap.48., qui triginta & octo annos pacis numerat inter Severianam & Decianam Persecutionem. Cùm autem Decius ante annum 249. non imperaverit, necesse est, ut Severi Persecutio anno 211., qui fuit extremus Severi, saltem ut Edictis Imperialibus promota, finem habuerit.

§. IV.

S. Perpetua Felicitas &c. Martyres sub Severo.

I. EX dictis à Tertulliano & Eusebio colligere quis potuit §. præcedente, innumerabiles sub Severo factos fuisse Martyres: quibus addi potest Clemens Alexandr., qui, eodem Eusebio testante L.6. cap.6., imperante Severo scribebat. Is enim L.2. Stromatum pag.414. sic loquitur: *Nobis autem sunt quotidie redundantes Martyrum fontes, qui nostris spectantur oculis, qui torrentur torquentur & capite damnantur*. Quia tamen Doduvellus de more paucos fuisse dicit, quia Eusebius paucorum nomina refert; quamvis insulsum sit hoc argumentum; nihilonùs pro gloria Christi & Ecclesiæ aliquos celebriores referam.

II. Præ cæteris Africam illustravit Martyrium SS. Perpetuæ, Felicitatis & sociorum, Revocati, Saturnini, & Secundoli. Perpetua adhuc juvenis (alio nomine dicta *Vbia* seu *Vibia*) adhuc catechumena nupta erat, nec ignobilis quin clari generis, filium pepererat, quem lactabat: tota ejus domus Christo initiata erat, solus pater obstinatè in Gentilitate vivebat. Vir illius, licèt aliqui Gentilem fuisse velint ac unà cum Patre uxorem ad renuntiandum Christo sollicitantem, probabiliùs tamen creditur fuisse Christianus, & vel absens ut declinaret Persecutionem, vel jam defunctus. Duos Fratres adhuc viventes habuisse traditur, & insuper tertium nomine Dinocratem, qui septennis defunctus fuerat, de quo infra.

III. S. Felicitas inferioris conditionis erat, parentibus orbata, nupta, & à septem vel octo mensibus uterum gestans, adhuc juvenis: Revocati sororem aliqui faciunt. Utramque inter cæteros summis laudibus sæpè celebrat S. Augustinus, & præcipuè L. de tempore barbarico cap.5. sic: *Habetis Virorum fortium magna exempla. Vicerunt Martyres Mundum; inter quos Martyres etiam feminæ repertæ sunt fortiores. Ante paucos dies nata-*

natalitia celebravimus Martyrum Perpetuæ & Felicitatis & Comitum. Et cùm tot ibi sint Viri, quare illæ duæ præ omnibus nominantur, nisi quia infirmior sexus aut æquavit aut superavit Virorum fortitudinem? Una earum erat prægnans, alia lactans: Felicitas parturiebat, Perpetua lactabat. Sed tamdiu hæc Perpetua lactavit, quamdiù acciperet ab illo Pastore simul & Patre buccellam lactis: quâ acceptâ dulcedo felicitatis perpetuæ eam fecit contemnere filium, spernere Patrem, non hærere Mundo, perdere animam pro Christo. Felicitas verò, quæ sociam habebat Perpetuam, parturiebat & dolebat, objecta bestiis gaudebat potiùs quàm timebat: quæ virtus in Feminis? Qualis est gratia, quæ cùm se infundit, nullum indignum judicat sexum? Gratias Gratiæ; reparavit enim sexum muliebrem. In opprobrium magnum mulier remanserat, quia ab initio per mulierem peccatum, & propter hanc omnes morimur: Diabolus unam Evam dejecit, sed Christus natus ex Virgine multas Feminas exaltavit. Perpetua & Felicitas caput calcaverunt Serpentis, quod Eva ad cor suum intùs admisit. Illam seduxit falsa promittendo, illas non valuit superare sæviendo; illam decepit in Paradisi felicitate, has non potuit adire nec sub tantorum positas potestate &c. His & aliis Augustinus harum duarum mulierum celebrat fortitudinem. De iis etiam Serm. 280. 281. & 282. aliàs Serm. 103. 104. & 105. de diversis.

IV. Nunc ad Acta Passionis SS. Perpetuæ & Sociorum, quæ à Ruinart per extensum referuntur, procedam. Comprehensi igitur omnes aliquot diebus extra carcerem sub custodia Militum permanserunt. Hoc audito, Perpetuæ Pater, qui, ut dixi, in gentilitate obduratus permanebat, accurrit ad filiam, ab ea petens, quæ tanti infortunii & suæ familiæ dedecoris causa esset. Cui cùm illa suavibus at simul constantibus verbis respondisset, hoc sibi accidisse, quòd Christiana esset, & talis esse vellet; tunc furore commotus Pater totus se in illam immisit, ut ei oculos erueret, quod tamen non perfecit, sed calcibus & pugnis vexatam, furens ac fremens filiam constantiorem reliquit; quæ Patre per aliquot dies non comparente, gratias agebat Deo, quòd à tam gravi periculo eam eruisset. Hoc tempore Perpetua ceterique Catechumeni Baptismo initiati fuere. Quo actu Perpetua nil aliud rogavit Deum, quàm ut fortem ipsam servaret in perferendis suppliciis. Et quidèm gratia Dei necessaria erat; cùm enim paulò post ipsa & alii Minucio Proconsuli præsentati Diis sacrificare juberentur, at Saturus pro omnibus respondisset, id se numquam facturos, Christiani enim erant, omnes in tetrum carcerem detrusi sunt.

N 2 V. Hor-

V. Horrore ac tenebris carceris ſe perculſam fuiſſe ipſamet S.Perpetua fatetur; numquam enim tales tenebras experta fuerat ac tales æſtus, ob ibi incluſorum multitudinem & Militum concuſſionem, & præcipuè ob ſollicitudinem infantis, quo privata erat. Subvenit tamen Deus per Tertium & Pomponium Diaconos, qui eis miniſtrabant; hi enim obtinuerunt pretio, ut quolibet die emiſſi in meliorem carceris locum paucis horis refrigerarentur: quo tempore exeuntes de carcere ſuis commodis ſinguli vacabant. Infantem ſuum ſibi conceſſum Perpetua lactabat, quem obtinuit, ut ſecum in carcere haberet. Tandem poſt multos mœroris dies, adeò fortis ac hilaris evaſit, ut carcer in palatium, & anguſtiæ in ſolatium ei verterentur.

VI. Eodem tempore fratre eam hortante, S. Perpetua rogavit Deum, ut quid de ſe & Sociis futurum eſſet, ſibi manifeſtaret. Vidit ergo in ſomnis ſcalam æream à terra uſque ad Cælum pertingentem & ita anguſtam, ut vix ſinguli per eam poſſent aſcendere, & in lateribus ſcalæ fixi erant gladii, novaculæ, lanceæ, & omne genus ſimilium, ut ſi quis negligenter aut non ſursùm attendens aſcenderet, laniaretur, & carnes ejus inhærerent ferramentis. Sub ipſa autem ſcala erat Draco cubans miræ magnitudinis, qui aſcendentibus inſidias ſtruebat. Aſcendit autem Saturus prior (is cum illis comprehenſus quidem non fuerat, ſed poſtea ſe ultrò tradiderat) & perveniens in caput ſcalæ ad Perpetuam ſe convertit dicens, Perpetua, ſuſtineo te; ſed vide, *ne te mordeat Draco ille*. Cui Perpetua: *Non me*, inquit, *nocebit in nomine Jeſu Chriſti.* Cùm de ſub ipſa ſcala Draco, quaſi timens illam, lentè elevaſſet caput, Perpetua primum gradum aſcendens pede calcavit illius caput: ubi S. Auguſtinus Serm. 280. ait: *Calcatus eſt ergo Draco pede caſto, & victore veſtigio, cùm erectæ demonſtrarentur ſcalæ, per quas Beata Perpetua iret ad Deum. Ita caput Serpentis antiqui, quod fuit præcipitium Feminæ cadenti, gradus factum eſt aſcendenti.*

Aſcendens ergo Perpetua in altum ſcalæ vidit hortum valdè ſpatioſum, & in medio horti ſedentem hominem canum in habitu Paſtoris grandem oves mulgentem, & circumſtantes candidatos millia multa: qui elevans caput & aſpiciens Perpetuam ei dixit: Benè veniſti filia; cùmque eam ad ſe vocaſſet, de caſeo, quod mulgebat, dedit ei quaſi buccellam, & acceptum junctis manibus manducavit: & omnes circumſtantes dixerunt *Amen*. Et ad ſonum vocis expergefacta eſt, manducans adhuc ignotum ſibi aliquid dulce. Huc ſpectavit S. Auguſtinus de Tempore Barbarico cap. 5. ſupra relatis verbis: *Sed tandiù hæc Perpetua*

tua lactavit, quamdiù acciperet ab illo Pastore simul & Patre bucellam lactis, quâ acceptâ dulcedo felicitatis Perpetuæ eam fecit contemnere filium, spernere Patrem, non hærere Mundo, perdere animam pro Christo. Atque ita fuit. Nam cùm retulisset Fratri suo visionem, ambo intellexerunt passionem esse futuram, & nullam jam spem in seculo habere cœperunt.

VII. Post paucos autem dies rumore sparso, quòd Sancti Confessores judicialiter interrogandi essent, supervenit iterùm ad carcerem Perpetuæ Pater mœrore plenus, eamque primò blandè, Miserere, inquit, filia canis meis, miserere Patri, si dignus sum à te Pater vocari. Aspice ad Fratres tuos, aspice ad Matrem tuam, ad materteram, ad Filium tuum, qui sine te vivere non potest. Hæc & alia illacrymans dicens osculabatur ei manus, & se ad pedes ejus jactans non jam filiam, sed dominam appellabat. Ad hæc Perpetua dolens quidèm, sed pietati Religionem præferens respondit: Cùm erimus in catasta (loco Judicii) fiet, quòd Deus voluerit, Dei enim sumus. Cùmque nil aliud obtinere posset, Pater tristis abscessit.

Altero die dum Sancti Confessores simul pranderent, subitò omnes rapti sunt ad Forum, ut audirentur, & factus ibi est Populus immensus. Interrogati cæteri confessi sunt. Ventum est ad Perpetuam, & illicò coram ea apparuit Pater cum filio ejus lactente, & extrahens eam de gradu dixit supplicans: miserere infanti. Tunc Hilarianus Procurator, qui Minucii Proconsulis jam defuncti vices gerebat: Parce, inquit, Perpetua canis Patris tui, parce infantiæ pueri: fac Sacrum pro salute Imperatorum. Cui Perpetua respondit, *Non facio*. At Hilarianus, Christiana es? quæ inquit, *Christiana sum*. Tunc iratus Pater eam dejicere tentavit. Sed jussus est ab Hilariano dejici, & virgâ percussus est. Doluit Perpetua de casu Patris sui pro senecta ejus, acsi ipsa percussa esset. Pronunciatâ autem contra omnes sententiâ, quâ damnabantur ab bestias, hilares descenderunt ad carcerem. Perpetua autem, à qua infans consueverat mammas excipere, misit Pomponium Diaconum postulans infantem, sed cùm Pater dare nollet, Divinâ voluntate factum fuit, ut nec infans ulteriùs mammas desideraret, nec Perpetua sollicitudine infantis & mammarum dolore imposterùm cruciaretur.

VIII. S. Augustinus Serm. 281. considerat Diaboli artem, qui tentare voluit S. Perpetuam per Patrem, non per maritum, & illius constantiam simul & pietatem, ait: *Meritò ille vetus ac veteranus inimicus ne ullas præteriret insidias, qui per Feminam dece-*

deceperat Virum; quia viriliter secum agentem Feminam sensit, per Virum eam superare tentavit. Nec maritum supposuit, ne illa quæ jam supernâ cogitatione habitabat in Cælis, suspicionem desiderii carnis erubescendo permaneret fortior; sed Patrem verbis deceptionis instruxit, ut religiosus animus, qui non molliretur voluptatis instinctu, pietatis impetu frangeretur. Ubi Sancta Perpetua tantâ Patri moderatione respondit, ut nec præceptum violaret, quo debetur honor parentibus, nec dolis cederet, quibus altior agebat inimicus. Qui undique superatus, eundem Patrem ejus virgâ percuti fecit; ut cujus verba contempserat, saltem verbera condoleret. Ibi verò doluit illa senis parentis injuriam, & cui non præbuit assensum servavit affectum &c.

IX. Paucis elapsis diebus dum Sancti Confessores jam ad bestias damnati, simul orantes tempus certaminis præstolarentur; Perpetuæ dum oraret in mentem venit Dinocrates frater ejus, qui adhuc puer septennis jam obierat, cœpitque ingemiscens orare pro eo. Continuò ipsâ nocte in visione ostensus illi fuit Dinocrates exiens de loco tenebroso, ubi complures erant, æstuans & sitiens valdè, sordido vultu & colore pallido, & vulnus in facie ferens, quòd cùm moreretur habuit. Erat in loco illo piscina aquâ plena, sed habens marginem adeò altum, at staturam pueri excedentem, ut Dinocrates, quamvis assurgens ex ea aqua sitim levare conaretur, obtinere non posset. Doluit Perpetua, & maximè quòd cùm in loco valdè distanti esset, ad eum accedere non poterat. Experrecta tamen in precibus pro ipso continuavit, sperans illi eas profuturas. Interim translati omnes fuere ad carcerem Castrensem, inde ad Amphiteatrum deducendi & bestiis exponendi, occasione Ludorum, qui 7. Martii celebrari debebant in natali Getæ Sereni filii Cæsaris declarati. Die autem, quo erant in isto carcere, Dinocrates Perpetuæ apparuit hilaris extrahens phialam de piscina, quæ summissa erat, ac de aqua ad satietatem bibens ac more puerorum ludens, ex quo intellexit Perpetua eum liberatum fuisse à pœna.

X. Videtur iste egregius locus ad probandum, mortuos posse à pœnis, quas patiuntur post mortem per vivorum preces liberari. Eo tamen, tempore S. Augustini, aliqui nimirùm Pelagiani abutentes dicebant, posse etiam eos qui decesserant ante Baptismum orationibus adjuvari. His tamen se opponit S. Doctor L. 1. de Origine Animæ cap. 10. & L. 3. cap. 9., quòd licèt Dinocrates non legatur fuisse ante mortem baptizatus, sicut de aliis multis non legitur, baptizatus tamen cum cæteris domus suæ fuisse credendus est: quia tamen ab impio Patre fortè deceptus

ptus aliquid Gentilitatis retinuit, sibi pro illa ætate ad æternam damnationem non imputabile, ideò pœnam subire temporalem coactus, ab hac precibus sororis liberatus fuit. Sic Augustinus L.3. citato cap.9.: *Dinocrates autem septennis puer, in quibus annis pueri cùm baptizantur, jam symbolum reddunt, & pro se ipsi ad interrogata respondent, cur non tibi visus fuerit baptizatus, potuisse ab impio Patre ad Gentilium sacrilegia revocari, & ob hoc fuisse in pœnis, de quibus sorore orante liberatus est, nescio: neque enim & ipsum vel nunquam fuisse Christianum, vel Catechumenum defunctum fuisse legisti? quamquam ipsa lectio non sit in eo Canone Scripturarum, unde in hujusmodi quæstionibus testimonia proferenda sunt.*

XI. Hisce postremis Augustini verbis moderni Hæretici Purgatorii hostes infensissimi abutuntur; & dicunt, hoc merum somnium fuisse à Perpetua levioris genii femina pro visione suppositum, eamque proinde Discipulam Montani traducunt. Sed impudenter, ut de more, loquuntur, nec soli S. Perpetuæ injurii sunt, sed & Ecclesiæ universæ etiam veteri, quæ eam ejusque visiones honoravit. Augustinus autem eas non rejicit, sed solùm dicit, eas non esse in eo Canone Scripturarum, unde in quæstionibus Fidei testimonium petendum sit. Cæterùm hâc Dinocratis S. Perpetuæ apparitione in prælaudatis L. de Origine Animæ sæpe utitur, & L.4. cap.18. eam affert ad confirmandum, animam non esse corpus, nec posse mori cum corpore.

XII. Interea quidam Miles nomine Pudens inspector carceris, ex iis quæ in Sanctis Confessoribus videbat, cœpit intelligere, in eis esse virtutem Dei, multosque Fideles ad ipsos, ut mutuò consolarentur, admittere, donec & ipse tandem ad Christum conversus fuit. E converso S. Perpetuæ Pater in infidelitate obduratior, imminente passionis die mœrore consumtus accedens cœpit barbam suam evellere, se in terram mittere & prosternere se in faciem, improperare annis suis & tanta dicere, quæ universam creaturam moverent. At Perpetua nihil commota, solùm de Patris cæcitate doluit.

XIII. Pridiè quàm in agonem descenderet, sibi per visum apparuit, ad ostium carceris venisse Pomponium Diaconum & vehementer pulsare. Accessit ad eum, qui manu apprehensam Perpetuam cœpit ducere per loca aspera & flexuosa; cùmque ad amphiteatrum pervenissent, eam in media arena relinquens, hortans, ut fortis esset; & se cum ea laboraturum promittens abiit. Ipsa Populum ingentem adspiciens, sciensque se ad bestias damnatam, mirabatur, cur hæ contra illam non mit-

mitterentur. Sed bestiarum loco vidit contra se stare Ægyptium quemdam facie fœdum cum adjutoribus suis eam ad pugnam provocantem. Vidit insuper, Juvenes pulchros in sui adjutorium venientes, à quibus expoliata masculus facta fuit, ac subinde ab eis oleo, ut Athletis fieri solet, confricata. Statimque apparens vir quidam magnus ramum viridem gestans, in quo erant mala aurea dixit: Hic Ægyptius, si hanc vicerit, occidet eam gladio: & ipsa, si hunc vicerit, accipiet ramum istum. Tunc Ægyptius & Perpetua accedentes ad invicem pugnare cœperunt, diùque luctando, tandem Perpetua apprehendit Ægyptii caput, eique in faciem cadenti caput calcavit. Quare Populus conclamare cœpit. Et Vir ille magnus exosculatus eam, ramum ei tradidit. Quo experrecta intellexit, se non tam contra bestias, quàm contra Diabolum feliciter pugnaturam.

Ex hac visione S. Augustinus L.4. de Orig. An. cap.18. probat, Animam non esse corpus, dicens: *Sancta Perpetua visa sibi est in somnis cum quodam Ægyptio in Virum conversa luctari. Quis autem dubitet, in illa similitudine corporis Animam ejus fuisse non corpus, quod utique in suo femineo sexu manens, sopitis sensibus jacebat in stratis, quando anima ejus in illa virilis corporis similitudine luctabatur?* Nec sola Perpetua sed Saturus quoque aliâ visione, quam ipse descripsit, donatus fuit, & legere est in Actis S. Perpetuæ apud Ruinart. In hac refert, se cum aliis Martyribus deportatum fuisse ab Angelis usque ad Thronum Dei, ibique vidisse, quæ loco citato Studiosus legere poterit.

XIV. Interea sancti Confessores in carcere hilares imminentem sui agonis diem sollicitabant. Solùm eos affligebat Sanctæ Felicitatis status, quæ utpotè solis octo mensibus effœta, nondum in statu parturiendi posita, timebant, ne illis socia esse posset, ad tempus dilato ejus Martyrio: Romanis enim Legibus, acceptis à Græcis, & à Græcis ab Ægyptiis, vetitum erat, Feminam prægnantem mortis pœna mulctare, ne cum reo sanguis innocens funderetur. Dum ergo conjuncto gemitu de hoc Deum orarent, ecce Felicitas subitò doloribus partus corripitur. Cùmque in partu eam laborantem quidam ex Ministris ostii carceris custodibus (cataractariis dictis) vidisset; ait: Quæ sic modò doles, quid facias objecta bestiis, quas contemsisti, cùm sacrificare noluisti? Cui Felicitas respondit: *Modò ego patior quod patior; illic autem alius erit in me, qui patietur pro me: quia & ego pro illo passura sum.* Ita enixa est puellam, quam sibi quædam Christiana soror adoptavit & educandam suscepit. De hoc Sanctus Augustinus Serm.281. hæc habet: *Felicitas verò etiam in car-*

carcere prægnans fuit. In parturiendo femineam conditionem femineâ voce testata est. Non aberat Evæ pœna, sed aderat Mariæ gratia. Exigebatur quòd mulier debebat, opitulabatur quem Virgo pepererat. Denique editus est partus immaturo mense maturus; actum est enim divinitùs, ut non suo tempore onus uteri poneretur, ne suo tempore honor Martyrii differretur: actum est, inquam, divinitùs, ut indebito die fœtus ederetur, dum tamen tanto comitatui Felicitas redderetur, ne si defuisset, non solùm socia Martyribus verùm etiam ipsorum Martyrum præmium defuisse videretur. Ita Sanctus Augustinus ad nomina Perpetuæ & Felicitatis alludens: præmium enim Martyrum sine perpetuitate & felicitate esse non potest.

XV. Nunc ad S.Perpetuam redeundo, aliud suæ constantiæ & sublimitatis animi documentum Acta referunt. Cùm Tribunus instigatione quorumdam perditorum Martyres strictiùs tractaret, timens ne magicis artibus è carcere elaberentur, Perpetua ei dixit: Cur non permittis hisce reis destinatis ad pugnam in natali Cæsaris sumere refrigerium? An non tua gloria est, si pinguiores ac vegetiores illuc perducamur? Erubuit ad hæc Tribunus, & jussit illos humaniùs haberi, & ut fratribus ejus & cæteris facultas fieret introeundi & refrigerandi cum eis. Quia verò qui erant cum bestiis pugnaturi, ut notat Tertullianus Apolog. cap.44., pridie cœnabant lautissimè & palàm, quam cœnam ceu ultimam *liberam* vocabant, nostri Martyres profanæ hujus cœnæ libertatem in Agapum modestiam converterunt. Cùmque ad eos multus Populus accurrisset, sic ei loquebantur, quasi ituri essent ad triumphum, suam contestantes felicitatem; simul tamen Dei judicium comminantes, dicente Saturo. „ Crastinus dies satis vobis non est, ut sanguinarios „ vestros oculos saturetis: vos hodie tanquam amicos nos con- „ venitis, cras ut inimicos oderitis. Notate tamen facies no- „ stras diligenter, ut cognoscatis nos in die illo Judicii. „ Ita omnes inde attoniti discedebant: ex quibus multi crediderunt.

XVI. Illuxit tandem dies victoriæ eorum septima Martii, & processerunt de carcere in Amphiteatrum hilares, vultu decori, gaudium ostendentes non timorem. Deerat Secundolus; Deus enim ipsum ad se in carcere vocaverat, & à bestiarum dentibus præservaverat vivum; quamquam ut indicare videntur Acta, ejus corpus in Amphiteatrum delatum ictibus expositum fuerit, quos anima sentire non poterat. Perpetua & Felicitas hilari sed modesto incessu sequebantur. Cùmque omnes pervenissent ad portam & cogerentur habitum induere, Viri quidem

Sacerdotum Saturni, Feminæ verò devotarum Cereri, constanter renuerunt. Unde injustitiam agnoscens Tribunus concessit, ut quomodò erant simpliciter inducerentur. Perpetua psallebat, Revocatus & Saturninus & Saturus Populo spectanti comminabantur. Ut ad conspectum Hilariani pervenerunt, gestu ac nutu voceque gravi cœperunt ei dicere: *Tu nos, te autem Deus judicabit*. Quibus Populus exasperatus, flagellis eos vexari pro ordine Venatorum postulavit (stabant enim Venatores cum flagris per ordinem dispositi, ante quos damnati transire coacti, à singulis transeuntes cædebantur) & utique illi gavisi sunt, quòd aliquid de Dominicis Passionibus essent consecuti.

XVII. Jam cùm ad certamen ventum esset, concessit Deus, ut quisque ei quod optaverat certamini exponeretur. Saturninus & Revocatus, qui cùm quacumque bestia certare optaverant, à Leopardo primùm invasi, deinde ab Urso rapti, occisi tamen non sunt. Saturus autem Ursum exhorrens, uno Leopardi morsu se confici sperabat. Sed Apro in eum injecto, tortus quidèm aliqualiter fuit, sed Venator, qui illum immiserat, ab illo subfossus post aliquot dies interiit. Et cùm Saturus ad Ursum expositus substrictusque esset in ponte, Ursus de cavea prodire noluit, unde Saturus secundò illæsus revocatur.

XVIII. Perpetuæ autem ac Felicitati ferocissimam Vaccam bestiam eorum sexui accommodatam Diabolus præparavit. Itaque despoliatæ, & reticulis indutæ producebantur. Horruit Populus alteram respiciens Puellam delicatam, alteram à partu recenti mammis stillantibus, ideòque aliquâ veste seu tunicâ coopertæ fuerunt: ita revocatæ separantur. Inducitur prior Perpetua, quæ jactata à bestia concidit in lumbos. At ubi conspexit tunicam à latere discissam, eam ad velamentum femorum attraxit pudoris potiùs memor, quàm doloris. Videns etiam capillos sibi dispersos alligavit; non enim decebat Martyrem dispersis capillis pati, ne in suo triumpho plangere videretur. Ita surrexit, & cùm elisam Felicitatem vidisset, accessit, manum ei tradidit & sublevavit illam. Ambæ igitur ita steterunt, & duritiâ Populi emollitâ, aliis bestiis denuò expositæ non fuere; ad portam revocatæ fuerunt, ut ibi usibus Gladiatorum vitam finirent. Tunc Catechumenus quidam Rusticus nomine ad Perpetuam accedens illam suscepit. Cui illa quasi à somno expergita, adeò enim in spiritu & extasi fuerat, oculos circumquaque vertens: *Et quando*, inquit, *ad vaccam illam producimur*? & cùm audisset, quod jam evenerat, non priùs credidit, quàm notas vexationis in corpore & veste suâ recognovisset

ſet. Inde Catechumenum & fratrem ſuum allocuta dixit: *In Fide ſtate, & invicem omnes diligite, & paſſionibus noſtris ne ſcandalizemini.*

XIX. In hoc facto S. Auguſtinus potentiam Chriſti admirans Serm. modò 280. ait: *Martyres Chriſti pro nomine & juſtitia Chriſti utrumque vicerunt: nec mori nec dolere timuerunt. Vicit in eis, qui vixit in eis: ut qui non ſibi ſed illi vixerunt, nec mortui morerentur. Ipſe eis exhibebat ſpiritales delicias, ne ſentirent corporales moleſtias... Nam ubi erat illa Femina, quando ad aſperrimam vaccam ſe pugnare non ſenſit, & quando futurum eſſet quod jam fuerat inquiſivit? Ubi erat? Quid videns iſta non viderat? Quo fruens iſta non ſenſerat? Quo amore alienata, quo ſpectaculo avocata, quo poculo inebriata? Et adhuc hærebat nexibus carnis, adhuc moribunda membra geſtabat, adhuc corruptibili corpore gravabatur. Quid cùm reſolutæ his vinculis animæ Martyrum, poſt labores periculoſi certaminis, triumphis Angelicis exceptæ atque refectæ ſunt, ubi non eis dicitur, Implete quod juſſi, ſed, Accipite quod promiſi?* &c. Talia pro ſuis Sectis adducant Ethnici Mahumetani, cæterique Infideles. Quod ſi non, ut certè non, ſua Idola aut falſum ſuum Prophetam tantam ſuis ſectatoribus nedum Feminis, ſed & Viris virtutem dediſſe unquam oſtendent, credant Chriſti Religionem unicam eſſe veram, & à Deo auctore prodiiſſe. Sed proſequamur.

XX. Saturus, quem tangere urſus auſus non fuerat, in alia porta ſtans militi Pudenti, ut eum in Fide confirmaret, dixit: Vides, quòd *ſicut promiſi & prædixi, nullam uſque adhuc beſtiam ſenſi. Et nunc de toto corde credas. Ecce prodeo illò, & ab uno morſu leopardi conſumor.* Atque ita fuit, Leopardo enim objectus de uno morſu ejus tanto perfuſus eſt ſanguine, ut Populi teſtimonio quaſi novo Baptiſmo lotus fuerit. Tunc Sanctus Martyr eidem Pudenti: *Vale*, inquit, *& memor eſto Fidei meæ; & hæc te non conturbent ſed confirment.* Simulque anulum de digito ejus petiit & vulneri ſuo merſum ei reſtituit, tanquam pignus ſucceſſionis, & monumentum Martyrii, quod & ipſe paſſurus erat. Exinde Saturus jam exanimis proſternit ſe ad jugulationem ſolito loco. Pudens miles, de quo nuper, & qui humaniter egit cum hiſce Martyribus, cuique Saturus agonis pignus tradidit, probabiliùs creditur fuiſſe ille, de quo agit Kalendarium Carthaginenſe 3. Kalend. Maii his verbis: *Martyris Pudentis.*

XXI. Ut tandem horum SS. Martyrum Acta glorioſo exitu coronentur, ſciendum; morem (barbarum quidèm) fuiſſe, ut qui beſtiarum dentibus vitam non integrè amiſiſſent, ad locum

Amphiteatri Spoliarium dictum deportarentur; ibi à tyronibus Gladiatorum finiendi: ibi enim tyrones Athletæ reos conficiebant; ut sic ad pugnam assuescerent. Huc ergo omnes SS. Martyres tracti, cùm super terram prostrati extremum ictum expectarent, conclamante Populo, ut in medium producerentur, & sic gladio penetrante eorum corpora testis & socius fieret homicidii; Illi ultrò surrexerunt, & se quò volebat Populus transtulerunt, ante jam osculati invicem, ut Martyrium per solemnia pacis consummarent. Cæteri quidèm immobiles, & cum silentio ferrum exceperunt; multò magis Saturus, qui & prior scalam ascenderat, prior reddidit spiritum, ut in summo scalæ Perpetuam expectaret, secundùm quod in visione apparuerat, ut supra dixi.

Postrema fuit Perpetua, quæ cum à juvenculo & imperito Gladiatore, ut aliquid doloris gustaret in osse inter costas vulnerata clamorem edidit; sed ipsa errantem Gladiatoris dexteram tenens gladium ad jugulum suum posuit: *Fortasse* (ajunt Acta) *tanta Femina aliter non potuisset occidi; quia ab immundo Spiritu timebatur, nisi ipsa voluisset.* Nec dicat aliquis, Perpetuam in hoc peccasse, quia nemini licet ad suam mortem cooperari: nam hoc speciali Spiritus Sancti impulsu eam (sicut & alia) fecisse credendum est. Ita S. Thomas 2. 2. qu. 64. ar. 5. ad 4. his verbis: *Sicut Augustinus dicit in 1. de Civit. Dei cap.21..* Nec Sampson aliter excusatur, quòd se ipsum cum hostibus ruinâ domus oppressit, nisi quòd latenter Spiritus Sanctus hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat. *Et tandem rationem assignat de quibusdam Sanctis Feminis, quæ tempore Persecutionis se ipsas occiderunt, quarum memoria in Ecclesia celebratur.* De hoc egi Tom.1. in 1.2. qu.3. Dub.7. §.3. num.44., & Tom.2. in 2. 2. qu. 8. Dub.2. §.2. num.9.

XXII. De tempore, quo hoc insigne Martyrium contigit, probabiliùs creditur fuisse anno Christi 202. vel 203. Nonis Martii, Severi Imperii decimo vel undecimo. De loco verò quæstio est. Martyrol. Rom. 7. Martii supponit fuisse passos Tuburbi in Mauritania, Menologium Basilii 2. Februarii, in Africa locum non determinans; Carthaginem tamen fuisse probabiliùs judicatur: nam præterquam quòd Victor Vitensis L.1. de Persecut. Wandalica Sanctas Martyres Carthagine in Basilica Majori sepultas fuisse asserit, Martyrologia multa antiqua tum edita tum manuscripta has Sanctas Martyres Carthagine passas fuisse affirmant, & S. Prosper in Chronico de quinta Persecutione sub Severo loquens ait: *Quâ tempestate Perpetua & Felicitas*

pro

pro Christo passæ sunt Nonis Martii apud Carthaginem Africæ in castris bestiis deputatæ. Martyrolog. Romanum *Saturum* sive *Satyrum* omittit (qui tamen inter hos Martyres ex dictis præclarus fuit) fortè quia ut Acta dicunt, tunc cùm cæteri apprehensi fuerunt præsens non erat, sed postea pro eis ultrò se tradidit. Hactenùs dicta, si Lector, quisquis fuerit æquo animo perpenderit, tanta videns humanam virtutem maximè in Feminis superantia, non poterit, quin sententiam ferat, Christianam Religionem, quæ inter Persecutiones sic effloruit, á Deo esse, & proinde veram. At prosequamur.

§. V.

SS. Leonides Plutarchus &c. Potamiæna, Irenæus, Andeolus sub Severo Martyres :

I. INter plurimos Martyres, qui sub Severo pro Christo vitam dedere, Leonidam Origenis parentem ex Eusebio L. *6.* cap. 1. supra *§.3.* num.17. indicavi; modò de eodem aliqua repetam, ut præsertim Origenis ejus filii ardens Martyrii desiderium exponam, qui Martyrum Magister effectus, vitam nedum Martyrio non coronavit, sed pluribus erroribus miserè fœdatam clausit, relinquens in se perenne cunctis exemplum, ne nobis ipsis fidamus; juxta monitum Pauli ad Philipp. 2. v. 12. „ Cum „ metu & tremore salutem nostram operemur : Deus est enim „ qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.

II. Severo igitur annum Imperii decimum agente ac Læto Alexandriæ & totius Ægypti Prefecturam obtinente, cùm ardentissimum Persecutionis flagraret incendium, & innumerabiles Martyres coronarentur, Origenis animum adhuc admodùm pueri sextum decimum annum agentis tanta Martyrii cupido occupavit, ut se periculis ipsis objiceret, & prosilire ultrò ad certamen gestiret: quod evenisset, nisi impetum ejus Mater cohibuisset. Multò autem magis impetus ejus ad Martyrium efferbuit, cùm Patrem comprehensum in vinculis detineri intellexit, adeout Mater aliâ viâ eum coercere non valens, absconditâ omni ejus veste, eum vel invitum domi manere coegerit. Epistolis tamen Patrem monebat, ut fortis maneret nec causâ sui sententiam mutaret. Ita refert Eusebius L.*6.* cap.2., qui addit, quòd post Leonidæ parentis Martyrium completo anno 17. opibus paternis in Fiscum relatis, unà cum Matre & sex Fratribus natu minoribus in magna rerum egestate relictus est. Verùm Divinâ Pro-

Providentiâ quædam Matrona nobilitate conspicua & òpibus potens eum humaniter excepit; sed cùm hæc apud se Paulum quendam hæresi illius temporis infectum haberet, huic Origenes civiliter convivere cogebatur, numquam tamen adduci potuit, ut precibus unà cum illo interesset. Annum tamen agens 18. Scholæ Christianæ Alexandrinæ Præfectus, inde habuit, ut suis necessitatibus abundè provideret. Hæc de Origenis in prima ætate persona & fortuna.

III. Nunc de Martyribus, qui ex ejus magisterio prodiere, qui præsentis Operis scopus est, & de quibus agit Eusebius cap. 4., videamus. Quamvis enim Schola illa Grammaticæ institutioni destinata esset, ipse zelo Christianæ Fidei quo ardebat pluries de ea miscebat prædicationes, adeout plures etiam ex Gentibus ad audiendum Verbum convenirent. Primi ergo, qui Origenis scholam illustrarunt, fuere Heracles & Plutarchus fratres, qui in Paganismo vixerunt, donec Deus ad decorandam Christi Fidem utrumque vocavit, primum quidèm ad Sedem Alexandrinam post Demetrium gubernandam, alterum ad Fidem Christi Martyrio confirmandam. Contigit hoc anno 11. Severi, Christi autem 203.. Furente enim tunc Persecutione, terrore perculsi fugerant quotquot instructionis curam gerebant: solus Origenes intrepidus instituendi Catechumenos onus suscepit. Quantum autem profecerit, & quanta ob id passus fuerit, narrat Eusebius L. 6. cap. 3. his verbis: *Tunc siquidem apud universos Fideles maximam nominis celebritatem adeptus est, ob sedula benevolentiæ atque humanitatis officia, quæ omnibus Sanctis Dei Martyribus notis pariter atque ignotis promtissimè exbibebat. Neque enim illis hactenùs comes dum in vinculis essent, aut dum ad extremam usque sententiam interrogarentur; sed post latam quoque sententiam, cùm Sanctissimi Martyres ad supplicium abducerentur, ipse incredibili fiduciâ præditus & pericula ipsa provocans adstat; adeout sæpenumerò cùm audacter accederet, & Martyres summa cum libertate osculo salutaret, ab insana Gentilium multitudine circumstante, lapidibus jamjam obruendus videretur, nisi dextram Divini Numinis semel adjutricem nactus, præter opinionem omnium evasisset.* Hæc & alia Origenis pericula prosequitur Eusebius.

IV. Plutarchus civis Alexandrinus ex Discipulis Origenis primus, à Baptismo fluminis, quo paulò ante Christo renatus fuerat, ad Baptismum sanguinis sub Aquila Præside glorioso Martyrio primus transivit. Cui inquit Eusebius cap. 4. cùm Origenes, ut sibi moris erat, ad extremum usque vitæ terminum individuus comes adhæreret, parùm abfuit, quin ab ejus occide-

re-

retur Civibus, utpotè qui necis illius auctor fuisset. Verùm Divina Providentia tunc quoque illum conservavit. Heraclem quoque Plutarchi fratrem ad Ecclesiæ bonum præservavit. Is enim in scientiis nedum Græcis ac profanis sed & Sacris Scripturarum Sanctarum adeò utilis Evangelio factus fuit, ut Origenes ipse Româ reversus anno circiter 212., nec valens solus Catechesibus vacare, Heraclem adjutorem assumserit ei tradens primis principiis imbuendos, provectioribus sibi reservatis. De hoc testis est S. Hieronymus L. de Script. Eccles. cap.54., qui supponit Heraclem tunc fuisse Presbyterum, postea verò (anno 231.) Demetrio mortuo, ad Thronum Alexandrinum evectum, ubi inter cætera sanctissimè statuit (apud Eusebium L.7. cap.7.) ut qui ab Hæreticis ad Ecclesiam veniebant, non prius ad communionem admitterentur, quàm quæcumque ab Adversariis audissent priùs exposuissent ac ejurassent, non iterato tamen eis Baptismo. Hunc Dionysius Alexandrinus titulo *Papæ* exornavit dicens: *Hanc ego Regulam & formam à Beatissimo Papa nostro Heracla accepi*: Regulam nimirùm, de qua supra, de non admittendis Hæreticis &c. Martyrol. Rom. 14. Julii eum his verbis celebrat: *Alexandriæ Sancti Heraclæ, ob cujus celeberrimam opinionem Africanus Historiographus memorat, se Alexandriam ad eum visendum properasse.*

V. Sed redeamus ad Martyres, qui è Schola Origenis prodiere. Post Plutarchum, qui ex dictis primus fuit, inquit Eusebius L.6.cap.4., *secundus ex Origenis Discipulis Martyr fuit* Serenus: *qui Fidem, quam acceperat, igne examinatam ac probatam exhibuit. Tertius ex eadem Schola Martyr extitit* Heraclides, *ac deinde quartus* Heron, *ambo securi percussi: prior dum adhuc esset Catechumenus, alter verò Neophytus. Præter hos quintus ex eodem auditorio Christianæ pietatis Athleta victor renuntiatus est* Serenus *priori illi cognominis, qui cùm plurimos cruciatus fortissimè pertulisset, tandem capite truncatus fuisse dicitur. Sed & ex Mulierum numero* Herais (seu Rhais) *quædam adhuc Catechumena per ignem...., Baptismum adepta, ex hac luce migravit.* De his omnibus Martyrol. Rom. die 18. Junii infra referendum.

VI. Inter præfatos Martyres celebre fuit Alexandriæ, etiam post seculum, certamen S. Potamiænæ Virginis, quam Ruffinus è Schola Origenis fuisse dicit, Eusebius tamen L.6. cap.5. hoc silet. Sancta igitur Potamiæna Matrem habuit Marcellam, & in Martyrio sociam. S. Potamiæna corpore pulcherrima, æquè erat virginitatis & Christianæ Fidei custodiendæ zelantissima, & propterea pro utraque tuenda multa generosè sustinuit. Cujus-

jusdam intemperantis heri serva erat, qui cùm & blanditiis & promissis eam ad turpia sæpius incassùm semper sollicitasset, furore percitus illam tradidit Aquilæ Præsidi, accusans, quòd esset Christiana, & quòd occasione tunc furentis Persecutionis Imperatori ac Regimini continuè imprecaretur, & pollicitus, se magnam pecuniæ vim ei daturum, dixit: si ei persuaseris, ut meo desiderio assentiatur; eam custodi nullo affectam supplicio: quòd si in ea quam initio ostendit austeritate manserit, supremo afficias supplicio.

VII. Producta ergo ante Tribunal vidit ibi contra se parata atrocia tormenta. Horum aspectus nec minimùm movere potuit ejus pro Castitate & Fide constantiam; imò & toto corpore eisdem excruciata, nec gemitum nec doloris signum emisit. Quare iratus Judex atrocius tormentum imperat: jubet magnum lebetem pice repletum vehementissimo igne accendi: cùmque ebulliret pix & valdè arderet, conversus ad Sanctam Virginem impius Præses: *Abi*, inquit, *pare voluntati Domini tui; alioqui jubeo te devolvi in lebetem.* Illa verò respondit: *Absit, ut sit Judex adeò iniquus, qui me jubeat parere libidini & intemperantiæ.* Quibus Judex interminatus fuit, se Gladiatoribus violandam eam traditurum. At illa (inquit Eusebius) *cùm paulisper secum ipsa rem perpendisset, interrogata, quid consilii caperet, ejusmodi fertur dedisse responsum, quod impium esse Gentilibus videbatur.* Hoc duplici responso furore accensus Præses jubet eam exui, & in lebetem injici. Illa verò pudoris sui jacturam, si coram omnibus nudaretur exhorrens, voce magnâ clamavit: Oro te *per* Caput *Imperatoris, quem tu times, si statuisti sic me supplicio afficere, ne jusseris me exui, sed jube me paulatim in picem ferventem demitti, ut videas, quantam mihi largitus est patientiam Christus, quem tu ignòras.* Sic igitur, Judice annuente, veste ut induta ab imis pedibus paulatim in lebetem pice ardentem demissa, cùm spatio trium horarum pix ardens ad ejus collum pervenisset, emisit spiritum, duplici & Virginitatis & Fidei corona insignita. Cum ea etiam igne consumta fuisse dicitur Marcella Mater.

VIII. Præfatorum illustrium Martyrum agonem Martyrol. Rom. 18. Junii ita describit: *Alexandriæ in eadem Severi Persecutione Sanctorum Martyrum Plutarchi, Sereni, Heraclidis Catechumeni, Herois Neophyti, & alterius Sereni, Rhaidis Catechumenæ, Potamianæ & Marcellæ ejus Matris. Inter quos præcipuè enituit Potamiana Virgo, quæ primò immensos innumerosque agones pro virginitate desudans, deinde etiam exquisita & inaudita tormenta pro Fide perpessa, ad ultimum cum Matre ipsa igne consumta est.*

IX. His

IX. His annumerandus est Basilides, de quo supra §.3. n.9., qui cùm munus Apparitoris gerens duceret S. Potamiænam ad supplicium, eamque à Turba insultante defenderet, illa in grati animi tesseram promisit, se pro ejus salute Jesum Christum exoraturam: quod implevit ei post mortem apparens & coronam capiti ejus imponens: unde Basilides publicè Christum confessus triduò post Fidem sanguine testatus est. De eo Eusebius L.6. cap. 5. & Martyrol. Rom. die 10. Junii: *Alexandriæ passio Sancti Basilidis sub Severo Imperatore, qui cùm Sanctam Potamiænam Virginem, quam ad supplicium ducebat, ab impudicorum hominum petulantia tutatus esset, religiosi officii mercedem ab ea recepit: nam ipsa post triduum illi apparens, & ejus capiti coronam imponens, non solùm eum convertit ad Christum, sed brevi agone certantem suis precibus Martyrem gloriosum effecit*. Hunc Basilidem inter auditores Origenis recenset Eusebius L.6. cap.5., ideòque in Christianos jam saltem propensum: actus tamen pietatis, quem erga S. Potamiænam exercuit, gratiam conversionis & Martyrii ei acquisivit. Contigisse hoc post annum 203., probabilis sententia est.

X. Severi Persecutio Martyrio coronavit etiam S. Irenæum in S. Polycarpi Schola educatum, quamvis Doduvellus aliique ex Protestantibus ejus Martyrium negare ausint, incassum tamen, ut infra. In Asia Inferiori natus nec procul à Smyrne. Quâ occasione & quo tempore in Gallias transierit, incompertum est; nisi quòd anno 177., quo maximè Lugduni efferbuit Persecutio adversùs Christianos, ejus Urbis Ecclesiæ Presbyter esset: quod ex Epist. Ecclesiæ Lugdunensis ad Eleutherum Papam apud Eusebium L.5. cap.4. colligere licet, in qua Irenæum laudibus celebrat: ibique tantâ virtute emicuit, ut Pothino primo illius Urbis Episcopo defuncto ipse in ejus locum electus fuerit. Quantæ eruditionis ac doctrinæ fuerit, ejus Scripta adversùs illius temporis Hæreses abundè testantur. Hisce ergo aliisque laboribus perfunctum vitam glorioso Martyrio coronasse, nedum Recentiores, ut Adversarii dictitant, sed & Veteres tradunt. Hieron. in cap. 64. Isaiæ eum vocat *Virum Apostolicum Episcopum & Martyrem*. Nec obest, quòd in L. de Script. Eccles. cap. 35. nihil de ejus Martyrio dicat; nam ibi Irenæi Gesta & Scripta perducit solùm usque ad Imperium Commodi, sub quo adhuc in vivis erat, nec quidquam de ejus morte dicit. Martyrem eum vocat Auctor Quæst.& Respons. ad Orthodoxos apud Justinum qu.115.. Innumeros Martyres cum Irenæo interfectos fuisse testatur Gregorius Turon.L.1.hist. num.29.; adeout

Christiani sanguinis rivi per loca publica effluerent; & S. Irenæum coram Tyranno multis cruciatibus affectum tandem Martyrio vitam Jesu Christo consecrasse: & L. 1. de Gloria Martyrum cap. 50. ejus corpus in crypta S. Joannis sub Altari fuisse sepultum, tradit inter S. Epiphodium & S. Alexandrum, qui sub M. Aurelio passi fuerant.

XI. Occasio dubitandi de S. Irenæi Martyrio fuit ea, de qua S. Gregorius Magnus L. 11. Epist. Ep. 56. ad Etherium Lugdun. Episcopum; conqueritur nempe, Acta ejus, quamvis sollicitè quæsita inveniri non valuisse. Baronius tamen ad annum 205. num. 28. & in Notis ad Martyrol. fragmentum quoddam à se repertum dicit, ubi habetur; Milites jussu Severi Imperatoris Urbem Lugdunum circumdedisse, statimque omnes Christianos qui in ea reperti sunt fuisse obtruncatos; atque inter alios Irenæum, quem post varios cruciatus occisum Zaccharias Presbyter sepelivit, P. Ruinart asserit, se quoque Acta S. Irenæi Manuscripta in Cisterciensi Monast. invenisse, at nescire, an eadem sint cum iis de quibus Baronius.

XII. Verùm quidquid sit, Traditio utriusque Ecclesiæ, cui refragari nefas esse arbitror, S. Irenæum inter Martyres collocat. Latina quidèm in Martyrol. 28. Junii hæc habet: *Lugduni in Gallia Sancti Irenæi Episcopi & Martyris, qui, ut scribit Sanctus Hieronymus, Beati Polycarpi Smyrnensis Episcopi discipulus fuit, & Apostolicorum temporum vicinus. Is cùm adversùs Hæreticos verbis ac scriptis plurimùm decertasset, in Persecutione Severi cum omni ferè Civitatis suæ Populo coronatus est glorioso Martyrio.* Consentiunt Beda, Usuardus, Ado & alii. Græca verò in Menol. Basilii 23. Augusti de S. Irenæo Episcopo Lugdunensi ait: *Celebris itaque virtute ac eruditione, postquam pro Christo certamen Pothinus Episcopus consummavit, ipse præfatæ Urbis Episcopus designatur; ac multos Infideles sermonibus & doctrinis adhortationibusque abstrahens ab errore, atque illos Christo Martyres adjungens, tandem & ipse comprehensus à Persecutoribus, & gladio confectus ad Deum migravit, paratum sibi Regnum recipiens.* Contigit hoc anno 202. Christi, & decimo Severi secundùm aliquos; anno veró Christi 203. & ultra secundùm alios: & quidèm post Edictum à Severo adversùs Christianos latum. Sic in Irenæum sævierunt Infideles adhuc viventem: Calvinistæ tamen magis impiè sævierunt in mortuum; Anno enim 1562. cùm Lugdunensem Urbem occupassent, Corpus S. Irenæi è tumulo rapientes, ossa dissiparunt, & capitis cranium postquam diutiùs ludibrio habuerunt, in media platea turpiter projectum tamdiu jacuit,

cuit,

cuit, donec secretè à Catholico Viro collectum, modò Lugduni religiosè asservatur.

XIII. Martyrologia Adonis Usuardi, & alia, sub Severo imò ipso præsente contigisse referunt S. Andeoli Subdiaconi Martyrium in Diœcesi Vivariensi. Is à S. Polycarpo in Gallias missus, cùm Lugdunum pervenisset, ac Verbum Dei Carpentorati annuntiasset, atque alibi, expleto ministerio obvium in itinere habuit Severum euntem Valentiam in quodam vico propè Rhodanum, dicto Borgojate, cujus jussù gladio ligneo caput in quatuor partes ei scissum fuit, ejusque Corpus in loco dicto *Gentibus* reconditum fuit. Hujus memoriam Martyrol. Roman. 1. Maii ita celebrat: *In Galliis territorio Vivariensi Beati Andeoli Subdiaconi, quem Sanctus Polycarpus unà cum aliis ab Oriente misit in Galliam ad prædicandum Verbum Dei. Hic sub Severo Imperatore spinosis fustibus cæsus, demum ense ligneo capite in quatuor partes ad modum Crucis conscisso, Martyrium consummavit* (anno circa 208., quo Severus è Gallia in Angliam pertransivit.

§. VI.

Martyres alii sub Severo.

I. PRæfatis, qui sub Severo gloriosè certarunt, sequentes ad Christianæ Religionis robur adjiciam. Primus sit Sanctus Charalampus cum Sociis apud Græcos celebris, de quo in Menologio Basilii 10. Februarii dicunt: *Charalampus Christi Martyr in Urbe Magnesia Christianorum Sacerdos, cùm viam Veritatis doceret, à Luciano Præfecto comprehensus, sacrâ Stolâ exuitur. Deinde detractâ toto corpore pelle, cùm videret eum Præfectus constanti animo isthæc perferentem, irâ incensus propriis manibus conatus est Sanctum dilaniare. Sed statim manibus ejus avulsis, sanum eum & incolumem Sanctus precibus suis effecit. Quod ubi viderunt Porphyrius Lictor & Davetus, ejuratâ Idolorum superstitione in Christum credidere: similiter & tres Mulieres, quæ ibi adstabant, miraculo commotæ, Christumque confessæ, comprehenduntur, dirisque tormentis excruciantur. Etsi enim Præfectus sanitati restitutus est, in sua tamen Infidelitate permanens crudelissimè omnes decollavit.* Ita Græci. Quis hìc non admiretur Potentiam Dei in Servis suis?

II. Altera sit S. Gundenis Virgo, de qua Baronius ad annum 205. num.20. ait: „ Hoc anno iisdem Consulibus Plautia„ no atque Geta in antiquis Ecclesiasticis Tabulis passa ponitur

 „ Car-

„ Carthagine sub Ruffino Proconsule S. Gundenis Virgo, quæ „ Fidei causâ equuleo diu torta, & ungulis lancinata, carcerisque pædore longo temporis spatio afflictata, constanti animo „ perstans in Fidei Confessione, demum gladio cæsa magnâ „ gloriâ Martyrium consecuta est „. Sermo adest S. Augustini modò 254. habitus: *In Basilica Majorum in natali Martyris Gudentis*: quibus *Gudennem* hanc indicasse aliqui volunt; alii *Gudentis* seu *Gaudentis* vel *Gaudentii* Virum Martyrem a Gudenne diversum intellexisse putant.

III. Tertiò adjungi possunt SS. Castus & Æmilius, qui in Africa passi sub Severo creduntur. De his Martyr. Rom. 22. Maii ait: *In Africa Sanctorum Martyrum Casti & Æmilii, qui per ignem passionis Martyrium consummarunt. Hos ut S. Cyprianus scribit, in prima congressione devictos, Dominus victores in secundo prælio reddidit, ut fortiores ignibus fierent, qui ignibus ante cessissent*. Ita S. Cyprianus L. de lapsis in Persona illius, qui forti quidèm animo ad tormenta accessit, sed postea in dolore cruciatuum victus fuit: *Certare quidèm*, inquit, *fortiter volui, & Sacramenti mei memor, devotionis ac Fidei arma suscepi: sed me in congressione pugnantem cruciamenta varia & supplicia longa vicerunt. Stetit mens stabilis & fides fortis, & cum torquentibus pœnis immobilis diù anima luctata est: sed cùm durissimi Judicis recrudescente sævitiâ, jam fatigatum jam lapsum corpus nunc flagella scinderent, nunc contunderent fustes, nunc equuleus extenderet, nunc ungula effoderet, nunc flamma torreret, caro me in colluctatione deseruit, infirmitas viscerum cessit, nec animus sed corpus in dolore defecit*. Huic ergo sic lapso sperari posse non defuturam Dei misericordiam, ostendit Cyprianus Casti & Æmilii exemplo dicens: *Sic sic Casto & Æmilio aliquandò Dominus ignovit: sic in prima congressione devictos, victores in secundò prælio reddidit, ut fortiores ignibus fierent, qui ignibus ante cessissent, & unde superati essent, inde superarent*.

De his S. Augustinus Sermonem habuit, qui modò est 185., ubi comparans illos cum Petro, qui de se præsumens priùs Christum negavit, postea humilis factus ad passionem pervenit: *Tale aliquid*, inquit, *factum esse arbitror in his Martyribus Sanctis Casto & Æmilio, quorum diem hodie celebramus. Fortasse & ipsi de suis viribus antea præsumserunt, & ideò defecerunt. Ostendit eis qui essent ipsi, qui ipse. Repressit præsumentes & vocavit credentes, adjuvit pugnantes coronavit vincentes* &c.

IV. Ad tempora Severi referri possunt Martyres in Africa similiter coronati, nimirùm Celerina avia S. Celerini celebris Con-

Confessoris sub Decio, & Laurentini ac Ignatii ejusdem Patrui & avunculi, de quibus Mart. Roman. 3. Februarii, & S. Cyprianus Epist. 34. mentionem facit; ubi celebrans gloriosum S. Celerini suâ ætate secutum certamen, ait: *Nec rudis iste aut novus est in Celerino carissimo nostro titulus gloriarum, per vestigia cognitionis suæ graditur, Parentibus ac propinquis suis honore consimili Divinæ dignationis æquatur. Avia ejus Celerina jam pridem Martyrio coronata est: item patruus & avunculus Laurentinus & Ignatius in castris & ipsi quondam secularibus militantes: sed veri & spiritales Dei Milites, dum Diabolum Christi confessione prosternunt, palmas à Domino & coronas illustri passione meruerunt. Sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus, quoties Martyrum passiones anniversariá commemoratione celebramus.*

V. Circa hæc ultima S. Cypriani verba duo notanda sunt: Unum, quòd dum dicit *Sacrificia pro eis offerimus*, mens ejus non est, quòd *pro eis*, idest ad expiationem delictorum Sacrificia offerrentur; apertè enim hìc dicit, quòd Martyres præfati *palmas à Domino & coronas illustri passione meruerunt*; & Epist. 16. de Martyribus dicit, quòd *confecto itinere virtutis ac Fidei, ad complexum & osculum Domini Domino ipso gaudente venerunt*; sed *pro eis*, ideſt pro commemoratione eorum victoriæ: *Ideòque* (inquit S. Augustinus Serm. 17. de verbis Apost. modò Ser. 159. cap. 1.) *habet Ecclesiastica disciplina, quòd Fideles noverunt, cùm Martyres recitantur ad Altare Dei, ubi non pro ipsis oretur: pro cæteris autem commemoratis defunctis oratur. Injuria est enim pro Martyre orare, cujus nos debemus Orationibus commendari.* Fiebant ergo in antiqua Ecclesia memoriæ Martyrum ad Altare in Sacrificio, non ut oraretur pro ipsis, sed ut ipsi suis orationibus Fideles juvarent. Quid ad hæc Protestantes?

VI. Alterum; quòd dicendo, *quoties Martyrum passiones anniversariá commemoratione celebramus*, apertè ostendit Cyprianus suâ ætate celebrata fuisse nedum Anniversaria solemnia commemorationis Nativitatis & aliorum mysteriorum Christi, quæ ab Ecclesiæ incunabulis celebrata fuisse nemo, puto, negabit; sed & Apostolorum & eorum, qui pro Christo mortem perpessi essent. Quare Epist. 37. dies Martyrii singulorum adnotari præcipit sic: *Dies eorum, quibus excedunt annotate, ut Commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus.... & celebrentur hìc à nobis oblationes & Sacrificia ob commemorationes eorum, quæ citò vobiscum Domino protegente celebrabimus.* Sed hæc ad eruditionem obiter dicta sint.

VII. Quamvis autem Christiani in illa Persecutione patienter

ter omnia ferrent, nec quisquam eorum contra Persecutores vel verbum proferret, imò omnes pro eorum salute Deum deprecarentur; Deus tamen, cujus causam Sancti Martyres agebant, injurias sibi in eis illatas identidem ulciscebantur. Ita Tertullianus ad Scapulam tunc Africæ Proconsulem & crudelem Christianorum hostem cap. 3.: *Absit*, inquit, *ut indignè feramus, ea nos pati quæ optamus, aut ultionem à nobis aliquam machinemur, quam à Deo expectamus. Tamen (sicut supra diximus) doleamus necesse est, quòd nulla Civitas impunè latura sit sanguinis nostri effusionem. Sicut & sub Hilariano Præside cùm de areis sepulturarum nostrarum adclamassent: Areæ non sint* (idest Christianorum curpora jaceant insepulta) *Areæ ipsorum non fuerunt: Messes enim suas non egerunt.* (Alludit ad sterilitatem, quæ tunc Africam afflixit.) *Cæterùm & imbre anni præteriti, quid commeruerit genus humanum apparuit, cataclysmum scilicet* (diluvium) *& retrò fuisse propter incredulitates & iniquitates hominum; & ignes, qui super mœnia Carthaginis proximè pependerunt per noctem, quid minati sint, sciunt qui viderunt: & pristina tonitrua quid sonaverint, sciunt qui obduruerunt. Omnia hæc signa sunt imminentis iræ Dei, quam necesse est, quoquomodo possumus, ut & annuntiemus & prædicemus, & deprecemur interim localem esse. Universalem enim & supremam suo tempore sentient, qui exempla ejus aliter interpretantur. Nam & Sol ille in Conventu Vbicensi extincto penè lumine adeò portentum fuit, ut non potuerit ex ordinario deliquio hoc pati positus in suo hypsomate* (altitudine) *& domicilio. Habetis Astrologos.*

Possumus æquè & exitus quorumdam Præsidum tibi proponere, qui in fine vitæ suæ recordati sunt deliquisse, quòd vexassent Christianos. Vigellius Saturninus, qui primus hìc gladium in nos egit, lumina amisit. Claudius Herminianus in Cappadocia, cùm indignè ferens uxorem suam ad hanc Sectam transisse, Christianos crudeliter tractasset, solusque in Prætorio vastatus peste cùm vivus vermibus ebullisset, Nemo sciat, ajebat, ne spe gaudeant Christiani. Postea cognito errore suo, quòd tormentis quosdam à proposito suo excidere fecisset, penè Christianus decessit. His aliisque exemplis conatur Tertullianus Scapulam à cæde Christianorum avertere. Tandem ei proponens mala, quæ ob ejus sævitiem Carthagini imminebant, concludit cap. 5.: *Parce ergo tibi, si non nobis. Parce Carthagini, si non tibi. Parce Provinciæ, quæ visâ intentione tuâ obnoxia facta est concussionibus & Militum & inimicorum suorum cujusque. Magistrum neminem habemus, nisi Deum solum. Hic ante te est, nec abscondi potest, sed cui nihil facere possis. Cæterùm quos putas tibi*

Ma-

Magistros, homines sunt & ipsi morituri quandoque. Nec tamen deficiet hæc Secta, quam tunc magis ædificari scias, cùm cædi videtur. Quisque enim tantam tolerantiam spectans, ut aliquo scrupulo percussus, & inquirere accenditur quid sit in causa; & ubi cognoverit Veritatem, ipse statim sequitur. Ita ad rem nostram Librum claudit Tertullianus ad Scapulam. Adeòque verum erat, quòd cædibus ædificabatur Christiana Religio, ut idem Tertullianus paulò ante allato exemplo Arrii Antonini in Asia, qui cùm persequeretur Christianos, omnes illius Civitatis Christiani ante Tribunal ejus manu facta se præsentarunt, conversus ad Scapulam dicat: *Hoc si placuerit & hìc fieri, quid facies de tantis millibus hominum, tot Viris ac Feminis, omnis sexus omnis ætatis omnis dignitatis offerentibus se tibi? Quantis ignibus, quantis gladiis opus erit?*

CAPUT VIII.

De Persecutione sub Maximino I.

§. I.

Sors Christianorum usque ad Maximinum.

I. EXtincto anno 211. Severo, & succedente Caracallâ ejus filio (unà cum Geta fratre) extincta tamen non fuit illicò Persecutio, sed in aliquibus saltem Provinciis odio Populorum ac Præsidum aliquandiù continuavit. Et hoc maximè, si supponamus, Librum Tertulliani ad Scapulam scriptum fuisse post Severi mortem, ut non paucis placet: tunc enim Scapula in Africa atrociùs quàm alii in in aliis Provinciis in Christianos sæviebat. Scapula enim vivos Christianos comburebat, in aliis autem Provinciis gladio tenùs puniebantur. Unde Tertullianus cap.4. ait: *Pro tanta innocentia, pro tanta probitate, pro justitia, pro pudicitia, pro Fide, pro veritate, pro Deo vivo cremamur: quod nec sacrilegi, nec hostes publici veri, nec tot Majestatis rei pati solent. Nam & nunc à Præside Legionis & à Præside Mauritaniæ vexatur, sed gladio tenùs, sicut & à primordio mandatum est animadverti in hujusmodi.* Nec miretur quis, Antoninum Caracallam, quem Tertullianus ibi cap.4. dicit *Christiano lacte educatum* (idest à Nutrice Christiana) adversùs Christianos sævisse. Hæc enim absque speciali Caracallæ mandato fieri potuerunt, ratione Edicti à Severo Patre jam promulgati; imò & Caracallam

Iam virum vitiis deditum, & à Christianorum moribus alienissimum, Christianis intuitu Religionis multùm favisse, nemo facilè persuadebit.

II. Quare sub Caracallæ Imperio ponunt aliqui agones Sanctorum Felicis, Fortunati, & Achillei in Gallia: de quibus Martyrol. Rom. 23. Aprilis: *Valentiæ in Gallia passio Sanctorum Martyrum Felicis Presbyteri, Fortunati & Achillei Diaconorum, qui à B. Irenæo Lugdunensi Episcopo ad prædicandum Dei Verbum missi, cùm maximam partem illius Civitatis ad Fidem Christi convertissent, à Cornelio Duce in carcerem trusi sunt, deinde diutissimè verberati, cruribusque confractis, circa rotarum vertiginem stricti, fumum quoque in equulei suspensione perpessi, ad extremum gladio consummati sunt*: Quid autem esset tormentum Rotæ, exponit Baronius in Notis ibi. Et similiter SS. Ferreoli, & Ferrutionis, de quibus idem Martyrol. die 16. Junii: *Vesontione in Galliis Sanctorum Martyrum Ferreoli & Ferrutionis Diaconi, qui à Beato Irenæo Episcopo ad prædicandum Verbum Dei missi, postea sub Claudio Judice diversis pœnis excruciati gladio feriuntur*.

III. Hujus tamen Persecutionis reliquiæ ferè statim extinctæ sunt, nec ultra annum 211. perdurarunt; non quia Caracalla erga Christianos affectus esset, sed quia aliis vitiis & crudelitatibus detentus, Christianorum obliviscebatur. Truculentus adeò fuit, ut fratrem Getam vix primo elapso anno Imperii in Matris ipsius gremio interfecerit, uxorem Plautillam occiderit, & viginti hominum millia ac mulierum, quia Getæ studuerunt; quin & ipsum Papinianum Jurisconsultum celebrem, quòd ejus gesta impia excusare Legibus nollet, necari jusserit; & Alexandriæ ingentem Civium stragem ediderit, quòd ipsum ob cædem fratris vituperassent. Adeò etiam libidine obcæcatus, ut Juliam novercam in uxorem non horruerit: uno verbo: omnes ipsi defuere virtutes, vitium pene nullum. Demum à Macrino Prefecto Prætorio per Martialem Centurionem inter Edessam & Carras interfectus est, exactis à Patris obitu Imperii annis sex & mensibus duobus, ætatis verò 29.. Constant hæc ex Dione, Xiphilino & Spartiano in Severo. Occiso Antonino Caracallâ Macrinus Imperium invasit, consortem Imperii assumens Diadumenum filium. Sed cùm post annum ac menses duos unà cum filio occisus fuerit, sævitiam exercendi in Christianos tempus non habuit.

IV. Macrino successit Heliogabalus. Hunc virum omnium mortalium fœdissimum, adeout se in Feminam transformaret, & quamcumque libidinem corpore suo nedum exerceret, sed etiam

etiam pateretur, narrant ipsi Ethnici Scriptores. Cùm antea Sacerdos Solis in Phænicia fuisset, omnium Deorum cultum Romæ extinguere & illuc transferre conatus est, quin & omnem Religionem etiam Christianam eò deducere tentavit: reverà tamen, ut nullibi alius Deus, quàm Heliogabalus coleretur. Sic teste Lampridio id agebat, *Ne quis Romæ Deus, nisi Heliogabalus coleretur; dicebatque .... & Christianam devotionem illuc esse transferendam*. Hinc Doduvellus putat, Heliogabalum Christianos *pro suis* habuisse. At quomodò hæc, nisi Christiani se Solem, imò ipsum Heliogabalum relicto Christo adorare professi fuissent? Non enim iste, inquit Lampridius, *Romanas tantùm voluit extinguere Religiones, sed per Orbem terræ unum studuit, ut Heliogabalus Deus unus ubique coleretur*. Christianos ergo persecutus fuisse quidèm non legitur, sed eos pro suis idest cultoribus habuisse, somnium est. Solis 4. annis, idest ab anno Christi 220. ad 224., vel ab anno 219. ad 222. secundùm alios imperavit: anno enim ætatis suæ 18. fuit occisus.

V. Alexander (dictus etiam Aurelius Severus) suscepit Imperium anno 224., ut vult Baronius, vel 222. ut alii. Princeps omnium civilium virtutum amantissimus, & simul rerum bellicarum peritiâ celebris, nec non in distribuendis Reipublicæ officiis Personarum merita unicè adspiciens. Cùm aliquando Præfectum Prætorio constituisset eum, qui finxerat ne ea dignitate ornaretur, dixisse fertur, *Invitos non ambientes in Rempublicam collocandos*: quod multò magis in Ecclesiasticis Officiis dispensandis monet S. Bernardus L. 4. de Considerat. ad Eugenium cap.4. dicens: *Non volentes neque currentes assumito: sed cunctantes, sed renuentes: etiam coge illos & compelle intrare*.

VI. In Christianos Alexander fertur fuisse propensissimus, adeout ejus Familia Christianis plena esset, & ipse in larario suo Christum coleret, eique Templum ceu Numini erigere meditaretur. Obstare tamen videtur, quòd ipso imperante aliqui Martyrium passi fuisse referantur, ut S. Callixtus Papa anno 226.: de quo Rom. Martyrol. 14. Octobris hæc habet: *Romæ viâ Aureliâ natalis Beati Callixti Papæ & Martyris, qui Alexandri Imperatoris jussu diutiùs fame in carcere cruciatus, & quotidie fustibus cæsus, tandem è fenestra domus in qua custodiebatur præcipitatus, atque in puteum demersus victoriæ triumphum promeruit*. Extat adhuc ejus domus in Ecclesiam sub ejus nomine conversa, in qua cernitur & puteus, in quem dejectus est. Imò Acta ejus Martyrii ferunt, ab Alexandro Edicta contra Christianos promulgata fuisse.

Item S. Calepodius & alii, de quibus Martyrol. Rom. 10. Maii: *Romæ Beati Calepodii Presbyteri & Martyris, quem Alexander Imperator gladio fecit occidi, & corpus ejus per Civitatem trahi atque in Tiberim jactari; quod inventum Callixtus Papa sepelivit. Decollatus est etiam Palmatius Consul cum uxore & filiis & aliis promiscui sexus quadraginta duobus de domo sua: Simplicius quoque Senator cum uxore & sexaginta octo de Familia sua: item & Felix cum uxore sua Blanda; quorum capita suspensa sunt per diversas portas Urbis ad exemplum Christianorum.* Numquid iste in Christianos erat propensus, qui in eos tam publicè & quidèm Romæ desæviebat? His accedunt S. Privatus Martyr, de quo 28. Octobris legitur: *quòd ulceribus plenus à Beato Callixto Papa sanatus: inde ob Christi Fidem sub Alexandro Imperatore plumbatis cæsus est usque ad mortem*: S. Asterius, de quo 21. Octobris legitur: *Apud ostia Tiberina S. Asterii Presbyteri & Martyris, qui ut in passione beati Callixti Papæ legitur sub Alexandro Imperatore passus est*. Qui omnes prælaudati Martyres asseruntur à S. Callixto Papa fuisse ad Fidem conversi. Hos sequitur Sancta Tatiana Martyr, de qua 12. Januarii habetur: *Romæ S. Tatianæ Martyris, quæ sub Alexandro Imperatore uncis atque pectinibus laniata, bestiis exposita & in ignem projecta, sed nil læsa, gladio demum percussa migravit ad Cælum*: & expressiùs Græci in Menol. Basilii eâdem die his verbis: *Tatiana Martyr temporibus Alexandri Imperatoris ex antiqua Roma fuit, patre divite ac nobili, ac tertiùm Præfecto nata. Cùm autem Diaconissa esset, Fidem Christi Populum docendo, multos ab Idolis avocabat. Quare ad Imperatorem delata, missis satellitibus comprehensa coram ipso sistitur: qui illam secum in Fanum Idolorum adductam adorare Idola compellebat. Sancta verò orans Idola ad terram dejecit comminuitque. Quamobrem in facie cæditur, oculisque effossis in equuleum acta dilaniatur, & ad cutem capite tondetur. Tum in ignem projecta sed nihil læsa, bestiis exponitur, à quibus erepta, capite demum Imperatoris jussu plectitur*. Sanctum quoque Pontianum Papam unà cum Philippo Presbytero sub Alexandro fuisse in Sardiniam relegatum, habetur in Martyrol. Rom. 19. Novembris.

VII. Hæc omnia difficilia creditu efficiunt, quæ de Alexandri in Christianos propensione supra enuntiavimus. Omnia tamen componi & conciliari possunt, si attendatur, quòd cum diximus, Alexandrum in Christianos propensum fuisse, non intendimus, eum ejuratis Idolis Christianam Fidem amplexum fuisse, sed potiùs voluisse Christi cultum cum cultu Idolorum conjungere, Christum quidèm cultu dignum judicando, sed non so-

solum. Ideòque Christianos quidèm esse patiebatur, nec ut cæteri Imperatores exterminare in animo habebat; sed quia Ethnicus, suum honorem etiam Idolis servari volebat. Et ideo in suo larario non solùm Christum colebat ut Deum, sed & Apollonium, Abraham, & Orpheum. Ita Lampridius in Alexandro: *Matutinis horis in larario suo, in quo & Divos Principes & optimos electos, & Animas sanctiores, in queis & Apollonium* (Thianæum) *& Christum & Abraham & Orpheum & hujuscemodi Deos habebat, ad Majorum effigies rem Divinam faciebat.* Et post multa subdit: *Christo Templum facere voluit, eumque inter Deos recipere: quod & Hadrianus cogitasse fertur.* Qui ergo alios Deos præter Christum colebat, non mirum, si in Christianos, qui aliorum Deorum cultum publicè detestabantur, animadvertit: sicut Hadrianus licèt Templum Christo erigere cogitaret, adhuc tamen Christianorum sanguinem fudit, non quia Christum colerent, sed quia aliorum Deorum cultum negarent.

VIII. Accedit, quòd, ut notat Baronius ad ann. 226. num. 4., præfatæ Martyrum clades non ab Imperatoris genio prodierunt, sed earum artifices fuerunt Jurisconsulti illi, quibus curam Urbis demandaverat, & quorum justitiæ plus nimio confidebat. Hi enim odio, quo in Christianos ferebantur, ad eorum necem procedebant, Imperatoris jussu se id facere jactantes. Inter hos præcipuus fuisse creditur Domitius Ulpianus Præfectus; nam in die natali quorumdam Martyrum nomen ejus ut Persecutoris insigniter notatur, ut videre est in S. Quiriaco 23. Augusti, ubi legitur: *Ad hostia Tiberina Sanctorum Martyrum Quiriaci Episcopi, Maximi Presbyteri, Archelai Diaconi & Sociorum, qui sub Ulpiano Præfecto tempore Alexandri passi sunt.* Iste igitur cæterique Jurisconsulti cladium præfatarum architecti erant, sive Christianos coram Imperatore falsis criminibus onerantes; sive etiam ejus auctoritate abutentes, spargebant jussu ejusdem fieri, quæ eo non mandante & fortè nec sciente, ipsi faciebant. Cæterùm quomodocumque fuerit, Alexandro imperante, etsi non aperta Persecutio, integra tamen pax præsertim Romæ Christianis non fuit. Post tresdecim Imperii annos & dies novem, ætatis verò 29. occisus conspiratione Militum Alexander obiit anno Christi 237. secundum Baronium, at 235. secundùm alios.



Q 2 §. II. Ini-

§. II.

Initia & exitus Persecutionis.

I. OCciso igitur, ut dictum est, Alexandro, Julius Maximinus Thrax genere, humili loco, barbaris parentibus, quorum unus erat ex Gothia, alter ex Alanis, qui etiam necis Alexandri auctor fuisse traditur, favore Militum Imperium invasit, quod tenuit annos tres. Homo truculentus Imperii initia cædibus fœdavit, & præcipuè eorum qui Alexandri Ministri & de Familia fuerant, inter quos multi Christiani erant. Ita Eusebius L.6.hist. cap.27., ubi de Maximino ad Imperium assumto, *Qui*, inquit, *gravi odio succensus adversùs Familiam Alexandri, in qua plerique erant Christiani, persecutione excitatâ, solos Ecclesiarum Antistites, utpote Evangelicæ prædicationis auctores, interfici jussit*. Porrò omnes Alexandri Ministros à Maximino variè occisos esse testatur Julius Capitolinus dicens: *Cæteros etiam sine judicio, sine accusatione, sine delatore, sine defensione omnes interemit, omnium bona sustulit, & plusquam quatuor millibus hominum occisis, se satiare non potuit.*

II. Ideò autem Persecutionem in Pastores Ecclesiarum præcipuè movit Maximinus, quia cùm videret Religionem Christianam longè latèque toto Imperio, imò toto Orbe diffusam, convelli impossibile & Romano Imperio damnosum esse, excogitavit priùs tollere Pastores, sperans, iis tanquam ingentis molis fundamentis convulsis, totam machinam illicò collapsuram. Sed nesciebat impius ille, Christianæ Religionis fundamentum non esse Ministros seu Pastores homines, sed unicum esse Jesum Christum, contrà quem nec ipse nec omnes inferorum portæ essent prævalituræ.

III. Aliæ autem causæ subortæ fuerunt, quæ Persecutionem ad omnes Christianos extenderunt. Una fuit in Occidente & Romæ. Cùm enim ex liberalitate præcedentium Imperatorum concessum esset, ut in Solemniis ipsorum Milites laureâ coronâ capite redimiti incederent, quidam Miles se præsentavit Tribuno coronam manu gestans, cùm cæteri eam gestarent in capite: interrogatus autem, cur ita faceret, respondit se esse Christianum, nec licere sibi tali coronâ coronatum incedere. Quo audito Miles ille suo sanguine rubricatus rapitur in carcerem. Excitatâ autem controversiâ etiam inter Christianos, an reverà non liceret Christiano sic coronatum incedere, Tertullianus par-

partes Militis suscipiens, Librum de Corona Militis conscripsit. Si hoc factum, ut aliqui volunt, initio Imperii Maximini contigit, valde credibile est, illius odium aliàs in animo conceptum adversùs Christianos accendisse.

IV. Alteram causam Persecutionis Oriens ministravit. Gravissimi terræmotus Orientis oras exagitarunt: quæ mala Gentiles soliti erant adscribere Christianis; putantes quòd cùm isti Deos suos non colerent sed contemnerent, Dii irati his vel aliis cladibus Orbem sæpè concuterent. Ita censuit Origenes Lib.3. contra Celsum dicens: *Qui nostram omnibus modis doctrinam calumniantur, existimant, causam tantæ, quæ nunc est, rerum perturbationis eam esse, quòd Fidelium numerus increverit, nec eos profligandos curent Præsides, ut superioribus temporibus factitatum.*

V. Apertiùs autem ad rem præsentem Firmilianus Cæsareæ in Cappadocia Episcopus olim Origenis Discipulus Epist. 75. inter Ep. Cypriani: *Ante*, inquit, *viginti & duos ferè annos, temporibus post Alexandrum Imperatorem, multæ isthic conflictationes & pressuræ acciderunt, vel in commune omnibus hominibus, vel privatim Christianis: terræ etiam motus plurimi & frequentes extiterunt, ut per Cappadociam & per Pontum multa subruerent: quædam etiam Civitates in profundum receptæ dirupto soli hiatu devorarentur, ut ex hoc Persecutio quoque gravis adversùm nos Christiani nominis fieret. Quæ post longam retrò ætatis pacem repentè oborta, de inopinato & insueto malo ad turbandum Populum nostrum terribilior effecta est*. Quibus apparet, eum loqui de Persecutione oborta post pacem sub Alexandro, & proinde de ea, quæ sub Maximino Fideles afflixit.

VI. Hanc Persecutionem sextam appellant Eusebius in Chron., S. Augustinus L.18. de Civit. cap.52., & Orosius L.7. cap.19.: Sulpitius tamen Severus L.2. hist. cap.46. eam Persecutionum numero non accenset, sed solùm dicit Maximinum aliquarum Ecclesiarum Clericos vexasse. Postquam ènim de Persecutione sub Severo locutus fuit, ait: *Interjectis deinde annis octo & triginta pax Christianis fuit, nisi quòd medio tempore Maximinus nonnullarum Ecclesiarum Clericos vexavit*. Estò enim Persecutio hæc ad sola Ecclesiarum Capita immediatè fuisset directa, omnes tamen alios inferiores Ministros, qui docebant Verbum vel in eo partem habebant comprehendebat; imò & in aliquibus Provinciis omnes indiscriminatim Christiani ad necem quærebantur Proconsulum crudelitate & Populorum odio. Id præcipuè in Cappadocia contigisse sub Sereniano Præside, te-

stis

ftis est Firmilianus Ep.75. fupra citatâ, ubi ait: *Serenianus tunc fuit in nostra Provincia Præses acerrimus & dictus Persecutor. In hac autem Persecutione constitutis Fidelibus, & huc atque illuc Persecutionis metu fugientibus & Patrias suas relinquentibus atque in alias partes Regionum transeuntibus* &c.. Omnes ergo Fideles ibi Persecutori suberant, quamvis non generaliter: ideòque dabatur locus ad alias Regiones transeundi, ut Firmilianus ibi subjungit.

VII. Porrò estò à Maximino excitata Persecutio nec generalis nec diuturna fuerit, quia solùm triennalis, eam tamen fuisse sævissimam ex barbari hominis natura, poterit quisque colligere: *Tam crudelis fuit* (inquit Julius Capitolinus in Maximino) *ut illum alii Cyclopem, alii Busiridem, alii Scironem, nonnulli Phalarim, multi Typhonem vel Gygem vocarent. Senatus eum tantum timuit, ut vota in Templis publicè privatimque mulieres etiam cum suis liberis facerent, ne ille unquam Urbem Romam videret. Audiebat enim alios in crucem sublatos, alios animalibus nuper occisis inclusos, alios feris objectos, alios fustibus elisos: atque omnia hæc sinè delectu dignitatis* &c. Et infra. *Sed cùm Romani ejus crudelitatem ferre non possent, quòd delatores evocaret, accusatores immitteret, crimina fingeret, innocentes occideret, damnaret omnes quicumque in judicium venissent, ex ditissimis hominibus pauperrimos faceret, nec aliunde nisi malo alieno pecuniam quæreret: deinde sine delicto Consulares Viros & Duces multos interimeret, alios Scythicis vehiculis exhiberet, alios in custodia detineret, nihil denique prætermitteret, quod ad crudelitatem videretur operari: contra eum defectionem pararunt.* Talem Capitolinus Maximinum describit erga suos, ac suæ superstitionis cultores: qualem ergo putabimus eum fuisse, & quantâ sævitiâ egisse in Christianos?

VIII. Deus tamen, qui sic disposuerat, ut alternis vicibus Ecclesia aliquandiù in pace quiesceret, aliquandiù bello exerceretur, ne, ut ait Origenes lib.3.contra Celsum Fideles in pace soluto essent animo aut mollitiæ se traderent: neque Mundo bellum eis indicente desponderent animum, & à Deo in Jesu Christo diligendo deficerent: sicut post 24. & ultrà annos, quibus post Severum eam pace frui concesserat, Maximinum adversùs eam armavit: ita ablato post triennium persecutore, quietem ei benignus indulsit. Generali enim totius Orbis adversùs sævum tyrannum commotione excitatâ, dum Aquilejam obsidione incassùm tentaret, ipse cum filio Maximino à propriis militibus interemtus fuit anno 239. vel 238., ut alii volunt.

§.III.

§. III.

Martyres ſub Maximino.

I. IN hac perſecutione non multi numerantur Martyres; ſive quia vix triennio duravit; ſive quia (ut notat Baronius ad ann. 237. num.14.) magna pars eorum, qui ſub Julio Maximino paſſi ſunt, errore Scriptorum ſub Galerio Maximino vel Maximiano ſucceſſoribus paſſi ponuntur. Celebriores ſubjiciemus.

Primus ſit S. Pontianus Papa. Hujus Pontificatus initia creduntur fuiſſe pacifica, quia ſub Alexandro Imperatore: licèt ut §. precedente notavi, Martyrologium Rom. 19. Novembris ſupponat eum cum Philippo (Hyppolito alii) Presbytero fuiſſe ſub Alexandro miſſum exulem in Sardiniam, aliquâ potiùs calumniâ circumventum quàm Chriſtianæ Religionis causâ, ut putat Pagi in Brev. Rom. Pont.: probabiliùs tamen cenſetur ab aliis, relegatum fuiſſe ſub Maximino anno 235. vel 237., eodemque anno defunctum. Cùm enim Maximini furor præcipuè in Eccleſiæ Paſtores deſæviret, credibile eſt eum in Caput Eccleſiæ primò irruiſſe. Quo autem mortis genere obierit, non eſt certum. Fuſtibus fuiſſe mactatum, cenſet Mart. Rom., & ex eo Baronius & Pagi citatus, Liber Pontificalis Bucherii dicit, quòd obiit *diſcinctus*; ſed quid ſibi velit hoc nomen *diſcinctus*, non ſatis conſtat: alius Liber Pontificalis habet *maceratus & fuſtibus afflictus defunctus eſt*: quidquid tamen ſit, Martyr obiit, poſtquam ſediſſet annos quinque menſes tres & dies ſeptem: cujus poſtea corpus navigio è Sardinia deportatum, à Fabiano Papa Romæ in cœmeterio Callixti conditum fuit. Ei in Pontificatu ſucceſſit Anterus natione Græcus, qui cùm menſem unum & tredecim dies ſed iſſet anno 236. 3. Januarii ſub Maximino coronam martyrii accepit; quòd nimirùm geſta Martyrum diligenter à Notariis exquiſiviſſet, & in Eccleſia recondidiſſet, reverâ tamen quia Chriſtianorum Paſtor erat: hos enim ex dictis Julius Maximinus ſibi ſpecialiter propoſuerat exterminandos. De eo agit Mart. Rom. 3. Januarii.

II. Sub eodem Maximino paſſi quoque feruntur Tranſaquis SS. Cæſidius & Socii, de quibus Martyrol. Rom. 31. Auguſti *Tranſaquis in Marſis ad Lacum Fucinum Natalis Sanctorum Martyrum Cæſidii Presbyteri & Sociorum, qui in perſecutione Maximini martyrio coronati ſunt*: Tranſaquæ oppidum eſt Aprutii propè La-

cum

cum Fucinum (vulgò di Celano). Baronius in Notis ad Mart. hinc maternum genus se trahere dicit, & horum Martyrum Reliquias in dies miraculis coruscare testatur. Reate quoque in Umbria passus fuit S. Ruffinus Marsorum Episcopus cum sociis, de quibus die 11. Augusti. Ruffinum hunc patrem fuisse S. Gesidii, idem Baronius ex antiquis Monumentis se collegisse dicit, sociosque ejus in martyrio, quo capite cæsi sunt Reate, fuisse Silonem, & Alexandrum.

III. Martyribus sub Maximino inseri solet S. Barbara Virgo, de qua utraque Ecclesia 4. Decembris Festum celebrat: Græca tamen in Menol. eam sub Maximiano collocat. Circa locum passionis non una sententia est. Nam quidam in Tuscia, quidam Heliopoli, plures Nicomediæ passam fuisse autumant. Et hanc sententiam, sicut & quòd sub Julio Maximino Martyr obierit, utpotè communiorem libentiùs amplector, etiam quia Martyrol. Romano conformem; ubi dicitur 4. Decembr. *Nicomediæ passio S. Barbaræ Virginis & Martyris, quæ in persecutione Maximini post diram carceris macerationem, lampadarum adustionem, mamillarum præcisionem, atque alia tormenta, gladio martyrium consummavit.* Multa eaque varia tam circa locum quàm circa tempus martyrii, tam apud Latinos quàm apud Græcos Acta circumferuntur. Ejus historia legitur in Orat. de S. Barbara Jo: Damasceno tributa, quæ extat tom. 2. Novæ Edit.: sed hæc narrat, eam sub Maximiano, & Heliopoli passam fuisse. Baronius tamen in Notis ad Mart. 4. Decemb. dicit, se habere Acta fideliora, quorum est exordium: *Post Imperatorem Alexandrum Maximinus* &c., & subinde sub Maximino Alexandri successore eam passam fuisse testantur.

Hoc maximè confirmant, dum ajunt, eam ab Origene sacris litteris fuisse imbutam. Hoc enim posito, sub Maximiano passam fuisse S. Barbaram admitti non potest: quia cùm Origenes mortuus fuerit circa annum 254., & Maximianus imperio potitus non fuerit nisi anno 284.; si eo imperante passa fuisset, non potuisset ab Origene sacris litteris imbuta fuisse, cùm adhuc juvencula passa fuerit. Credibile igitur est, Origenem eam sacris litteris imbuisse circa ann. 230., dum adhuc esset Catholicus, sicque anno 236. Maximino imperante delatam à patre (ut ajunt) quòd esset Christiana, gladio percussa fuerit coronata. Porrò quòd Origenes quàmplures mulieres in Fide Christiana instituerit, testatur Eusebius L. 6. Hist. cap. 4., ubi in Mulierum numero ponitur Herais; & cap. 4., ubi dicitur, quòd Origenes *ætate juvenis non solùm viris sed etiam feminis divinæ Fidei præcepta tradebat.*

IV. In-

IV. Inter eos, qui in Maximini perfecutione celebres confeffione Fidei extiterunt, fingularis fuit Ambrofius, vir divitiis & genere clarus, magnæ in aula Imperatorum æftimationis, & qui fortè primas in ea dignitates & officia gefferat. Uxorem habebat nobilem feminam nomine Marcellam, quam Origenes Epift. ad Africanum vocat fideliffimam, ex qua plures filios fufcepit. Cùmque fratres ac forores etiam haberet, fororem nomine Tatianam ei tribuit Origenes Tract. de Oratione: feminam ornatiffimam & fortiffimam appellat; nifi fortè, ut aliqui dubitant, hæc eadem fuerit ac Marcella ejus uxor.

Vir erat Ambrofius fcientiarum ac veritatis amantiffimus, & in Chrifti Fidem valdè propenfus, fed quia non humili ac fimplici corde fed elato eam quærebat, & plus fapere quàm oportet audebat, non inveniens apud Catholicos Scripturarum quæ fibi placerent Commentaria, in Acatholica oculos animumque convertit, factufque eft hæreticus amplectens errorem five Marcionis five Noeti five potiùs Valentini, ut putat Eufebius L.6. cap.18.. Verùm de Veritate à Veritate ipfa convictus, quæ Origenis minifterio ad plures ab errore revocandos utebatur, ei ut Magiftro adhæfit, fuâ liberalitate etiam à rerum inopia quâ premebatur eum fublevans: *Per idem tempus* (inquit Eufebius citato loco) *Ambrofius, qui Valentini hærefim fectabatur, veritatis quam prædicabat Origenes virtute convictus, & quafi lumine quodam menti irradiante colluftratus, ad rectæ fidei quæ in Ecclefia prædicatur profeffionem tranfiit*. Hoc contigiffe creditur anno circiter 222., Alexandro imperante. Veritatis agnofcendæ adeò cupidus fuit Ambrofius, ut ipfo excitante plures confcripferit libros Origenes; ad quem utpotè Orationis amantiffimum Libellum de Oratione dedit.

V. Hoc duplici Veritatis & Orationis præfidio munitus Ambrofius totum fe in pietatis opera effundebat: & quamvis in honore ac divitiis pofitus, omnia tamen propter Deum contemnebat, adeò ut famâ virtutum ejus evulgatâ ad Diaconatus Minifterium in Ecclefia Alexandrina promotus fuerit, & ipfum Origenes vocet virum fanctum, & Deo verè dicatum. Ab eo excitatus & largis fubfidiis adjutus Commentarios in S. Scripturas edidit; unde Eufebius L.6. cap.23. *Ex eo tempore*, inquit, *etiam Origenes in divinas Scripturas commentarios cœpit confcribere; Ambrofio innumeris ftimulis eum incitante, nec folùm verbis atque hortationibus, fed etiam largiffimis rerum neceffariarum præbitionibus. Quippe feptem & ampliùs notarii dictanti illi præftò aderant, qui præftituto tempore fibi per vices fuccedebant: nec pauciores*

 An-

Antiquarii simul cum puellis elegantiùs scribere assuetis: quibus omnibus necessarios sumtus copiosè subministrabat Ambrosius.

VI. Ambrosium Athenas ivisse supponit S. Hieronymus Epist. 18. modò 45. ad Marcellam, & inde ad Origenem litteras dedisse circa annum 228.: imò & Nicomediæ cum ipso fuisse, quando ad Julium Africanum Epistolam de Susannæ Historia dedit, colligitur, quia in eadem Africanum Origenes salutat nomine Ambrosii, Marcellæ uxoris & filiorum: *Salutat te*, inquit, *qui dictandæ Epistolæ fuit adjutor, quique integram recensens, quæ voluit correxit, Dominus meus & frater Sanctus Ambrosius. Salutat te quoque fidelissima ejus conjux Marcella unà cum liberis*: quibus apparet quanti faceret Ambrosium Origenes, dum Scripta sua ei tradebat corrigenda. Imò cùm Alexandriam reversus Origenes super Evangelium Joannis laborare cœpisset, Opus hoc Ambrosio inscripsit ac dedicavit, testatus se precibus ejus & mandato illud assumsisse.

VII. Hactenùs Ambrosii pietas & Christianæ Veritatis zelus in pace floruerat: ejus firmitas & constantia igne persecutionis examinanda erat. Interfecto Imperatore Alexandro, qui tredecim annis regnaverat, Maximinus ejus successor, ut scribit Eusebius L. 6. cap. 28. in Alexandri familiares, quorum maximâ parte Christiani erant, & in eos qui Verbum Christi voce vel scripto docebant, sævam persecutionem excitavit. Præ cæteris quærebat Origenem teste Orosio L. 7. cap. 19.: sed Deus, qui pro ipso Martyrii coronam non paraverat, sese occultandi Cæsareæ in Cappadocia per biennium viam aperuit. Captus quidem fuit Ambrosius unà cum Protecteto Cæsareæ in Palæstina presbytero: quo comperto Origenes Librum de Exhortatione ad Martyrium composuit, ad eosque direxit, quò in persecutione fortiores persisterent. Ita Eusebius citato loco his verbis: *Quo tempore* (Persecutionis Maximini) *Origenes librum de Martyrio composuit, quem Ambrosio & Protecteto Cæsariensis Ecclesiæ presbytero dedicavit; eò quòd uterque in ea persecutione non mediocre discrimen subierat. Unde & maximam gloriam ob confessionem Nominis Christi ambo retulisse perhibentur, cùm Maximinus non plus quàm triennii spatium perdurasset.*

VIII. In utrumque Maximinus desæviit, sed in Ambrosium præsertim divitiis affluentem, & generis nobilitate ubique spectatissimum. Bona utriusque diripuit, & Fisco adjudicavit: omni ignominiæ genere depressit, secum quasi vilia mancipia in modum victoriæ & triumphi trahens per Provincias & Urbes, ad quas ipse ibat, ut coram Magistratibus tanquam rei traducti pudore

dore suffunderentur. Sed generosi athletæ nedum non erubescebant, sed gloriabantur, quoniam digni habiti sunt pro Nomine Jesu contumeliam pati. Ut enim ait Origenes laudato libro Exhort. ad Martyr. num.36. *Nec eo tantùm certandum est, ne negemus, sed ne omnino erubescamus, cùm Dei hostes turpia pati nos existimant; & maximè si cùm tu sacer Ambrosi plurimis civitatibus honorificè habitus & exceptus sis, nunc in pompa ceu victima ducaris portans Crucem Jesu, eumque sequens, qui te ad Præsides & Reges præcedat, ut tecum ipse incedens, ipse os tibi det & sapientiam: tibi quoque certaminis ejusdem socio Protecteto &c.* His Origenes Ambrosii robur confirmat.

IX. Multò autem emicuit Ambrosii fortitudo, quâ propter Christum uxorem filiosque contemserit, eosque suo exemplo ad similia pro Christo patienda provocavit. In hoc secutus etiam Origenis seu veriùs Christi monitum ibidem num.37. dicentis: *Sicut autem ut in vitam æternam custodiatur anima, odio nobis habenda est; sic uxorem & liberos & fratres & sorores odio habeto tu qui hæc habes, ut iis quos oderis utilis sis, eo ipso quòd odio illos habueris, acceptâ eis benè faciendi potestate, Dei scilicet amicus factus.* Subindè num.38. ad ejus filios conversus: *Scio*, inquit, *quia filii Ambrosii estis, & si filii Ambrosii estis, opera Ambrosii facite: & fortassè facient, plus à te post hujusmodi discessum adjuvati, quàm si cum illis remansisses.*

X. Deus tamen Ambrosium & Protectetum Fidem suam confessione sui nominis, & tolerantiâ manifestasse contentus, ab extremo ipsis imminente vitæ periculo eripuit, sive tyranni crudelitatem compescendo, sive generali tunc insurgente Populi seditione, sive aliâ viâ nobis ignotâ, unde voluit eos Martyres animo & voluntate, non tamen opere. Quare Philippo imperante adhuc vixisse fertur Ambrosius, & cùm tunc Libros adversùs Celsum Origenes conscripserit (ut Eusebius L.6. cap. 36.) probabile est, Ambrosium ei materiam ministrasse; & fortè etiam Librum ipsum Celsi contra Christianos, rogando ut eum confutaret, suppeditasse. Post hæc parùm vixit Ambrosius. Origeni præmortuum putat S. Hieronymus L. de Script. Eccles. cap.56.: unde cùm Origenes anno 253. sub Gallo obierit, fit, ut Ambrosius vivere desierit sub Decio anno 250., S. Hieronymus dicit citato loco eum à multis fuisse reprehensum, *quòd vir locuples amici sui senis & pauperis (Origenis) moriens recordatus non sit.* Quamvis hoc potiùs amori, quo erga paupertatem Origenes afficiebatur, quàm Ambrosii oblivioni deputandum videatur.

XI. Hujus Ambrosii nomen in Martyrologio quidem Romano non recitatur, legitur tamen in multis Martyrologiis antiquis, ad diem 17. Martii Alexandriæ, ut videre est apud Bollandum 17. Martii; ubi ponitur tanquam illius Ecclesiæ Diaconus, & Confessione Nominis Jesu Christi illustris; & in uno eorum qualitate Martyris notatur. S. Hieronymus hunc Ambrosium ponit inter Scriptores Ecclesiasticos c.56.; quia licèt nonnisi quasdam Epistolas ad Origenem conscripserit, hujus tamen *industriâ sumtu & instantiâ, & ad hunc Origenes infinita dictavit volumina*. Fuit etiam elegantis ingenii; unde Origenes ipse scripta sua ejus judicio, & correctioni subjiciebat. De eo agit etiam Cave in hist. Litteraria.

CAPUT IX.

De Persecutione Decii.

§. I.

Status Ecclesiæ initio Imperii Decii.

I. ASsumsit Decius Imperium tempore, quo, ut ex Sulpitio Severo dictum est L.2. hist. cap.45., triginta & octo annis, nimirùm à morte Severi anno 211. usque ad exitum Philippi Imperatoris anno 249. à generali saltem Persecutione fuerat immunis. Estò enim sub Maximino ex dictis Ecclesiæ pax turbata fuerit; brevis tamen fuit, nec generalis, sive quoad loca sive quoad personas fuit turbatio, quam præcesserat quies sub Alexandro, & perfectior secuta fuerat sub Gordiano, & maximè sub Philippo Decii prædecessore. Is enim, nedum Christianis propitius fuit, sed si aliquibus Eusebio duce credimus, Christianæ Fidei nomen dedit. Is namque L.6. hist. cap.34. ita scribit: *Intereà cùm Gordianus sex totis annis Romanum Imperium administrasset, Philippus unà cum Philippo filio in ejus locum successit. Hunc utpotè Christianum, fama est, in postrema Paschæ vigilia precationum in Ecclesia participem simul cum reliquo Populo fieri voluisse, sed Episcopum qui tunc Ecclesiæ præerat, non priùs illi aditum permisisse, quàm confessione n scelerum fecisset, iisque qui humanitùs lapsi fuerant, & in pœnitentium ordine stabant, sese adjunxisset. Quippe ob multa quæ commiserat crimina, numquam omnino ab Episcopo admissus fuisset, nisi id priùs fecisset. Et Imperator quidem libenter obtemperasse dicitur, sincerumque ac reli-*

religiosum affectum timoris Dei operibus ipsis declarasse. Episcopus iste fuit Babylas Antiochenus. Et factum hoc narrat Chronicon Alexandr., & Chrysost. Orat. in S. Babylam. Ubi vide Lector, & severam illorum temporum disciplinam non admittentem in Ecclesiam vel Imperatorem ipsum, nisi exactâ publicè pœnitentiâ, & Imperatoris obedientiam Episcopo id præcipienti humiliter obtemperantis.

II. Scio ab aliquibus, & factum negari, & insuper Philippum Imperatorem fuisse Christianum: sed horum Recentiorum auctoritas Veterum testimonio prævalere non debet, cui ex Modernis accedunt plures, inter quos Baronius ad annum 246., Alexandre hist. Eccles. secul. 3. cap. ultimo num. 10. asserens, ex Origenis Epistolis ad præfatum Principem ejusque Uxorem datis Eusebium hoc accepisse: quas in laudem Origenis usurpat etiam Vincentius Lirinensis Commen. 1. num. 17. dicens: *Sed & ejusdem Epistolæ testimonium perhibent, quas ad Philippum Imperatorem, qui primus Romanorum Principum Christianus fuit, Christiani magisterii auctoritate conscripsit*. Quibus adstipulantur Orosius L.7. cap. 13., Cassiodorus in Chron., S. Prosper in Chron., Abbas Uspergensis &c., Martyrologia Usuardi, Adonis, & Romanum die 14. Maii; ubi de S. Pontio Martyrè in Galliis dicunt: *Cujus prædicatione & industria, postquam duo Philippi Cæsares ad Fidem Christi conversi sunt, ipse sub Valeriano & Gallieno principibus Martyrii palmam adeptus est*.

III. Neque obstare potest, quòd profanorum Scriptorum nemo Religionis mutationem in Philippo criminetur: quòd Idolorum Templa diruisse, Ecclesias erexisse, Leges pro Christianis tulisse, ut fecit postea Constantinus, non legatur: & quòd post mortem inter Divos cum filio relatus est. Nam hæc solùm probant, quòd non publicè sed occultè dumtaxat Christianam Religionem professus sit, ut Christiani scirent quidèm eum esse Christianum, Ethnici tamen eum adhuc esse Gentilem præsumerent, quòd eorum Sacra ritusque pateretur. Nec aliter illorum temporum conditio fieri permittebat. Nam si cœpisset aliquid contra Ethnicos ritus moliri, Senatus Exercitus Populus Romanus insurrexissent, & adversùs ipsum & Christianos atrocem Persecutionem excitassent. Sic ergo Ecclesiæ rebus utilior erat. Addo, quòd Ethnicorum silentium probat illum Gentilitatis superstitionibus nuntium remisisse. Cùm enim annum conditæ Urbis millesimum solemnibus ludis ab eo celebratum referunt, non memorant Sacrificia ab eo falsis Diis oblata, nec aditum ex veteri more Capitolium. Quod animadvertens Orosius

L.7.

L.7. cap.13.: *Ità*, inquit, *ludis magnificis augustissimus omnium præteritorum hic natalis annus à Christiano Imperatore celebratus est. Nec dubium est, quin Philippus hujus tantæ devotionis gratiam & honorem ad Christum & ad Ecclesiam reportarit: quoniam vel accensum fuisse ab eo Capitolium immolatasque ex more hostias, nullus Auctor ostendit*. Porrò cum teste Eusebio L.6. cap.39. Philippus septem annis imperaverit, incertum est, quo anno Imperii Christianam Fidem amplexus. Hæc pro eruditione dicta sint.

IV. Verùm ad rem nostram revertendo, hæc pax ex parte quidèm Christianis profuit: nam in diversis Provinciis erectæ fuerant Ecclesiæ, & alicubi Idolorum Altaria ac Templa cœperant everti, ac Fides toto Orbe crescebat, cujuscumque conditionis hominibus eam amplectentibus. Nec deerant Viri zelo sanctitate & doctrina illustres, qui pace ad gloriam nominis Christi promovendam uterentur. Aderat Cyprianus, aderant Dionysius Alexandrinus Gregorius Thaumaturgus Alexander Hierosolymitanus & Firmilianus Cæsareæ in Cappadocia Episcopi: in Ordine Presbyteratus aderat Origenes Cæsareæ in Palæstina adhuc vivens, Pionius Smyrnensis, aliique Spiritu Apostolico repleti, Prophetico lumine & miraculorum gratiâ exornati.

V. Nihilominùs inter hæc lumina umbræ ac tenebræ permixtæ erant. Pacis tranquillitas Evangelicum rigorem in multis laxaverat, qui quærebant quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi. Hanc fuisse causam, quæ Deum movit ad purgandam Persecutione Ecclesiam, scribit S. Cyprianus L.de Lapsis: *Dominus probari Familiam suam voluit: & quia traditam nobis divinitùs disciplinam pax longa corruperat* (quæ à Severo ad Decium 38. annis duraverat) *jacentem Fidem & penè dixerim dormientem, censura cœlestis erexit: cùmque nos peccatis nostris ampliùs pati mereremur, clementissimus Dominus sic cuncta moderatus est, ut hoc omne quod gestum est* (in Persecutione Decii quæ tunc cessaverat) *exploratio potiùs quàm Persecutio videretur. Studebant autem patrimonio singuli, & obliti quid credentes, aut sub Apostolis ante fecissent, aut semper facere deberent, insatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus incubabant. Non in Sacerdotibus Religio devota, non Ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina*. Et infra: *Episcopi plurimi, quos exhortamento esse oportet cæteris & exemplo, derelictâ Cathedrâ, Plebe desertâ, per alienas Provincias oberrantes negotiationis quæstuosæ nundinas aucupari*. Hæc & alia, quæ ibi S. Martyr deplorat, & quæ purgatione indigebant, pax longæva in Ecclesiam seu veriùs Dæmon invexerat.

VI. Por-

VI. Porrò hanc Ecclesiæ vexationem prænunciatam in visione (& fortè ipsi Cypriano) antea fuisse, refert Epist.8. his verbis: *Nec venissent Fratribus hæc mala, si in unum fraternitas fuisset animata. Nam & illud ostensum est, quòd sederet Pater familias sedente sibi ad dexteram Juvene, qui Juvenis anxius & cum quadam indignatione subtristis, maxillam manu tenens mœsto vultu sedebat. Alius verò in sinistra parte consistens rete portabat, quod se mittere, ut circumstantem Populum caperet, minabatur; & cùm miraretur quid hoc esset ille qui vidit, dictum est ei, Juvenem qui ad dexteram sic sederet, contristari & dolere, quòd præcepta sua non observarentur; illum verò in sinistra exultare, quòd sibi daretur occasio, ut à Patre familias potestatem sumeret sæviendi. Hoc priùs longè ostensum est, quàm tempestas vastitatis hujus oriretur. Et videmus impletum quod fuerat ostensum, ut dum Domini præcepta contemnimus, dum datæ Legis mandata salutaria non tenemus, facultatem nocendi inimicus acciperet; minùs armatos & ad repugnandum minùs cautos jactu retis operiret. Oremus instanter & assiduis precibus ingemiscamus* &c.. Hæc Cyprianus de suo tempore laxatâ disciplinâ: quæ an ad nostra tempora referri possint, & ad mala quæ undique nos circumstant, judicet quisque: *Excutiamus itaque* (dicit Cypriamus) *somni vincula, & instanter ac vigilanter oremus*.

§. II.

De Initiis Persecutionis, de Lapsis & Libellaticis.

I. VOlens igitur Deus & Christianorum relaxationes corrigere & Servorum suorum constantiam in Fide probare, permisit, ut occiso Veronæ Philippo & ejus filio Romæ, Decius invaderet Imperium, & accenso quo ferebatur odio adversùs Philippum; & maximè quia videbat eo imperante Romanas superstitiones neglectas, & Religionem Christianam miris progressibus propagatam, sævam Persecutionem intulit Ecclesiæ, Edictis contra Christianos toto Orbe evulgatis.

II. Observandum tamen censeo ex Dionysio apud Eusebium L.6. cap.41., anno integro ante Decium, imperante adhuc Philippo Principe benignissimo, ideòque absque ejus Edicto, cœptam fuisse Alexandriæ Persecutionem. Eam excitavit quidam Vates seu Hariolus adversùs Christianos Gentilium turbas accendens: *Ab hoc igitur homine stimulati omnemque ad patranda scelera licentiam nacti* (inquit Dionysius) *hanc solam pietatem cultumque Dæmoniorum suorum existimabant, si cædibus adversùs no-*

nostros sævirent. Primum itaque senem quemdam Metram *nomine correptum, impia verba proferre jubent. Quod cùm ille abnueret, fustibus hominem verberantes, & acutis arundinibus vultum ejus oculosque pungentes deductum in suburbium lapidibus obruerunt.*

Post hæc Fidelem quamdam Mulierem Quintam *nomine ad Idoli Templum perductam adorare illud coegerunt. Quod cùm illa aversaretur atque execraretur, constrictis pedibus eam per totius Civitatis vicos aspero silice constratos rapientes, saxis illisam molaribus, flagris insuper verberantes, ad suburbium ibidem abducunt, ibique lapidibus interficiunt.*

Omnes deinde uno impetu in domos Christianorum irruere cœperunt: & quos quisque sibi vicinos noverat, eos illicò properantes agebant spoliabant ac diripiebant; ea quidèm quæ maximè pretiosa essent in sinum suum congerentes; viliora autem & lignea quæque disjiciebant ac per vias concremabant; captæ ab hostibus Urbis speciem atque imaginem exhibentes. Fratres verò declinabant & subducebant se fugâ, ac direptionem bonorum suorum perinde ac illi, de quibus Paulus testificatus est, cum gaudio exceperunt. Nec eorum quisquam, quod equidem sciam, nisi fortasse unus aliquis in illorum manus incidens hactenùs quidèm Deum negavit.

III. *Sed & admirandam illam provectæ jam ætatis virginem* Apolloniam *tunc comprehenderunt: & maxillas quidèm ejus verberantes, cunctos ei dentes excusserunt. Accenso autem extra Urbem rogo, minabantur vivam se illam combusturos, nisi unà cum ipsis impia verba pronuntiaret. At illa veniam deprecari paulisper visa atque interim dimissa, celeriter in ignem insiliit & conflagravit.*

IV. *Præterea* Serapionem *quemdam cùm in ædibus suis deprehendissent, acerbissimis tormentis excruciarunt, & membris omnibus confractum ex cœnaculo præcipitem dejecerunt. Porrò nusquam non per viam publicam non per angiportum incedere aut noctu aut interdiù nobis licebat; cùm omnes ubique & assiduè clamitarent, quicumque impia illa verba proferre abnuisset, eum illicò tradendum esse & flammis ultricibus absumendum.* Hactenùs Dionysius, qui horum spectator fuit. Ex quibus apparet, SS. Apolloniam & Serapionem non sub Decio Martyrium obiisse, ut supponit Martyrol. Rom. 9. Februarii & 14. Novembris, sed in extremis diebus Imperii Philippi, Decio nondum Imperium adepto.

V. Cessatâ autem occasione Belli civilis Persecutione, & Christianis parumper respirantibus, occiso Philippo Decii furor eos iterùm invasit. Rem Dionysius ita prosequitur. *Sed continuò Imperii illius erga nos benignissimi* (Philippi) *mutatio nobis nuntiata est: & gravissima nobis minarum terror intentabat. Jamque ade-*

aderat Edictum Imperatoris (Decii), *illud ipsum ferè quod à Domino nostro prædictum est, horrificum ac terribile exhibens, adeout ipsi etiam electi si fieri posset scandalum paterentur. Omnes certè mirum in modum exterriti sunt.* De hoc Edicto par est credere, Origenem, qui multa tunc passus fuit, locutum fuisse homil. 9. in Josue circa finem, ubi ait: *Convenerunt Reges terræ Senatus Populusque & Principes Romani, ut expugnarent nomen Jesu & Israel simul. Decreverunt enim Legibus suis, ut non sint Christiani. Omnis Civitas omnis Ordo Christianorum nomen impugnat. Sed sicut tunc omnes illi Reges convenientes contra Jesum nihil facere potuerunt: ita vel Principes vel Potestates istæ contrariæ, ut non Christianorum genus latiùs ac profusiùs propagetur, obtinere non valebunt. Scriptum namque est* (Exod. 1. v. 12.) *quia* „ quantò magis eos humiliabant, tantò magis plures fiebant & invalescebant valdè„: *Confidimus autem, quia non solùm non nos poterunt obtinere visibiles inimici & adversarii nostri, verùm etiam velociter Jesu Domino nostro vincente conteretur Satanas sub pedibus servorum ejus.*

VI. Hæc Origenes & exemplo suo comprobavit. Nam ut refert Eusebius L. 6. cap. 39.: *Quæ & quanta Origeni in ea Persecutione acciderint, & quis horum omnium exitus fuerit, dum pessimus Dæmon omnes adversùs illum copias instantiùs movet, cunctisque machinis ac viribus eum impugnat, & in hunc præ reliquis omnibus, qui tunc temporis appetiti sunt, præcipuè irruit. Quæ item & quanta propter doctrinam Christi vir ille pertulerit, vincula scilicet & corporis cruciatus, & in intimo carceris recessu ferrei torquis ærumnas, ut multorum dierum spatio pedes in nervo ad quatuor usque foraminum interstitia distenti fuerint: ad hæc ignium minas & quæcumque alia ab inimicis illata fortiter sustinuit. Mortem tamen non pertulit, judice omni virium nisu ambitiosè contendente, ne illum interficeret.* Multa similiter passus cum sociis fuit Dionysius Alexandrinus, quæ ipse narrat apud Eusebium L. 6. cap. 40.

VII. Non tamen in omnibus eadem constantia fuit. Decii Edictum contra Christianos in Prætorio promulgatum & in Capitolio affixum tumultu ac pavore totam Urbem replevit. Transmissum ad omnes Provincias Præsidibus & Magistratibus sub gravissimis pœnis injungebatur, ut Christianos undique conquisitos vel Idola adorare cogerent vel atrociter cruciatos interficerent. Hinc ubicumque ad terrorem parata ac erecta supplicia, gladii, unci, crates igne ardentes, equulei, cruces, bestiæ, & quidquid barbara crudelitas meditari potest, ut hæc oculis Christianorum objecta, vel solo visu eos dejicerent, eorum-

que constantiam frangerent. Omnes junctis animis in Christianos conspirabant. Quidam eos denuntiabant, Pater filium, filius patrem, frater fratrem, maritus uxorem; quidam eos qui se absconderant inquirebant, alii fugientes insequebantur, alii eorum bona occupabant. Ne spe mortis allicerentur, pœnas & cruciatus protrahebant: carcere diù detentos ad diversa supplicia trahebant, quæ tamen vitam non eriperent, ut lassatâ sensim patientiâ Martyres vincerentur, & si fieri posset, ut vitantes temporalia corporis, in æterna animæ supplicia incidere non formidarent. *Voti tunc Christianis erat* (inquit Hieronymus in Vita Pauli) *pro Christi nomine gladio percuti. Verùm hostis callidus tarda ad mortem supplicia conquirens, animas cupiebat jugulare non corpora, & ut ipse qui ab ipso passus est, Cyprianus ait, volentibus mori, non permittebatur occidi.*

VIII. Hujus præter exemplum, quod supra dedi in Origene, duo alia subjicit S. Hieronymus ibidem his verbis: *Perseverantem igitur in Fide Martyrem, & inter equuleos laminasque victorem jussit melle perungi, & sub ardentissimo Sole, ligatis manibus post tergum resupinari, scilicet ut muscarum aculeis cederet, qui ignitas sartagines ante superasset. Alium juvenili ætate florentem in amœnissimos hortulos præcepit adduci. Ibique inter lilia candentia & rubentes rosas, quum leni juxta murmure aquarum serperet rivus, & molli sibilo arborum folia ventus perstringeret, super extructum plumis lectum resupinari, & ne se inde posset excutere, blandis sertorum nexibus irretitum relinqui. Quo cùm recedentibus cunctis meretrix speciosa venisset, cœpit delicatis stringere colla amplexibus. Et, quod dictu quoque scelus est, manibus contrectare virilia: ut corpore in libidinem concitato, se victrix impudica superjaceret; Quid ageret Miles Christi & quò se vertere nesciebat. Quem tormenta non vicerant, superabat voluptas. Tandem cœlitùs inspiratus præcisam morsibus linguam in osculantis se faciem expuit; ac sic libidinis sensum succedens doloris magnitudo superavit.* Hoc factum tamen sub Diocletiano evenisse, vel aliud simile, refert Nicephorus L.7. hist. cap.13.

IX. Ex dictis colliges, Persecutionem hanc omnium fuisse sævissimam, quia animas magis quàm corpora perdere conabatur. Duplicem hanc victoriam celebrat Martyrol. Rom. die 28. Julii his verbis: *Thebaide in Ægypto commemoratio plurimorum Sanctorum Martyrum, qui in Persecutione Decii & Valeriani passi sunt, quando Christianis optantibus pro Christi nomine gladio percuti, callidus hostis tarda ad mortem supplicia conquirens, animas cupiebat jugulare non corpora: ex quorum numero post equuleos, lami-*

minas ac sartagines superatas, melle perunctus, ligatis manibus post tergum, sub ardentissimo Sole fucorum ac muscarum aculeis expositus fuit: alius inter flores molliter vinctus, cùm ad eum impudicissimum scortum venisset, ut in libidinem concitaret, præcisam morsu linguam in blandientis faciem expuit.

X. Hosce tamen multorum triumphos aliquorum defectio funestavit, qui anteactâ pace in mollitiem versi, territi suppliciorum atrocitate, ne temporalia amitterent, æterna contemserunt. Tales Alexandriæ fuerunt illi, de quibus Dionysius apud Eusebium L.6. cap.41., ubi describens confusionem & pavorem Edicti atrocitate conceptum: *Multi quidèm*, inquit, *ex illustrioribus statim præ metu accurrerunt. Alii, qui rem publicam administrabant, ipsa actuum suorum necessitate pertracti veniebant. Alii nobis & familiaribus adducebantur: & nominatim citati ad impura & profana Sacrificia accedebant: nonnulli quidèm pallidi ac tremebundi, quasi non sacrificaturi, sed ipsi potiùs victimarum loco Idolis immolandi essent. Adeout à circumstante multitudine deriderentur; quippe qui palàm omnibus ostenderent, se tum ad moriendum, tum ad sacrificandum pusillo animo esse. Alii verò promtiùs ad Aras accurrebant audacter affirmantes, nunquam se antea Christianos fuisse. De quibus verissimè prædixit olim Dominus, ejusmodi homines ægrè salutem consecuturos. Cæteri autem partim alterutros eorum quos diximus sequebantur; partim se in fugam dabant: partim comprehendebantur. Ex quibus nonnulli cùm usque ad vincula & custodiam progressi essent; quidam etiam plusculos dies in carcere perstitissent, priùs tamen quàm in judicium inducerentur, Fidem ejurarunt. Nonnulli verò cùm aliquandiù tormenta fortiter sustinuissent, ad reliqua, quæ intentabantur supplicia, animos despondérunt.* His deplorat Dionysius lapsus suorum qui Alexandriæ defecerunt.

XI. Nec minùs deplorabilis fuit multorum similis casus in Africa. Propterea S. Cyprianus scripsit Librum de Lapsis, ubi redditâ jam Ecclesiæ pace laudat stantium in Fide constantiam, & deinde summo dolore Lapsorum ruinas deflet, quarum caussam fuisse dicit disciplinæ neglectum, & peccata Fidelium, & graviter increpat Lapsos, quòd ad prima statim verba minantis inimici Idolis sacrificarint, & non potiùs propriæ imbecillitatis conscii juxta Christi præceptum secesserint. Imò quòd aliqui *non expectaverunt saltem ut interrogati negarent, ut thus accenderent apprehensi. Ante aciem multi victi, sinè congressione prostrati; nec hoc sibi reliquerunt, ut sacrificare Idolis viderentur inviti. Ultrò ad forum currere & ad mortem spontè properare, quasi hoc olim cuperent,*

rent, quasi amplecterentur occasionem datam, quam sempar optassent.... Nonne quando ad Capitolium sponte ventum est, quando ultrò ad obsequium diri facinoris accessum est, labavit gressus, caligavit aspectus, tremuerunt viscera, brachia conciderunt? Nonne sensus obstupuit, lingua hæsit, sermo defecit? Stare illic potuit Dei Servus & loqui & renuntiare Christo, qui jam Diabolo renuntiarat & seculo? Nonne Ara illa, quo moriturus accessit, rogus illi fuit? Nonne Diaboli Altare, quod fœtore tetro fumare ac redolere conspexerat, velut funus & bustum vitæ suæ horrere ac fugere debebat? Quid hostiam tecum miser, quid victimam supplicaturus imponis? Ipse ad Aras hostia, victima ipse venisti. Immolasti illic salutem tuam, spem tuam, fidem tuam funestis illis ignibus concremasti. Hisce zelo ac dolore perculsus miseris illis desertionem suam exprobrat S. Cyprianus.

XII. Multorum desertionem toto ferè Orbe luxit Ecclesia. Inter quos medii fuere quidam, qui Christum ejusque Fidem profiteri, & propter Ipsum tormenta & mortem pati metuentes, ex alia autem parte Idolis sacrificare repugnantes, secretò per se vel per alium magistratus adibant, eisque significabant, se Christianos esse, nec sibi permitti ad Altaria Idolorum sacrificaturos accedere, eosque rogabant, ut acceptâ pecuniâ dignarentur ipsos eximere ab opere sibi illicito perpetrando. Qui subinde à Magistratu Libellum obtinebant, quo declarabatur, eos renuntiasse Jesu Christo; quamvis hoc reverà non fecissent, qui Libellus publicè legebatur. Et qui hæc inter Christianos faciebant, *Libellatici* vocabantur, seque ac suos hisce libellis à Satellitum audacia & furore tuebantur. Quibus apparet, Libellaticos non purè pretium erogasse, ut à vexatione & periculo eximerentur; sic enim crimine rei ab Ecclesia non reputabantur, sicut nec illi qui fugâ elabebantur, ut decernit S. Petrus Alexandrinus Can. 12., licèt Alexandre secul. 3. dissert. 5. contrarium sentiat; sed ulteriùs vel Magistratibus obtulisse ut aliqui volunt, vel ut veriùs existimo accepisse à Magistratibus libellos, quibus declarabantur mandatis Cæsaris sacrificando paruisse, licèt hoc non fecissent, imò se facere non posse declarassent: hi enim non sinè gravi scandalo & injuria Christi publicè apparebant Fidem ejus negasse, quamvis eam corde retinuissent & retinerent: ideòque ab Ecclesia ut criminis, licèt non tam gravis ac illorum qui sacrificaverant, rei agnoscebantur, nec sinè publica pœnitentia admittebantur.

XIII. Ita S. Cyprianus, quo nemo tutior testis quia coævus, Epist. 52. ad Antonianum, ubi arguens quosdam, qui Libel-

bellaticos cum Sacrificatis æquari oportere dicebant, postquam inter eos etiam qui sacrificaverunt diversos gravitatis gradus distinxit: *Cùm ergo*, inquit, *inter ipsos qui sacrificarint multa sit diversitas, quæ inclementia est & quàm acerba duritia Libellaticos cum iis qui sacrificaverint jungere? Quando is, cui libellus acceptus est, dicat: Ego priùs legeram & Episcopo tractante cognoveram non sacrificandum Idolis, nec simulacra Servum Dei adorare debere: & idcircò ne hoc facerem, quod non licebat (cùm occasio libelli fuisset oblata, quem nec ipsum acciperem nisi ostensa fuisset occasio) ad Magistratum vel veni vel mandavi: Christianum me esse, sacrificare mihi non licere, ad Aras Diaboli me venire non posse, dare me ob hoc præmium, ne quod non licet faciam*. Crimen enim Libellatici hoc erat (saltem regulariter) non quòd Christum negaret, sed quòd acceptaret libellum, quo publicè declarabatur, eum renuntiasse Christo, etsi reverà non renuntiasset. Quia ut Clerus Romanus in Epist. 31., quæ est apud Cyprianum, scribit: *Non est immunis à scelere, qui ut fieret imperavit, nec est alienus à crimine, cujus consensu, licèt non à se admissum crimen, tamen publicè legitur .... & qui vult videri propositis adversùs Evangelium vel Edictis vel Legibus satisfecisse, hoc ipso jam paruit, quòd videri paruisse se voluit*. Hinc fit, quòd puri Libellatici antequam libellum acciperent, coram Magistratu Christum non negaverint, sed solùm consenserint, ut eos negasse in libello scriberetur; licèt aliter sentiat Baronius ad ann. 253. num. 21.; & propterea minùs gravi pœnitentiâ ab Ecclesia recipiebantur.

§. III.

Quorumdam Lapsorum Punitio.

I. EX narratis plurium Christianorum in Persecutione lapsibus, cuiquam fortè in mentem venerit, infirmari argumentum, quod in præsens tractamus de Veritate Religionis Christianæ ex sui augumento, & suorum in Persecutionibus constantia: sciat tamen, quisquis sit iste, in Religione Christiana dum adhuc versatur in terris non omnes esse aurum, sed aliquos fœnum, sicut autem ignis aurum quidèm purgat & probat, fœnum autem comburit & consumit; ita in Ecclesiæ Persecutione accidere. Ubi verò pauci, qui fœnum erant, igne Persecutionis pavore combusti in cineres abierunt, multò plures, de quibus infra, impavidi cum S. Augustino in Psalm. 127. dicebant: *Quid enim mihi facere potuerunt*,, quia expugnaverunt me a juven-

ventute mea,, ? *Exercuerunt me, non oppresserunt. Valuerunt mihi sicut ignis ad aurum, non sicut ignis ad fœnum. Ignis enim accedens ad aurum sordem tollit: accedens ad fœnum in cinerem vertit.* ,,Etenim non potuerunt mihi, *quia non consensi, quia non me fecerunt quales sunt ipsi .... Fecerunt, quod tolerem, & non fecerunt cui consentirem*. Sciat etiam ex eodem S. Augustino Enarrat. 2. in Psalm. 29. quòd Persecutio *occultâ dispensatione Providentiæ Dei in alium permittitur ad pœnam, in alium permittitur ad probationem, in alium permittitur ad coronam. Ad pœnam, quomodò permissi sunt* allophyli *idest alienigenæ capere Populum Israel, quia peccaverunt in Deum: ad probationem autem permissus est Diabolus in Job; probatus est Job, confusus est Diabolus: ad coronam vero permissi sunt Persecutores in Martyres; occisi sunt Martyres, quasi vicisse se arbitrati sunt Persecutores: illi in manifesto falsò triumpharunt, illi in occulto verè coronati sunt.*

II. Iis ergo, qui in Persecutione Martyrium quidèm non passi, sed exilio mulctati bonis omnibus spoliati, fortes in Fide permanserunt, Persecutio permissa fuit ad probationem sicut Job. Iis qui tormenta ac mortem pro Christo strenuè subierunt, permissa fuit ad coronam. Iis verò, qui terrena ac vitam ne perderent lapsi fuerunt Fidem abnegantes, permissa fuit in pœnam, quia Fidei quam profitebantur opere non respondebant. Aliquorum tamen misertus Deus fecit, ut si secuti fuerant Petrum negantem, sequerentur etiam pœnitentem; & hos debitâ satisfactione persolutâ Ecclesia benignè suscipiebat, & de his scripsit S. Cyprianus L. de Lapsis, & Canones loquuntur. Qui verò semel in Apostasiam lapsi in ea persistebant, præter æternas pœnas, quibus addicti erant, sensibilibus etiam pœnis ad aliorum terrorem Divinam indignationem in se interdum experiebantur.

III. Istiusmodi terrifica exempla aliqua ipsiusmet Cypriani verbis Lib. de Lapsis producam: *Unus ex his, qui spontè Capitolium negaturus ascendit, postquam Christum negavit, obmutuit. Pœna inde cœpit, unde cœpit & crimen; ut nec rogare jam posset, qui verba ad precandam misericordiam non haberet.*

Alia in balneis constituta .... illic ab immundo spiritu immunda correpta cecidit, laniavit dentibus linguam, quâ fuerat vel pasta impiè vel locuta. Postquam sceleratus cibus sumtus est, in perniciem suam rabies oris armata est. Ipsa sui carnifex extitit, nec diù superesse postmodùm potuit, doloribus ventris & viscerum cruciata defecit.

Præsente ac teste me ipso, accipite quid evenerit. Parentes fortè fugientes, dum trepidi minùs sibi consulunt, sub nutricis alimen-

to

to parvulam filiam reliquerunt; relictam Nutrix detulit ad Magistratus. Illi ei apud Idolum quò Populus confluebat, quòd carnem necdum posset edere per ætatem, panem mero mixtum, quod tamen & ipsum de immolatione pereuntium supererat, tradiderunt. Recepit filiam postmodùm Mater; sed facinus puella commissum tam loqui & indicare non potuit, quàm nec intelligere priùs potuit nec arcere. Ignoratione igitur obreptum est, ut sacrificantibus nobis eam secum mater inferret. Sed enim puella mixta cum Sanctis, precis nostræ & orationis impatiens, nunc ploratu concuti, nunc mentis æstu cœpit fluctuabunda jactari, & velut tortore cogente, quibus poterat indiciis conscientiam facti in simplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur. Ubi verò solemnibus adimpletis calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus ejus advenit, faciem suam parvula instinctu Divinæ Majestatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licèt de Sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus & vomitus. In corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit. Sanctificatus in Domini Sanguine potus de pollutis visceribus erupit: tanta est potestas Domini, tanta majestas. Secreta tenebrarum sub ejus luce detecta sunt, Sacerdotem Dei nec occulta crimina fefellerunt. Hoc circa infantem, quæ ad eloquendum alienum circa se crimen necdum habuit ætatem. Ex hac narratione colligitur, veterem Ecclesiæ consuetudinem fuisse, ut completo Sacrificio Calix per Diaconos omnibus præsentibus etiam pueris & infantibus, in Africa saltem, dispensaretur. Prosequitur Cyprianus.

At verò ea, quæ ætate provectâ & in annis adultioribus constituta, sacrificantibus nobis latenter obrepsit, non cibum, sed gladium sibi sumens, & velut quædam venena lethalia inter fauces & pectus sanguinem admittens, angi & animâ exæstuante concludi postmodùm cœpit. Et pressuram non jam Persecutionis, sed delicti sui passa, palpitans & tremens concidit.

Et cum quædam arcam suam, in qua Domini Sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere. His indicatur alia veteris Ecclesiæ consuetudo, quâ liberum erat unicuique Corpus Dominicum in Ecclesia consumere, aut domum asportare. *Et alius, qui & ipse maculatus, Sacrificio à Sacerdote celebrato, partem cum cæteris ausus est latenter accipere, Sanctum Domini edere & contrectare non potuit: cinerem ferre se apertis manibus invenit. Documento unius ostensum est, Dominum recedere cùm negatur; nec immerentibus ad salutem prodesse quod sumitur, quando gratia salutaris in cinerem*

rem sanctitate fugiente mutetur. Hactenùs Cyprianus.

IV. Quia verò aliqui ad hæc & similia nihil territi dicere poterant: Et nos renuntiavimus Christo, Idolis sacrificavimus, libellos accepimus; quid autem nobis accidit triste? Propterea ad hos conversus Cyprianus ait: *Unusquisque consideret, non quid alius passus sit, sed quid pati & ipse mereatur. Nec evasisse se credat, si eum interim pœna distulerit; cùm timere plus debeat, quem sibi Dei Judicis censura notavit. Nec sibi quo minùs agant pœnitentiam blandiantur, qui etsi nefandis Sacrificiis manus non contaminaverunt, libellis tamen conscientiam polluerunt: & illa professio denegantis contestatio est Christiani, quod fuerat, abnuentis, fecisse se dixit, quidquid alius faciendo commisit*.

§. IV.

Martyres Alexandriæ.

V. Flevimus perditionem aliquorum, qui tanquam fœnum combusti Persecutionem ut pœnam experti sunt. Modó celebrandus est triumphus eorum, qui in Persecutione tanquam aurum probati sunt, & quibus Persecutio cessit in coronam. Sequar ergo Dionysium, qui recensitis miseris illis, qui Christum abnegavere (apud Euseb. L.6. cap.41.) subjungit: *Verùm Beati illi ac stabiles columnæ Domini, ab ipso confirmati, & Fidei suæ robori congruentem & ex æquo respondentem vim atque constantiam nacti, admirabiles Regni illius testes effecti sunt*.

VI. Et primò quidèm exhibet Julianum senem, qui podagræ doloribus adeò constrictus erat, ut nec stare posset, nec incedere. Is unà cum duobus, qui ipsum portabant, adductus est. Quorum unus statim negavit; alter verò nomine *Cremòn* cognomine *Eunus* & ipse Julianus Christum confessi, camelis insidentes, ac flagris verberati per totam Alexandriam circumducti, tandem ardentissimo igne circumfusâ totius Populi multitudine consumti sunt. Interea Miles quidam nomine *Besas*, qui ipsis dum ad supplicium ducerentur adstabat, & insultantes Martyribus cohibebat, conclamante adversùs eum Populo in jus adductus est, ubi pro Christo strenuè se gerens securi percutitur. Horum certamen colit Martyrol. Rom. die 27. Fubruarii, & de eo agunt Beda, Usuardus, Ado, Nicephorus L.5. cap.30. & alii.

VII. Secundò exhibet alium oriundum ex Lybia & vocabulo *Macar* seu *Macarium*, qui à Judice sollicitatus, ut Christum nega-

garet, cùm numquam flecti potuisset, vivus comburitur. Is fortè idem Macarius est, quem cum Coronione, Juliano & aliis tredecim, Alexandriæ sub Decio passum Martyrol.Rom. die 30. Octobris commemorat.

VIII. Tertiò exhibet Epimachum & Alexandrum, qui post diuturnum carcerem ferreas ungues flagra ac alia tormenta vivæ calcis incendio consumti sunt. His adjungit quatuor mulieres *Ammonariam*, *Mercuriam*, *Dionysiam* & alteram *Ammonariam*. Prima earum princeps & antesignana Virgo præclara, diutissimè torta propterea quòd palàm prædixerat, nihil eorum, quæ Judex jusserat, prolaturam se esse, cùm in promissione constans maneret, ad supplicium ducta est: cùmque puderet Judicem se à Femina victum fuisse, timens, ne sibi idem accideret, si reliquas tres tentaret, omnes gladio cædi imperat. De his Martyrol. Rom. die 12. Decembris ita loquitur: *Alexandriæ Sanctorum Martyrum Epimachi & Alexandri, qui sub Decio Imperatore, cùm fuissent multo tempore in vinculis, & diversis suppliciis affecti perdurassent in Fide, ignibus tandem consumti sunt. Ibidem Sanctarum mulierum Ammonariæ Virginis, Mercuriæ, Dionysiæ, & alterius Ammonariæ; quarum prima in eadem Decii Persecutione inauditis tormentorum generibus superatis, ferro cædente beatum vitæ finem percepit: tres verò aliæ, cùm Judex à Feminis superari erubesceret, ac dubitaret, ne eadem in illas exercens cruciamenta, earum etiam constantiâ vinceretur, statim jussæ sunt decollari*. Vide Lector tantâ etiam Feminas à Deo in Fide constantiâ roborari, ut ipsi Persecutores se ab illis vinci erubescant.

IX. Quartò, idem Dionysius subjicit *Heronem* & *Atrum* (seu *Arsenium*) & *Isidorum* Ægyptios, & cum illis *Dioscorum* circa quindecim annos natum, qui omnes Judici oblati sunt. *Et cùm Judex primum ante alios adolescentem Dioscorum partim sermonibus ut flexibilem decipere, partim tormentis ut mollem ac tenerum cogere tentavisset: ille nec persuasionibus cessit nec tormentis. Reliqui crudelissimè verberati, cùm cruciatus fortiter sustinuissent, igni etiam ipsi sunt traditi. Dioscorum verò qui in omnium conspectu inclaruerat, & qui ad interrogata sapientissimè responderat, admiratus Judex dimisit, spatium se illi ad pœnitentiam concedere affirmans ob ætatis infirmitatem. Et nunc nobiscum versatur divinus Dioscorus in majus ac diuturnius certamen reservatus*. Ita Dionysius; ex quo iisdem ferè verbis Martyrol. Rom. 14. Decembris: ubi tamen, qui à Dionysio dicitur *Ater* vocatur *Arsenius*.

X. Quintò addit Dionysius: sed & *Nemesion* quidam etiam ipsi

ipse Ægyptius, primùm quidèm falsò accusatus fuerat tanquam socius & contubernalis latronum; postea verò cùm apud Centurionem hanc calumniam à se utique alienissimam depulisset, delatus, quòd Christianus esset, ad Præfectum vinctus adducitur. At ille iniquissimus Judex, postquam eum duplò gravioribus, quàm reliquos latrones, tormentis ac verberibus affecisset, inter latrones jussit incendi. Et sic vir beatissimus similitudine Christi (qui unà cum latronibus pertulit crucem) honoratus est. Eadem ferè habet Martyrol. Rom. 19. Decembris.

XI. Quod sexto loco adducit gloriosius est, ait enim: *Porrò universus simul Militum manipulus, Ammon scilicet, Zeno, Ptolemæus, & Ingenuus, cumque illis senex Theophilus, ante Prætorium stabant. Et cùm quidam ob Christianam Religionem in judicium inductus, jam jamque negaturus Christum videretur, illi adstantes dentibus stridere, vultu innuere, manus extendere, ac totius simul corporis motus gestusque edere cœperunt. Cùmque omnium in se oculos convertissent, priusquam ab aliquo comprehenderentur, ipsi ad subsellium accurrentes, Christianos se esse professi sunt. Quo facto Præfectus & Assessores, qui in consilio aderant, metu perterriti sunt. Ac rei quidèm ipsi ad ea quæ perpessuri erant promtissimi & confidentissimi cernebantur. Judices autem ipsi contremiscebant. Isti igitur ex Prætorio ovantes processerunt, exultantes ob Fidei confessionem, cùm Deus per ipsos gloriosè triumpharet.* Quis hìc Divinum quid non admiretur, quo concussi Judices ipsi ad tantam horum Martyrum constantiam expavescunt? Hoc celebrat Martyrol. Rom. 20. Decembris.

XII. Hic tamen victoriarum Christi finis non fuit (pergit Dionysius cap.42.) *Sed & alii plures per Oppida & vicos à Gentilibus discerpti sunt, ex quibus unum exempli gratiâ commemorabo. Ischyrion mercede conductus procurator erat cujusdam Magistratum gerentis. Hic ab eo, cujus rem procurabat, jussus Idolis immolare, cùm minimè obtemperaret, primùm injuriâ affectus est: postea cùm in eadem sententia perstaret, variis ab eodem vexatus est contumeliis. Quæ omnia cùm patienter sustineret, ille prægrandi sude correptâ, transfixum per media viscera hominem interfecit. Jam quid opus est commemorare multitudinem eorum, qui in montibus, ac per solitudinem oberrantes, fame & siti, frigore ac morbis, latronum aut bestiarum incursu oppressi interiere. Ex quibus hi qui superfuerunt incolumes testes sunt electionis illorum atque victoriæ. Unicum dumtaxat facinus ad declarandam rei veritatem hìc adjiciam. Chæremon erat quidam grandævus Nili Urbis Episcopus. Hic unà cum conjuge in Arabicum montem fugâ delatus, non ulteriùs reversus est.*

est. Et Fratres quamvis accuratè omnia perscrutati, nec ipsos posthac nec eorum cadavera reperire potuerunt. De Ischyrione & Chæremone eadem habet Martyrol. Rom. 22. Decembris: de Chæremone addens sequentia: *In Ægypto Sanctorum Chæremonis Episcopi Nilopolis & aliorum plurimorum Martyrum, quorum alii sæviente Decii Persecutione fugâ dispersi, in solitudinibus errantes, à bestiis interemti sunt: alii fame, frigore ac labore, alii à barbaris & latronibus necati Martyrii gloria coronati sunt.* Quibus colligit omnia, quæ Dionysius narrat.

XIII. Ex his omnibus apparet, quàm superabundanter plurimorum Alexandrinorum constantiâ compensaverit Deus infirmitatem aliquorum, qui ibidem metu Persecutionis conterriti Fidem quam Christo dederant non servaverunt. Imò ex his etiam plures Divinâ excitante Gratiâ ad Ecclesiam accurrentes humili pœnitentia substrati lapsum suum deflentes ab ea suscipi postulabant. Cui indulgentiæ, licèt aliqui rigidiores præsertim Montanistæ refragarentur, Ecclesia tamen Catholica Deum imitata, servatâ disciplinæ ratione libenter annuebat.

XIV. Non pigeat iterùm audire Dionysium ita concludentem. *Cæterùm hi Divini Martyres, qui nunc assessores sunt Christi & Regni illius consortes ac Judicii participes unà cum ipso judicaturi* (notâ, quòd licèt tunc aliqui Justorum gloriam ad diem Judicii differri autumarent; Martyres tamen simul atque corporis vinculis soluti essent, ad Deum migrare & illius beatâ visione frui Christiani semper crediderunt. Ut ex Tertulliano L. de Resurr. Carnis cap.43., & L. de Anima cap.55.) *Dum hic apud nos essent, quosdam è fratribus lapsos & Idolis sacrificasse convictos susceperunt: & conversionem illorum ac pœnitentiam cernentes, cùm judicassent eam placere illi qui Peccatoris pœnitentiam mavult quàm mortem, eos admiserunt & collegerunt, atque in cœtum suum receperunt; & in orationibus ac cibo cum iisdem communicarunt. Quid ergo nobis, fratres, de his suadetis? Quid nos agere debemus? Utrum sententiæ Martyrum accedemus, & rem ab aliis judicatam, seu potiùs gratiam concessam tuebimur: & cum iis, quos illi miseratione consecuti sunt benignè agemus? An contra judicium illorum irritum faciemus, nosque ipsi sententiæ illorum discussores ac judices constituemus: clementiam dolore afficiemus: ordinem constitutum evertemus, Dei ipsius indignationem provocabimus?* His Dionysius ostendit, Lapsos à Martyribus in communionem saltem privatam pœnitentiâ admissos, non esse rationabiliter ab aliis rejiciendos.

§. V.

Martyres in Africa.

XV. QUemadmodùm ut homines discerent sinè Dei Gratia nihil posse, permisit Deus, ut plures suis viribus nimiùm fidentes inter tormenta miserè laberentur: ita ut nossent, se Deo ipsos gratiâ suâ confortante omnia posse, alios plurimos in eum unicè sperantes tanto robore munivit, ut inter atrociora tormenta intrepidi triumpharent. Hoc Africa etiam experta fuit, & Cyprianus qui L. de Lapsis plurium ruinas mœstus deploravit, jubilo plenus aliorum fortitudinem celebrat Epist. 9. his verbis: *Exulto lætus & gratulor, fortissimi ac beatissimi Fratres, cognitâ Fide ac virtute vestrâ, in quibus Mater Ecclesiæ gloriatur; gloriata & nuper quidèm cum confessione perstante suscepta pœna est, quæ Confessores Christi fecit extorres: confessio tamen præsens quantò in passione fortior, tantò major & clarior in honore est. Crevit pugna, crevit & pugnantium gloria. Nec retardati estis ab acie tormentorum metu, sed ipsis tormentis magis estis ad aciem provocati; fortes & stabiles ad maximi certaminis prælium promtâ devotione prodistis. Ex quibus quosdam jam comperi coronatos, quosdam verò ad coronam victoriæ proximos, universos autem quos agmine glorioso carcer inclusit pari ac simili calore virtutis ad gerendum certamen animatos, sicut esse oportet in Divinis castris Milites Christi; ut incorruptam Fidei firmitatem non blanditiæ decipiant, non minæ terreant, non cruciatus ac tormenta devincant, quia major est qui in vobis est, quàm qui est in hoc Mundo.* Et post multa loquens de jam coronatis ait: *Quàm lætus illic Christus fuit, quàm libens in talibus Servis suis & pugnavit & vicit Protector Fidei, dans credentibus tantum, quantum se credit capere qui sumit: certamini suo adfuit, præliatores atque assertores sui nominis erexit, corroboravit, animavit; & qui pro nobis mortem semel vicit, semper vincit in nobis.*

XVI. Inter Martyres Cyprianus ibi Mappalicum celebrat, qui infracto animo inter tormenta Proconsuli dixit: *Videbis cras agonem.* Et quod ille dixit, Dominus implevit; nam sequenti die in promissi agonis certamine coronatus est. Nec pro se tantùm Mappalicus hoc dixit, sed pro aliis in agone collegis suis: nec fefellit in promisso suo vox fidelis; pugnam quam spopondit exhibuit, & palmam quam meruit cum aliis accepit. De eo Martyrol. Rom. 17. Aprilis sic: *In Africa natalis beati Mappalici*

Mar-

Martyris, qui, ut scribit Sanctus Cyprianus in Epistola ad Martyres & Confessores cum aliis pluribus Martyrio coronatus est. Porrò qui fuerint hi Mappalici in agone collegæ, erui potest ex Luciani Epistola inter Cyprianicas 22., in qua recenset sequentium nomina: *Bassi in Petrario, Mappalici in quæstione, Pauli à quæstione* (id est à tormentis quæ in quæstione pertulerat) *Fortunæ, Victorini, Victoris, Hereni, Credulæ, Herenæ, Donati, Firmi, Venusti, Fructi, Juliæ, Martialis, & Aristonis, qui Deo volente in carcere fame necati sunt.* Non tamen omnes eâdem die cum Mappalico fuisse necatos, probabile est ex eodem S. Cypriano, qui citatâ Epist. 9., ubi asserit quosdam jam fuisse coronatos, quosdam verò ad coronam victoriæ proximos, ubi de Mappalico ut jam coronato loquitur. Nec est credibile, ex iis qui in carcere fame necati sunt, omnes eâdem die obiisse.

XVII. Aliorum etiam in Africa Martyrum meminit S. Cyprianus Epist. 35. occasione Numidici Presbyteri, quem ob id maximè laudat his verbis: *Qui hortatu suo copiosum Martyrum numerum lapidibus & flammis necatum ante se misit, quique uxorem adhærentem lateri suo concrematam simul cum cæteris (vel conservatam magis dixerim) lætus aspexit. Ipse semiustulatus & lapidibus obrutus & pro mortuo derelictus, dum postmodùm filia sollicito pietatis obsequio cadaver Patris inquireret, semianimis inventus & extractus & refocillatus à comitibus, quos ipse præmiserat, remansit invitus* (sic disponente Deo in bonum Ecclesiæ.) Adjungi possunt Castus & Æmilius, quos, ut ipse ait L. de Lapsis, *in prima congressione devictos, victores in secundo prælio reddidit, ut fortiores ignibus fierent, qui ignibus ante cessissent, & unde superati essent, inde superarent.* De his Martyrol. Rom. 22. Maii, & Sanctus Augustinus sermonem habuit qui modò est 285. Alios prætereo, quos idem Cyprianus indicat, nempe Rogatianum Seniorem & Felicissimum, qui primi omnium in carcerem trusi sunt, & quos sicut & aliquas Sanctas Feminas proponit in exemplum Epist. 81. edit. Pamelii; pluresque alios Cleri & Populi Carthaginensis Martyres, quos passim laudat, quales sunt Saturninus, Aurelius, Celerinus & alii. Hujus Celerini Avia Celerina, patruus & avunculus Laurentius & Ignatius jam antea gloriosum Martyrium consummarunt. Ita Epist. 34. dicens: *Nec rudis aut novus est in Celerino carissimo nostro titulus gloriarum; per vestigia cognationis suæ graditur, parentibus ac propinquis suis honore consimili Divinæ dignationis æquatur. Avia ejus Celerina jam pridem Martyrio coronata est. Item patruus ejus & avunculus Laurentius & Ignatius in castris & ipsi quondam secularibus*

ribus

ribus militantes; sed veri & spirituales Christi Milites, dum Diabolum Christi confessione prosternunt, palmas à Domino & coronas illustri passione meruerunt.

XVIII. Omnes etiam Africæ Regiones Persecutionem invasisse, testis est idem Cyprianus Epist.77.ad Martyres in Metallo constitutos, ubi inter alios novem Episcopos recenset, multos Presbyteros Diaconos & alios cujuscumque sexus & ætatis, qui suorum Pastorum exempla imitati in confessione Fidei fortes persistebant: unde ad præfatos Episcopos conversus: *Exemplum,* inquit, *vestrum secuta multiplex Plebis portio confessa est vobiscum pariter, & pariter coronata est, connexa vobis vinculo fortissimæ caritatis, & à Præpositis suis nec carcere nec metallo separata. Cujus numero nec Virgines desunt, quibus ad sexagenarium fructum centenus accessit, quasque ad cælestem coronam gloria geminata provexit. In pueris quoque virtus major ætate annos suos confessionis laude transcendit; ut Martyrii vestri beatum gregem & sexus & ætas omnis ornaret.* Quin & in Epistola 69., quam ante conscripserat ad Pupianum, alios ex suis collegis fuisse proscriptos, alios in exilium asportatos, alios tandem fuisse animadversos refert: ibi enim post depulsas calumnias, quibus Pupianus quasi scrupulo sed verè superbiâ motus, cum eo communicare recusabat: *Quare in hunc scrupulum,* inquit, *non inciderunt tot Coepiscopi collegæ mei, qui vel cùm de medio recederent, proscripti sunt vel apprehensi in carcere & catenis fuerunt, aut qui in exilium relegati illustri itinere ad Dominum profecti sunt, aut qui quibusdam locis animadversi, coronas de Domini clarificatione sumserunt?*

§. VI.

Martyres in Italia & Gallia.

I. JAm ex Africa transeamus ad alias Orbis partes, in quas Decianæ Persecutionis gladius desæviit. Primos igitur ictus sensit anno 250. Romana Ecclesia in suo Pontifice Fabiano. Is Romanus patriâ, parente Fabio non sine Divini afflatu Numinis ad Romanam Sedem post Anterum fuit evectus. Nam ut narrat Eusebius L.6. cap.29.: *Cùm Fratres omnes Successoris ordinandi causâ in Ecclesia essent congregati, ac plerique jam illustres aliquos & nobiles Viros eligendos esse conjicerent, de Fabiano quidèm qui tum* (ex agro enim venerat) *præsens aderat, nemo ne tantisper quidèm cogitabat. Columbam tamen repentè è sublimi delapsam capiti illius insedisse narrant, quæ Spiritus Sancti, qui olim sub*

ſub columbæ ſpecie in Servatorem deſcenderat, imaginem referre videbatur. Quo ſpectaculo permotus Populus, ac Divino Spiritu incitatus, ſumma cum alacritate uno conſenſu ſimul exclamare cœpit, dignum eſſe: ſtatimque comprehenſum Sacerdotali Cathedræ impoſuit. Hic ex quatuordecim Romæ Regionibus duas ſeptem Diaconis diſtribuit, ut ſinguli pauperum in eis exiſtentium curam haberent, ac ſeptem Subdiaconos ſtatuit, ſuper ſeptem Notariis conſcribendis Actis Martyrum deſtinatis; multaque alia præclarè geſſit. Tandem poſt 14. annos menſes 10. dies undecim, quibus in Pontificatu vixit, inter primas Deciani furoris victimas Martyrio coronatus fuit; cùm antea imperante Philippo Eccleſiam pacificè gubernaſſet. Ejus feſtum colitur 20. Januarii. Gladio fuiſſe cæſum aliqui putant.

II. Poſt Fabiani exitum Moyſes & Maximus ejus Presbyteri, & Nicoſtratus Diaconus comprehenſi in carcerem conjiciuntur. Ita Damaſus in Vita S. Fabiani dicens: *Poſt poſſionem verò ejus Moyſes & Maximus Presbyteri & Nicoſtratus Diaconus comprehenſi ſunt & in carcerem miſſi.* Ad hos in carcere detentos Sanctus Cyprianus Epiſtolas dedit, nempè 16. & 25.. Quibus apparet mendacium Doduvelli, qui ut Decii manſuetudinem laudet, & paucitatem ſub ipſo Martyrum tueatur, aſſerit præcipuè Moyſen carceris potiùs incommodis quàm novâ aliâ ſævitiâ obiiſſe. Nam Cyprianus præfatis duabus Epiſtolis ad Moyſen, Maximum & cæteros Confeſſores ſcriptis, & præcipuè decimaſextâ, ubi de ipſis & aliis, qui in agonem conſummaverant, ait: *Vos de Domini vinea pingues racemi, & jam maturis fructibus botri preſſuræ ſecularis infeſtatione calcati, torcular veſtrum carcere torquente ſentitis. Vini vice ſanguinem funditis. ad paſſionis tolerantiam fortes, Martyrii poculum libenter hauritis .... Beati ſatis qui ex vobis per hæc gloriarum veſtigia commeantes jam de ſeculo receſſerunt* &c.. & infra: *Quò longior veſtra pugna, hòc corona ſublimior. Agon unus ſed multiplici præliorum numeroſitate congeſtus. Famem vincitis & ſitim ſpernitis, & ſquallorem carceris ac receptaculi pœnalis horrorem roboris vigore calcatis. Pœna illic ſubigitur, cruciatus obteritur, nec mors metuitur ſed optatur* &c. Hæc Cyprianus.

De Moyſe Cornelius Papa veracior teſtis quàm Doduvellus, quia de viſu in Epiſt. ad Fabium Antiochenum apud Euſebium Lib. 6. cap. 43. ait: *Moyſes Beatiſſimus Martyr, qui nuper apud nos egregio & admirando Martyrio perfunctus eſt.* De Maximo verò Urbano & aliis idem Cornelius ibi: *Maximus*, inquit, *Eccleſiæ noſtræ Presbyter & Urbanus ambo ex Fidei confeſſione egre-*

egregiam jam secundò laudem adepti: Sidonius etiam & Celerinus; vir, qui cuncta tormentorum genera per Dei misericotdiam fortissimè sustinuit, ut qui Fidei suæ constantiâ infirmitatem corporis sui roborans adversarium penitùs debellavit. Hi fuisse creduntur Confessores, ad quos Epistolam decimamsextam dedit Cyprianus.

III. Romæ quoque sub Decio poniturMartyrium SS. Abdon & Sennen Persarum, qui (ut in Martyrol. Rom. 30. Julii) *sub Decio catenis alligati Romam adducti, pro Christi Fide primùm plumbatis cæsi, deinde gladio interfecti sunt*, anno 250.; si tamen eorum Martyrium contigit præsente Decio, ut aliqui volunt. Corpora horum in domo Subdiaconi nomine Quirini Romæ tumulata, ibi jacuerunt, donec eorumdem Martyrum revelatione sub Constantino in Cœmeterium Pontiani ad Ursum Pileatum extra Portam Portuensem translata sunt, ubi in pila in qua jacuerunt adhuc sculpta visitur imago Christi, Martyres coronantis (Bosius Rom. Subterr.).

IV. Item Romæ sub eodem passa fuit circa an. 253. S. Victoria Virgo, quæ (ut in Martyrol. 23. Decembris) *cùm esset desponsata Eugenio Pagano, & nec nubere vellet nec sacrificare, post multa facta miracula, quibus plurimas Deo Virgines aggregaverat, à Carnifice percussa est gladio in corde rogatu sui Sponsi.* Anatolia pariter Virgo Romana, quam Victoriæ sororem aliqui censent, unà cum Audace coronata legitur 9. Julii his verbis: *In Civitate Thora apud Lacum Velinum* (Diœcesis Reatinæ prope Sabinos) *passio Sanctorum Anatoliæ & Audacis sub Decio Imperatore, quorum Anatolia Christi Virgo, postquam plurimos per totam Piceni Provinciam variis languoribus affectos curasset, & in Christum credentes fecisset, jubente Faustiniano judice diversis pœnarum generibus vexata, cùm ab immisso serpente liberata Audacem convertisset ad Fidem, novissimè extensis manibus orans gladio transverberata est. Audax quoque in custodiam datus sinè mora capitali sententiâ coronatur.*

Baronius ad ann. 253. num. 29. sentit, utrumque Thoram ad Lacum Velinum abductum ibi Martyrio fuisse affectum. His adjungit SS. Calocerum & Parthenium, quorum prior cùm esset Præfectus cubiculi uxoris Decii, alter verò alterius muneris primicerius (idest eo in munere primus) nolentes Idolis sacrificare, jussi sunt à Decio occidi. De his 19. Maii. Sed & Secundianus Valeriani Præfecti Assessor, necnon Marcellinus ac Verianus ab Urbe ad Centum-Cellas amandati, à Quadrato (seu Promoto) Consulari post alia tormenta gladio probati sunt die 9. Augusti. Fertur, hos fuisse ex præcipuis Persecutionis Mini-

ni-

niſtris ; ſed admirantes Chriſtianorum conſtantiam, qui mallent immania pro Chriſto tormenta & mortem ipſam pati, quàm in deliciis ſuperſtites vivere, tacti à Deo intrinſecùs & cogitantes aliquod altius bonum à Chriſtiana Fide promitti, eam amplexos fuiſſe ac fortiter ſuſtinuiſſe. Hos Eccleſiæ Centum-Cellarum, Toſcanellæ & Corneti ut Patronos venerantur.

V. Tuſcia quoque ſuos Martyres ſub Decio obtulit Fidei: Florentia S. Miniatem, qui ex Milite Decii factus Miles Chriſti pro ipſo glorioſè certavit & vicit. Ita 25. Oct. legitur: *Florentiæ paſſio Beati Miniatis Militis, qui ſub Decio Principe pro Fide Chriſti egregiè certans nobili Martyrio coronatur*. Aretium quoque ſuos dedit Pergentinum & Laurentinum fratres, de quibus 3. Junii Martyrol. legit: *Aretii in Tuſcia Sanctorum Martyrum Pergentini & Laurentini fratrum, qui in Perſecutione Decii ſub Tiburtio Præſide, cùm eſſent pueri poſt dira ſupplicia tolerata & magna miracula oſtenſa gladio cæſi ſunt*. Peruſina Eccleſia pariter Felinum & Martinianum exhibuit: quos Martyrol. 1. Junii celebrat dicens: *Peruſiæ Sanctorum Martyrum Felini & Martiniani Militum, qui ſub Decio variis tormentis cruciati, Martyrii palmam glorioſá morte perceperunt*. Et inſuper ſequentes, de quibus 5. Junii: *Peruſiæ Sanctorum Martyrum Florentii, Juliani, Cyriaci, Marcellini & Fauſtini, qui in Perſecutione Decii capite cæſi ſunt*.

VI. Anagnienſis quoque Eccleſiæ Acta exhibent Magnum illius Epiſcopum, de quo 19. Auguſti Martyrol. habet: *Anagniæ Sancti Magni Epiſcopi & Martyris, qui in Perſecutione Decii necatus eſt*: item Sanctam Secundinam Virginem & Martyrem ſub Decio paſſam, de qua 15. Januarii. Fulginatenſes exhibent Sanctam Meſſalinam & Sanctum Felicianum ibi ſub Decio paſſos. De priori Martyrol. Rom. ſilet; de altero verò 24. Januarii hæc habet: *Fulginei Sancti Feliciani, qui à Victore Papa ejuſdem Civitatis Epiſcopus ordinatus, poſt multos labores in ultima ſenectute ſub Decio Martyrio coronatur*. Ravennatenſes etiam Tabulæ proferunt SS. Fuſcam Virginem & Mauram ejus nutricem. Fuſca igitur Virgo nobilis virtutem Jeſu Chriſti in Martyrum alacritate dignoſcens, quindecim annos ætatis agens ejus Fidem ſuſcepit, ad eamque Mauram ejus nutricem traxit. Hoc cùm Pater ejus reſciviſſet, domeſticâ ſed violentâ perſecutione filiam à propoſito deterrere conatus fuit, ſed fruſtrà. Tandem ambæ ad Tribunal delatæ, Decio imperante, multa ſub Quintiano Præſide perpeſſæ, demum gladio transfixæ Martyrium conſummarunt: die 13. Februarii earum feſtum agitur.

VII. Illustrem Siciliam reddidit celebris S. Agathæ Catanæ passio, quam Martyrol. Rom. die 5. Februarii ita commendat: *Catanæ in Sicilia natalis S. Agathæ Virginis & Martyris, quæ temporibus Decii Imperatoris sub Quinctiano Judice post alapas & carcerem, post equuleum & torsiones, post mamillarum abscissionem, post volutationem in testulis & carbonibus, tandem in carcere Deum precando consummata est.* Sub Decio quoque censent Recentiores aliqui, passos fuisse SS. Alphæum Philadelphum & Cyrinum in Sicilia: de his Martyrol. Rom. 10. Maii, & Græci eâdem die in Menol. Basilii his verbis: *Alpheus Philadelphus & Cyrinus Christi Martyres erant oriundi ex Regione Italiæ nobiles ac divites, filii Vitalis ejusdem Regionis Præfecti. Cùm verò à quodam Onesimo Christiano pietatem didicissent & baptizati fuissent, Christum prædicabant. Eo autem tempore Præfecto cum Imperatoriis litteris ab Urbe Roma in istam Italiæ Regionem amandato, ut Christianos omnes occidendos curaret; ad ejus notitiam isti delati & comprehensi ac vinculis constricti, Romam missi sunt unà cum Onesimo & Erasmo aliisque Viris quatuordecim ad Licinium, à quo traditi Diomedi Præfecto Puteolos adducuntur. Et Onesimus quidèm maximo ad pectus superimposito lapide spiritum emisit; Erasmus verò cum reliquis quatuordecim capite plexus fuit. At prædicti tres in Siciliam missi ibidem interfecti sunt.* Scio hanc historiam Criticis quibusdam suspectam esse; sed præfatos Martyres reverâ extitisse, puto non negabitur.

VIII. Gallia quoque sub Decio Jesu Christo immolavit Sanctum Saturninum Tholosæ Episcopum, qui, ut Martyrol. Rom. 29. Novembris, *temporibus Decii in Capitolio ejusdem Urbis* (Tholosæ) *à Paganis tentus atque à summa Capitolii arce per omnes gradus præcipitatus, capite colliso excussoque cerebro & toto corpore dilaniato dignam Christo animam reddidit.* Notat hìc Baronius, quòd non tantùm Romæ erat Capitolium, sed & in aliis Urbibus: Svetonius in Tiberio cap.40. & in Cajo cap.57. meminit de Capitolio Capuano; S.Cyprianus Epist.55. ad Cornelium Papam de Capitolio Carthaginensi, de quo etiam L. de Lapsis; S. Hieronymus L. de loc. Hebr. arcem Babyloniæ Capitolium appellat; Conc. Eliberitanum Can.5. prohibet, ne quis Christianus ad Idolum Capitolii sacrificandi causâ ascendat; quæ non de Romano, sed de quolibet alio in Hispania constituto Capitolio intelligi debere nemo ambigit. Locum itaque in unaquaque Civitate præcipuum, ubi potissimùm Gentilium superstitio coleretur, eumdemque murorum ambitu permunitum, Capitolium dici consuevisse, ex dictis apparet.

Amaranthum etiam Gallia exhibuit, qui apud Albigensem Urbem fidelem pro Christo agonem consummavit, ut in Martyrol. 7. Novembris, de quo Beda, Usuardus, Ado, & Gregorius Turonensis de Glor. Martyr. cap. 57. Bassum quoque Episcopum Nicææ apud Varum in Provincia, de quo Martyrol. 5. Decembris dicit: *Nicææ apud Varum fluvium Sancti Bassi Episcopi, qui in Persecutione Decii & Valeriani à Perennio Præside ob Christi Fidem equuleo tortus, laminis candentibus ustus, fustibus & scorpionibus cæsus, in ignem injectus, cùm evasisset illæsus, duobus clavis confixus illustre Martyrium consummavit*. De S. Basso Episcopo & Martyre adest Sermo S. Jo: Chrysostomo tributus (Tom.2. noviss. Edit. inter dubios) sed an de isto Episcopo Nicææ in Provincia, an de alio Nicææ in Bithynia Episcopo loquatur, incertum remanet.

§. VII.

Aliqui Martyres in Oriente.

I. HAc Decii Persecutione quasi universali terræ motu tota per Romanum Orbem Ecclesia concussa est, adeout multi minùs stabiles terrore corruerint, ut supra dixi, alii verò multò plures in Fide Christi perstiterint; quorum triumphos prosequi in præsens curabo. Præter ergo jam recensitos ex Occidente, alios & quidèm præclaros obtulit Oriens. Primus sit Babylas Episcopus Antiochenus, ille qui, ut supra §. 1. dixi, Philippum Decii præcessorem ingressu Ecclesiæ prohibuit, nisi priùs pœnitentiâ peccata dilueret. Is ergo post gloriosam Christi confessionem (Eusebius L.6. cap.39.) in carcerem catenis oneratus detrusus, & ibi moriens, sic ut erat catenis vinctus sepeliri voluit. Cum eo quoquè mortui feruntur tres pueri ejus instructioni concrediti. Ita Martyrol. Rom. 24. Januarii. De S. Babyla sermonem habuit S. Jo: Chrysost., qui est tom.2. novæ Editionis, ubi facit ipsum obtruncatum, aitque: *Cædi proximus vir Beatus cum ferro corpus suum sepeliri mandavit, docens, ea quæ ignominiosa videntur, cùm propter Christum fiunt, honorifica & splendida esse*. Et infra: *Ne quis ergo Gentilium putaret, certamina per vim ac necessitatem committi, ipsa certaminum symbola cum corpore suo sepeliri jussit, ostendens ea sibi admodùm grata & amabilia esse, quòd totus penderet à caritate Christi. Et jacent etiam nunc cum cineribus compedes, ut moneant omnes Ecclesiarum Præfectos, etsi vincula cædem & qualibet alia pati oporteat,*

omnia alacriter & cum voluptate multa sustinenda esse.

II. Alter sit Alexander Episcopus Jerosolymitanus, de quo Eusebius L.6. cap.39. hæc refert: *In Palæstina autem Alexander Jerosolymorum Episcopus rursùs propter Christum ad Præsidis tribunal adductus est* (quadraginta enim annis ante jam Episcopus sub Severo Christum fuerat confessus) *cùm ex secunda hac confessione magnam gloriam retulisset, Cæsareæ in carcerem conjectus est; vir decorâ senectute & venerandâ canitie conspicuus. Qui cùm post præclaram atque illustrem Fidei confessionem in præsidiali Judicio editam tandem in custodia animam exalasset, Mazabanes in ejus locum Episcopus Jerosolymitanus renuntiatus est.* Nota tamen; hunc Alexandrum ante fuisse in Cappadocia Episcopum, qui ad visenda Loca Sancta Jerosolymam veniens, cùm Narcissus ejusdem Urbis Episcopus Ecclesiam valdè senex regeret, *Narcisso & multis Clericorum ejus revelatum est, alterâ die mane intrare Episcopum, qui adjutor Sacerdotalis Cathedræ esse deberet. Itaque re ita completâ, ut prædicta fuerat, cunctis in Palæstina Episcopis in unum congregatis, adnuente ipso vel maximè Narcisso, Jerosolymitanæ Ecclesiæ cum eo gubernaculum suscepit* (Narcissus autem, ipso Alexandro teste, 116. annos tunc agebat) Ita S. Hieron. L. de Script. Eccles. cap.62., qui addit: *Septimâ autem Persecutione sub Decio, quo tempore Babylas Antiochiæ passus est, ductus Cæsaream & clausus in carcere, ob confessionem Christi Martyrio coronatur* (anno ut creditur 251.): Eadem ferè habet Martyrol. Rom. 18. Martii. De alio Alexandro longævâ ætate venerabili & iteratâ confessione claro, inter Carnificum tormenta pariter sub Decio coronato, mentionem faciunt Martyrologia Bedæ Adonis & Rom. 30. Januarii, qui tamen à præcedente diversus est.

III. Tertio loco succedunt SS. Galation seu Galaction & Epistemes ejus conjux Emesæ in Phœnicia sub Decio passi. De his Latini 5. Novembris & Græci eâdem die, qui in Menol. Basilii ita narrant: *Sanctus Galaction ex Urbe Emesa fuit, Onuphrii Monachi prædictione natus, à quo & parentes ejus baptizati fuerant. Cùm autem post Matris obitum despondisset illi Pater uxorem nomine Epistemen formosissimam sed adhuc infidelem, nuptiis celebratis, adiit quidèm Galaction uxorem; sed nullâ ratione adduci potuit, ut ad osculum eam admitteret: cujus rei causam ab ea rogatus: Quia, inquit, Christiana non es. Quare statim Christianam se futuram pollicetur. Sed cùm nulla Presbyteri facultas propter Persecutionem daretur, ab ipso Galactione baptizata est. Deinde ex composito distributis in pauperes facultatibus, uterque in montem secessit atque in Monasterium separatum se recepit. Commota autem in Christia-*

stianos Persecutione, ad Regionis Præfectum delati sunt. Dum igitur Galaction comprehensus ad Præfectum trahitur, Episteme assecuta eum est & simul cum illo retenta. Deinde ambo præcisis manibus ac pedibus decollati fuere.

IV. Melitina Armeniæ Urbs Martyrum feracissima exhibet quarto loco S. Polyeucti sub Decio certamen. De hoc agit Martyrol. Rom. 13. Februarii, Græci autem 9. Januarii, die verò 10., ut ex Actis ejus. Is in Romanis copiis, quæ Melitinæ stationem habebant, Miles erat; uxorem nomine Paulinam cujusdam Felicis filiam habebat, ex qua unicum filium susceperat. Intimus ejus amicus Nearcus erat, professione & ipse Miles, sed Religione Christianus, ubi Polyeuctus adhuc infidelis erat. Cùm ergo motæ à Decio Persecutionis rumor illuc advenisset, Nearcus paratus quidèm pro Christo mori, sed anxius de salute æterna Polyeucti amici, ipsum lacrymans adiit de mutua imminenti separatione monens ac simul dolens, quòd in statu æternæ perditionis eum relinqueret. Polyeuctus qui ex familiari cum Nearco conversatione multa audierat de Christo, nec ab eo multùm alienus erat, hâc visione devictus fuit: Apparuit illi Jesus in somnis pretiosum sagum illi offerens: quod cùm Nearco narrasset, mutuò se pro Christo vitam daturos promiserunt. Polyeuctus igitur illicò se Christianum publicè professus, propterea comprehenditur & diris tormentis subjicitur. Carnifices ipsi, socer, uxor unicum filium ei præsentans, eum à Fide deterrere modis omnibus conabantur; incassùm tamen. Quare morti addictus, animo adeò intrepido supplicii locum adivit, ut omnes mirarentur, & multi conversi sint: inde Nearco valedicens, & ad se sequendum exhortans gladio coronatur. Cùmque Martyrium, Metaphraste teste, quatriduò post ejus conversionem contigerit, credibile fit, eum solo Baptismo sanguinis baptizatum in Domino obiisse.

Græci tamen in Menol. Basilii 9. Januarii aliter factum narrant: dicunt enim: *Cùm autem sæva adversùs Christianos Persecutio mota esset, iique in dies cæderentur, qui Christum negare detrectabant; eâ re compertâ S. Polyeuctus, Christum quidèm palàm & publicè Deum professus est, Idolorum autem Fanum ingressus omnia Idola comminuit. Comprehensus ergo Præfecti jussu cædebatur: cùmque Præfectus socer ejus esset, eum hortabatur, ut Christo abjurato, saluti suæ consuleret. At ille compellans Nearcum amicum suum: Vidi, inquit, in somnis Christum meum venientem & pretiosum mihi Sagum afferentem. Verumtamen memento mei, amice. Aderat ejus uxor eumque monebat, ut in Fide Christi constans esset.*

ſet. *Quare gratias agens decollatus eſt*. Quibus Polyeuctus antea Chriſtianus deſcribitur, Præfectus ſocer illius, & uxor Chriſtiana ſupponitur. Quid reverà fuerit, meum non eſt hìc diſcutere. Quomodocumque exprimatur Sancti Polyeucti Martyrium glorioſum fuit.

V. Sanctum Mercurium quinto loco ſubjicio, apud Latinos 25. Novembris, & apud Græcos eâdem die celebrem. Fuit iſte in Oriente ſub Decio Miles. Cuſtodientis ſe Angeli patrocinio, fortiter in prælio ſe gerens Dux Militum à Decio declaratur: ſed cùm eum eſſe Chriſtianum reſciviſſet, *comprehenſum ad quatuor palos humi alligari juſſit & gladiis membratim concidi, ignemque accenſum ei ſupponi, qui ex nimio ſanguine extinctus eſt. Poſt hæc alligato ad collum ingenti ſaxo, in equuleum inverſo capite rapitur, detractâque æneâ forcipe cute, vinctus Cæſaream Cappadociæ ducitur: ubi abſciſſo capite ſepultus quieſcit, curationes Fidelibus omnibus ad hanc uſque diem præbens*. Ita Græci in Menol. Baſilii 25. Novembris. De hoc Sancto Martyre refert Damaſcenus Orat. 1. de Imagin., quòd cùm S. Baſilius coràm imagine, in qua picta erat B. Virgo & S. Mercurius Martyr, oraret ut Apoſtata Julianus de medio tolleretur, confeſtim vidit, Martyrem exiguum ad tempus ab oculis ſuis evaneſcentem, ac non multò poſt cruentam haſtam tenentem: quo viſo Julianum fuiſſe necatum ſinè mora fama tulit. Et hoc ex Vita Baſilii ab Helladio ejus Diſcipulo ſcriptâ ſe didiciſſe Damaſcenus teſtatur. Idem in Vita S. Baſilii, quæ ſub nomine Amphilochii fertur. Utut tamen ſit, certum eſt, impium Julianum Divinâ ultione fuiſſe peremtum. De quo vide Sozomenum L.6. hiſt. cap.2., ubi relatis variis, quæ de hoc ſuo tempore ferebantur mirabilia, concludit: *Neque enim abhorret à vero, quin alia etiam his admirabiliora contigerint, quibus oſtenderetur, Chriſtianam Religionem non humanâ vi aut induſtriâ ſtabilitam eſſe*. Quæ verba mirè confirmant hujus mei Operis argumentum.

VI. Sextò Martyrium ponitur SS. Luciani, Martiani, Florii, Heraclis, Titi, & alterius Florii, qui ſub Decio Imperatore & Proconſule Sabino combuſti feruntur Nicomediæ. Horum meminerunt Martyrologia etiam antiquiora 26. Octobris. Horum Acta exhibet Ruinart Act. Mart., in quibus tamen Luciani & Martiani tantùm fit mentio. Dicunt ergo, quòd iſti, præter Gentilitatis errorem, quo ſummo zelo antea tenebantur, Magiâ & maleficiis omnis generis ita celebres erant, ut quotquot vellent voluntates ſuas impias perficere, ad eos accurrerent. Deus tamen, qui, ut oſtendat potentiam ſuam, identidem etiam magis

re-

rebelles trahere solet ac sibi subdere voluntates, id in istis implevit. Erat quædam puella Deo devota & virginitatis adeò amans, ut quascumque nuptias contemneret. Hanc Lucianus & Marcianus insano amore deperire cœperunt; sed cùm nihil proficerent, ad Dæmones Magicis ut consueverant artibus conversi sunt. Virgo in vigiliis & oratione perstans constantior omnes eorum artes eludebat. Quod illi videntes, novis Magicis phantasmatibus Dæmones sollicitabant, ut eis responderent, cur qui in tot aliis præstò fuerant, hac in re eos desererent. Quibus Dæmones dixerunt: „ Quascumque animas non cognoscen-
„ tes Deum, qui est in Cœlo, voluistis subvertere, invocantes
„ nos, facillimum nobis fuit vobis præstare. Sed quia ad hanc
„ castissimam animam certamen nobis est; multa quidèm feci-
„ mus, sed nihil potuimus proficere adversùs eam. Hæc verò
„ virginitatem illibatam servat Jesu Christo Domino suo & Deo
„ omnium, qui crucifixus est pro salute omnium: ipse eam cu-
„ stodit & nos affligit. Ideò nihil contra eam facere possumus,
„ nec in aliquo superare. „ En à Dæmone mendacii auctore & jurato Christi hoste, pro Veritate Christianæ Religionis ineluctabile testimonium.

Cùm hæc publicè agerentur, Lucianus & Martianus conterriti ceciderunt in faciem velut mortui. Post paululùm Divinâ gratiâ excitati, Dæmones omniaque Magica detestati, ad Christum, contra quem se non prævalere Dæmones ipsi confessi fuerant, converti statuerunt. Subinde in media Civitate magicis Libris combustis, baptizati, omnibus derelictis loca secreta petierunt, ubi macerantes se & delicta sua castigationibus detestabantur, Christum sibi propitium invocantes: inde majori zelo accensi, Christum stupentibus omnibus publicè prædicare cœperunt. Quapropter accusati ad Proconsulem Sabinum, qui tunc Decii nomine regebat, adducti fuerunt. Proconsul ergo eos primò improperavit, cur veros Deos relinquentes, ad mortuum & crucifixum Jesum, qui nec se ipsum salvum facere potuit, transfugissent, cui Marcianus respondit: *Ille nobis donavit, qui & Sancto Paulo, qui cùm esset Ecclesiarum persecutor, postea ejus gratiâ factus est prædicator*. Cùmque urgeret Proconsul, ne Christum sequerentur, qui ipsos nec è manu sua nec à morte posset eripere. Et respondentibus ipsis: hanc gloriam Christianorum ex Christi promisso esse, ut qui fideliter certaverit cum Diabolo, minas & quæ sunt caduca contemserit, perpetuam ac futuram vitam consequatur; Sabinus partim irridens partim indignatus, videns se nullâ ratione ac minis eos flectere posse,
ut

ut flammis exurerentur sententiam tulit: quæ 7. Kalend. Novembris impleta fuit anno 250., Sanctique Martyres ad Christum advolarunt.

VII. Eodem anno 250. contigisse fertur illustris passio Sanctorum Tryphonis & Respicii, quam septimo loco propono. Hos secundùm veriorem lectionem cùm Baronio in Notis ad 10. Novembris & Ruinart in Act. Mart. censeo fuisse Phryges; Apamææ Phrygiæ tentos, & Nicæam ubi passi sunt perductos, & sub Aquilino Præside imperante Decio agonem suum consummasse. Hi ergo honestis natalibus orti adhuc juvenes Jesu Christo omni virtutum studio sese dederunt. Cùmque occulti manere non possent assumto ad Imperium Decio, ad Aquilinum Bithyniæ Gubernatorem delati, catenis constricti Nicæam perducti sunt; sed Præside tunc aliis distracto negotiis, in carcerem conjiciuntur. Jussi post aliquot dies coram Præside steterunt, à quo quinam essent interrogati, responderunt se Christianos esse, & hunc esse eorum statum & unicam fortunam. Cùmque ad hæc Pompejanus primiscrinius respondisset: *Tales* nempè Christianos *jussit Imperator vivos incendi, nisi sacrificaverint Diis*: Respicius dixit, hoc esse quod anxiè optarent, & proinde quod sibi præceptum erat, implere satageret. Addente autem Aquilino, ut ætatem habentes & sanum intellectum, cogitarent quid facerent, alacres responderunt: propterea quia perfectum intellectum habemus, nil aliud magis optamus, quàm agonem consummare pro Christo.

His auditis, Aquilinus jussit illos torqueri, ni consentirent. At illi depositis vestibus ultrò se obtulerunt quæstioni. Cùmque per tres horas torquerentur, nullam doloris vocem ediderunt, imò de Deo & pœna colentium Idola alacres cum Præfecto disceptabant. Qui nihil se proficere videns, eis graviora comminatus, in carcerem detrudi jussit. Interea ad alias Civitates profectus, deinde Nicæam reversus, eosque constantiores inveniens, pedes eorum clavis configi jussit, & in asperitate hyemis per mediam Civitatem trahi. Eorum hilaritatem admiratus Judex? *Quid est?* inquit, *non sentitis tormenta?* Illi autem responderunt: *Non: quia clavi non sunt fixi in pedibus nostris, sed quasi in calceamentis*.

Hâc irrisione indignatus Aquilinus, eos manibus post tergum ligatis, nudos cædi jussit. Sed cùm acerrimè cæderentur, quæstionarii deficiebant. Quare irâ repletus ungulas & lampades eorum lateribus applicari imperavit. At dum lampades applicarent, astitit Angelus Domini coronas habens in manibus gem-

gemmis & floribus ornatas,quas capitibus Martyrum imposuit, eosque in agone firmavit: quod cùm viderent Ministri, cadentes in terram facti sunt veluti mortui. Aquilinus furore insaniens tormenta tormentis adjecit; sed cùm vidisset, eos ita se gerere ac si nihil sentirent, tandem capitali sententiâ illos damnavit, sicque gladio jugulati Martyrii coronam accepere, dumque vitam hanc temporalem contemserunt, à Christo donati fuerunt æternâ. Hæc ex eorum Actis quæ exhibet Ruinart.

VIII. Græci autem in Menol. Basilii 1. Februarii de solo S. Tryphone loquentes hæc habent in multis diversa: *Tryphon Martyr in Phrygia Gordiano Imperatore natus, adhuc puer anseres pascebat, sed simul virtutibus comparandis operam dabat, Deique mandata diligenter exequebatur. Unde curationum donum accepit, ut nullum esset morbi genus, quod non curaret. Sanavit autem & Imperatoris filiam à Dæmone oppressam, ipsumque Dæmonem in specie nigerrimi canis ostensum compulit, ut suas præstigias & dolos patefaceret; quæ res multos ad Christi Fidem traduxit. Post hæc Decio imperante, captus ab Aquilino Præfecto Nicæam vinctus perducitur; ubi ad equos indomitos alligatus per invia hyberno tempore raptatur, deinde nudus super acutos clavos volutatur, demum facibus circa latera ustulatus, capite plectitur.* Ita Græci aliqua addentes aliqua omittentes; omnia tamen Christi gloriam in suis Sanctis testificantia.

IX. Octavò. Apolloniæ in Bithynia ponitur sub Decio passio SS. Thyrsi, Leucii & Callinici, de qua Martyrol. Rom. 28. Januarii dicitur: *Apolloniæ Sanctorum Martyrum Thyrsi Leucii & Callinici, qui tempore Decii Imperatoris variis tormentorum generibus cruciati, primus & ultimus abscissione capitis, medius cælesti voce evocatus spiritum reddens, Martyrium consummarunt.* Græci pariter in Menol. Basilii 14. Decembris, de solis tamen Thyrso & Lucio loquentes, ajunt: *Decio imperante cùm Combricius Præfectus magnâ adversùs Christianos motâ persecutione, in partibus Nicomediæ sanguinem Christianorum in dies velut aquam effunderet, ægrè id ferens Leucius vir Christianus Deumque timens, adiit Præfectum, &, Canis inexplebilis, inquit, usquequò hominum sanguinem velut aquam effundes, compellens illos adorare lapides & ligna animo sensuque carentia? Ad hæc excanduit Præfectus, raptumque in equuleum & excarnificatum decollari jussit. Thyrsus verò obviàm factus eidem Præfecto, exprobravit, quòd multo mortalium sanguine exhausto, nondum tamen animum suum explesset. Quare & hunc comprehensum, manibus pedibusque revinctis, oculis transfixis craribusque contusis, mandavit serrâ medium*

secari. Sed antequam scinderetur atque in duas partes divideretur, animam reddidit. Quid ad hæc Doduvellus? Si Christianorum sanguis sub Decio vel in una Provincia veluti aqua effundebatur, quid dicetur de toto Romano Orbe, per quem grassata æquè fuit Persecutio?

X. Nono loco ponam S. Menignum, de quo Martyrol. Rom. 15. Maii, & Græci in Menol. Basilii die 17., qui ei adjungunt S. Romanum his verbis: *Sanctus Menignus vixit imperante Decio oriundus ex Civitate Paro* (seu Pario in Hellesponto) *arte fullo & labore manuum sibi victum comparans, ministrabat Christianis ob persecutionem in carceres conjectis. Desiderabat autem & ipse pro Christo Martyrium subire, idque precibus efflagitabat. Quare audivit vocem sibi dicentem: Menigne, veni ad me & invenies gratiam coram me. Accessit ergo ad Judicem & Christianum se esse confessus est. Quamobrem verberibus exceptus, gladioque digitis manuum ac pedum abscissis, capite plexus fuit. Venerandæ autem ejus Reliquiæ in Urbe sepultæ præbent sanitatem omnibus Fidelibus usque in hodiernum diem. Romanus autem cùm Ecclesiæ Cæsareæ Palæstinæ Diaconus esset, Christique Fidem Populum doceret, comprehensus multisque tormentis excruciatus eodem die gladio cæsus finem accepit.*

XI. His accedunt SS. Petrus, Andreas, Paulus & Dionysia Lampsaci in Hellesponto passi, ut in Martyrol. Rom. 15. Maii & in Menol. Basilii eâdem die, ubi tamen loco Dionysiæ ponitur Dionysius, & additur Christina his verbis: *Petrus Christi Martyr ex Lampsaco Urbe fuit. Comprehensus autem ab Idolorum Cultoribus, Præsidi Abydi traditur. Cùmque Idolis sacrificare detrectaret, contrito lignis corpore, spiritum tradidit. Paulus autem & Andreas, qui sub eodem Abydi Præside Milites erant, unà cum illo Athenas venientes, Dionysium & Christinam comprehensos & in carcerem detrusos jussi sunt custodire. Sed à S. Christina edocti, patrio Idolorum errore quem à Majoribus acceperant derelicto, ad Christum accessere. Deprehensi itaque quòd Christiani essent, ipsi, inquam, & Dionysius, primùm quidèm plurimis suppliciis, quòd impuris Dæmonibus sacrificare nollent, subjiciuntur, ac demum lapidibus obruuntur. Sancta verò Christina accurrens ad illos & plorans capite plexa est.*

XII. Aliter tamen in multis ferunt Acta à Ruinart exhibita. Dicunt, Petrum adhuc juvenem in locis Lampsaci comprehensum oblatumque Proconsuli, cùm constanter confiteretur, se non obstantibus decretis Principum velle magis Deo vero obedire & Christianum esse: undè tensum in rotis ligneis, in circuitu

tu positis vinculis ferreis, toto corpore constrictum & confractum, sed magis constantem gratiasque Deo agentem, tandem gladio fuisse percussum. Dicunt, Proconsuli Troadem iter paranti oblatos fuisse Andream, Paulum & Nicomachum, quos cùm interrogasset, cujus essent Religionis, Nicomachus impatiens prior dixit, Christianus sum, quod Andreas & Paulus interrogati dixerunt. Sed Nicomachus sacrificare repugnans & appensus, cùm nimiùm vexaretur ac propè esset spiritum emissurus, negans se fuisse Christianum depositus fuit, & Diis sacrificavit. Verùm Divinâ ultione statim percussus fuit: nam correptus à Dæmone & in terram allisus linguam suam comedens emisit spiritum. Ex spectantibus autem turbis quædam puella & virgo annos habens sexdecim nomine Dionysia exclamavit dicens: *Miser & infelicissime homo, cur propter unius horæ spatium acquisivisti tibi perpetuam & inenarrabilem pœnam?*

XIII. Hoc audito Proconsul accersitam interrogavit, an esset Christiana: cui illa, Christiana, inquit, sum, & propterea infelicem istum plango, quòd momentaneam pœnam non tolerarit, ut perpetuam requiem inveniret: & respondens Proconsul Venerem & Dianam eum rapere dignatas esse, ne propter vanam Christi Religionem improperia sustineret; addidit: Sacrifica & tu Diis, ne turpiter te illusam vivam incendam. At irridens Dionysia ait: Deus meus major est quàm tu, ideòque minas tuas non timeo; potens enim est dare mihi in omnibus tolerantiam. Tunc Proconsul tradidit eam duobus Juvenibus corrumpendam; Andream verò & Paulum jussit in custodiam recludi. Juvenes ergo acceptam castissimam Dei puellam duxerunt ad suum hospitium. Cùmque usque ad mediam noctem insisterent, ut ei vim turpitudinis inferrent, post mediam noctem quidam splendidus Juvenis eis apparens totam domum luce perfudit. Quo conterriti duo illi Juvenes ad pedes puellæ provoluti ceciderunt. At puella erexit eos dicens, nolite timere: hic enim est Custos meus & tutor. Interim illi rogabant eam, ne quid mali eis contingeret.

Mane autem facto excitantibus Dianæ Sacerdotibus omnis Turba conclamare cœpit, ut Andreas & Paulus sibi traderentur. Qui jussu Proconsulis adducti cùm coram omnibus constanter negassent se Dianæ sacrificaturos, flagellis cæsos tradidit Populo lapidandos. Cùmque extra Civitatem ligatis pedibus traherentur, Dionysia clamans & plorans è custodia elapsa cucurrit ad locum ubi erant, & jactans se super ipsos dixit: Ut vobiscum possim vivere in Cœlis, volo vobiscum hic mori in terris. Pro-

consul certior factus de eo quod acciderat duobus Juvenibus, & quod è custodia fugiens jactasset se super corpora Andreæ & Pauli, ut cum ipsis lapidibus occideretur, jussit ut separaretur & gladio plecteretur; quod factum est. Igitur SS. Martyres, Petrus diversis pœnis, Andreas & Paulus lapidibus, Dionysia gladio coronati sunt apud Lampsacum, Decio imperante, Optimo Proconsule Idibus Maii anno Christi 250. Quis tantam animi fortitudinem maximè in puella non admiretur?

XIV. Idem annus celebris fuit Martyrio S. Maximi. Decio enim nomen Christianum delere conante, Maximus in Asia (& Ephesi ut quidam volunt) coram Optimo Proconsule se Christianum palàm manifestavit. Erat is conditione plebejus negotium suum exercens. A Proconsule sacrificare Dianæ jussus & ita pœnas ab Imperatore latas evadere, cùm respondisset, hoc se optare, nimirùm pro Christo pati, & propterea se manifestasse, ut tandem carens miserâ hâc temporaneâ vitâ æternam reciperet; Proconsul jussit eum fustibus cædi, ipsum interea monens ut resipisceret ac Dianæ sacrificaret; sed videns se nihil proficere, sententiam tulit, ut lapidibus obrueretur; sicque athleta Christi ereptus à Ministris Diaboli, triumphi palmam Cœlo intulit. Celebrant autem hujus memoriam Latini quidem 30. Aprilis, Græci verò 14. Maii; qui pluribus Martyris constantiam circumstantiis ornant.

§. VIII.

SS. Carpus &c. Pionius & Achatius.

I. Ultra præfatos, qui pro Christo invictè triumpharunt, plures alii superessent. Ex his SS. Carpus Episcopus Thyatiræ (in Lidia) Papylus Diaconus, Agathonica soror ejus, & Agathodorus eorum famulus aliique multi. Scio, horum agonem ad tempora Antonini Veri & Aurelii Commodi, non verò Decii ab aliquibus referri, & maximè à Martyrol. Rom. 13. Aprilis, quibus consentire videtur Eusebius Lib. 4. hist. cap. 15.. Alii tamen ut Tillemontius, Ruinart, Græci, & Valesius in dictum Eusebii Caput probabiliùs referendos esse ad tempora Decii existimant. Quo autem tempore passi sint, præsenti meo argumento non officit, cui satis est istos reverà aliquando pro Veritate Religionis Christianæ fuisse passos.

Hi igitur Sancti Martyres propter Fidem capti & ad Valerium seu Valerianum Proconsulem Optimi successorem an. 251, dela-

delati ac Christum generosè confessi catenis onerati per totam Thyatiræ Urbem ducti sunt; qui iterùm postea interrogati, antequam responderent, elatis ad Cœlum oculis, signo Crucis corpora munientes Christum denuò confessi sunt. Tunc Valerius rudibus equis per ludibrium impositos Sardiam vel Sarden (tunc Lydiæ Urbem) quò erat ipse iturus adduci jussit, ubi tertiò Christum confessi, carceri addicti sunt: interim tamen Agathodorus famulus nervis bubulis adeò crudeliter distractus fuit, ut vitam temporalem in æternam felix permutaret. Hoc tamen nihil territi alii jussi sunt pedestres catenis gravati Pergamum transire: quò cùm pervenissent, Episcopus Carpus virgis & spinis contextis cæsus fuit, faces lateribus ejus accensæ fuere, plagis etiam sale aspersis. Papylus etiam iisdem cruciatibus affectus fuit, sed uterque hilari vultu tormentis superatis in carcerem trahitur. Post paucos autem dies super ferrea acumina nudum utrumque extendi jubet atque costas distrahi, tandemque in ignem injici, in quo è temporali vita ad æternam transierunt. Videns Agathonica Papyli soror tantam fratris in tormentis pro Christo constantiam sanctâ æmulatione accensâ, depositis vestibus, spontè in ignem prosiliens cum ipso consumta ad gloriam evolavit æternam.

II. Hisce prænarratis ferè in omnibus concordant Græci in Menol. Basilii 13. Octobris dum ajunt: *Sancti Martyres Carpus & Papylus Decio Imperatore floruerunt. Et Sanctus quidèm Carpus Episcopus Thyatirorum fuit, Papylus autem Diaconus. Comprehensi autem ab Asiæ Præfecto interrogatique, Christi Domini nomen in conspectu omnium confessi sunt: jussique Idolis immolare, imperata facere recusarunt. Quare alligatos ad equos usque ad Sardes Urbem præ se egit & raptavit Præfectus, ibique in equuleum actos excarnificari mandavit. Agathodorus autem Sanctorum servus illos prosecutus tandiù torquetur donec expiravit. Carpus verò cùm in equuleum subrideret, rogatus à Præfecto, cujus causá id faceret, respondit, se exhilaratum esse, quòd gloriam Dei vidisset. Igitur de equuleo depositi in ignem conjiciuntur. Agathonica autem Papyli soror, quæ tum aderat, in rogum ardentem suá sponte gaudens insiliit, & ambo animas Domino tradidere.*

III. Ecclesia Smyrnensis in Jonio, quæ secundo seculo in S. Polycarpo Episcopum verè Apostolicum & Martytem Christo dedit, tertio seculo in S. Pionio ejus Presbytero dignum Polycarpi virtutum protulit hæredem, ac ruinæ, quam in Eudemone suo Episcopo ac pluribus suis passa fuerat, reparatorem. Ejus virtutes zelum constantiam in Martyrio velut cumpendio exhi-

exhibet Eusebius L.4. hist. cap.15. his verbis: *Celeberrimus quoque inter reliquos ejus temporis Martyres fuit Pionius, cujus singulas confessiones ac libertatem in dicendo; utque coram Populis ac Præsidibus pro Fidei nostræ defensione peroraverit; conciones item de institutione Fidei, præterea cohortationes atque invitationes ad eos, qui Persecutionis tempore lapsi fuerant: allocutiones etiam & consolationes, quas in carcere positus adeuntibus ipsum fratribus adhibuit: quæ super his tormenta quantosque dolores sustinuerit, clavorum insuper confixione, & mirabilem in medio rogo constantiam, mortem denique ipsam, quæ cuncta illa miracula subsecuta est, si qui volent cognoscere, eos ad Epistolam de illius Martyrio uberrimè conscriptam amandamus, quam nos in Opere de priscis Martyribus, quorum passiones collegimus ordine suo inseruimus.* Hoc tamen Opus de priscis Martyribus, quod à se elaboratum Eusebius indicat, intercidit.

IV. Controversiæ tamen locum hìc aperuit Eusebius de tempore, quo S. Pionius Martyrium subiit. Cùm enim citato loco postquam S. Polycarpi enarravit Martyrium, statim subjiciat S. Pionii certamen dicens, *Per idem tempus, eisdem temporibus*: & Polycarpus Marci Aurelii temporibus passus sit, ad hæc eadem tempora, non autem Decii, passionem S. Pionii visus est retulisse. Et ita sentiunt Petavius, Scaliger & Pearsonius, quibus adhæret Martyrol. Rom. 1. Februarii. Baronius tamen ad ann. 254. num.2., Usserius Armachanus, Valesius in Notis, Bollandus, Tilmontius, Fleury aliique Recentiores unanimes conveniunt, Pionium sub Decio fuisse passum; quibus consentiunt Græci in Menol.Basil. die 11. Martii: atque hoc tenendum esse arbitror, quia ita dicunt Acta ejus Martyrii, ut videre est apud Baronium citatum, & Ruinart Act. Mart. in Pionio. Ideòque ait Valesius, Eusebium excusari minimè posse: *Quippè ex Actis Pionii & ex Actis Carpi & Papyli constat, illos regnante Decio subiisse Martyrium. Causam erroris Eusebio præbuit, quòd Acta illa Pionii & Carpi simul cum Actis passionis Sancti Polycarpi in uno Codice compacta legebantur. Ex quo suspicatus est Eusebius, illos uno eodemque tempore passos fuisse.* Mitior tamen Baronius Eusebium interpretari conatur, nempè quòd nomine ejusdem temporis, non intellexerit annum, sed mensem vel diem, quasi Pionius & Carpus eodem mense aut die, quo Polycarpus passi fuerint, non tamen eodem anno. Statuto igitur, Pionii mortem ad Persecutionem Decii referendam esse, Actorum ejusdem epilogum texemus. Qui enim ea per extensum excurrere optaverit, adire poterit Baronium ad ann.254., Ruinart, Tilmontium, Fleury, aliosque.

V. Post

V. Post miserandum Eudemonis Smyrnensis Episcopi lapsum, quem plurium illius Urbis Fidelium ruina subsecuta est, Pionius illius Ecclesiæ Presbyter unà cum Sabina & Asclepiade in pervigilio Sabbati, qui solemnis erat anniversario S. Polycarpi, jejunans, in somnis monitus, se die sequenti à Gentilibus capiendum fore, in Fidei testimonium sua & Sabinæ & Asclepiadis colla iuvicem connexis catenis circumdedit, ut se voluntariè capiendos offerre Persecutoribus appareret. Atque ita contigit, factâ enim Oratione, & Sabbato adveniente, cùm Sanctum Panem degustassent & Aquam, adstitit Polæmon Idolorum custos cum Turba imponens eis, ut jussa Principis implerent. At respondentibus illis, se soli Deo Omnipotenti obtemperare, jussit eos ad forum duci. Cùmque ducerentur, vincula cervicibus eorum connexa Vulgus aspexit. Unde Turba Populi, ut assolet, ad rei novitatem facta est, tum Virorum tum Feminarum, etiam ex Judæis, cùm esset Sabbatum. Tum Pionius occasionem nactus, alacriter pro Christo ejusque Religione ad mortem usque constantiam publico sermone manifestavit. Multis subinde tentati tum promissis tum minis, cùm hæc omnia irriderent, comitante multitudiue in carcerem detrusi sunt.

VI. Porrò in carcere variis modis tentatis, sed incassùm; saltem inquit Polæmon Pionio, si sacrificare non vis, Templum ingredere: cui ille neque hoc se facturum respondit. Dum hæc aliaque multa, quæ Acta narrant, ad flectendos Sanctorum animos in carcere gererentur, post paucos dies Smyrnam Proconsul regressus est, ac oblatum sibi Pionium repetitis interrogationibus ac suasionibus urgere cœpit ut sacrificaret, sed cùm nihil obtineret, jussit eum appendi, & quod verbis non poterat voluit extorqueri tormentis. Sed cùm nec tormentis vincere ejus constantiam posset, talem in eum sententiam protulit: *Pionium sacrilegæ virum mentis, qui se Christianum esse confessus est, ultricibus flammis jubemus incendi, ut & hominibus metum faciat, & Diis tribuat ultionem.*

VII. Ibat igitur Vir Sanctus ad supplicii locum: nec, ut ituris ad mortem, lababant vestigia, titubabant genua, membra torpebant, sed alacer ac hilaris ibat, ac si iret ad triumphum. Cùmque ad stadium pervenisset, spontè corpus suum ipse nudavit ac sua integra & illibata membra respiciens gratias egit Deo, qui suâ pietate ipsum ita servasset: ac deinde super lignum se ipsum extendit, ut à Milite clavis in eo configeretur. Populus autem videns eum confixum clamabat: Pœniteat te, Pioni, & tolluntur clavi si facturum te spondeas quod juberis. At ille, sen-

sentio, inquit, clavos & me fixum intelligo. Et paulò post: ad eum propero, qui à morte me excitavit. Post hæc Pionium, & Metrodorum quemdam (ex Secta Marcionitarum) clavis itidem affixum erexerunt; evenitque ut Pionius ad dexteram, Metrodorus staret ad lævam, ambo tamen ad Orientem conversi. Nec miretur aliquis quòd Metrodorus, estò Marcionita & hæreticus, velut Christianus configi se passus fuerit: hujus enim Sectæ homines Martyrii cupidissimi erant, quòd à Malo Principio carnem esse dicerent, ideòque in eam sæviendum. Sed *Veros Martyres non facit pœna, sed causa*, ut ait S. August. contra Donatistas passim, & præcipuè Epist. 189. aliàs 167.

Interim cùm allatis lignis ac subditis nutrimentis vires ignis acciperet, & per ardentem pyram populatrix flamma crepitaret, clausis Pionius oculis, tacitâ præmissâ oratione & vultu læto ignem aspiciens, dicto *Amen*, puram animam Deo reddidit. Cùm autem qui aderant sive pietate sive curiositate moti subitò accurrissent, extractum è flammis corpus integrum invenerunt, erectas aures, intactos crines, barbam florentem atque omni membro ita compositum, facie hilari & serenâ, ut juvenis videretur. Acta sunt hæc Julio Asiæ Proconsule, Proclo & Quintiliano Magistratum gerentibus Trajano Decio Augusto ante 4. Idus Martii, die Sabbati horà decimâ anno Christi 250.

VIII. Quid Sabinæ & Asclepiadi Pionii in carcere sociis evenerit, Acta præfata tacent. Martyrol. Rom. die 1. Februarii dicit, quòd cum eo alii quindecim passi sint, sed qui fuerint non exprimit. Græci in Menol. Basil. die 11. Martii solius Pionii certamen describunt. Ea quæ hìc vocatur *Sabina*, proprio nomine erat *Theodota*, quæ cùm antea cuidam paganæ Dominæ serviret, & quæ, ut Fidem Christi ejuraret, multis modis sollicitaverat, nec obtinere potuisset, eam in montem desertum ejecit, ut ibi fame periret: sed ibi pietate Fidelium relevata, tandem Pionio adhæsit; verùm ne detegeretur nomen Sabinæ induit. Hanc ergo & Asclepiadem una cum Pionio comprehensos, in carcerem cum eo detrusos, ac pluries se Christianos esse confessos ac Diis sacrificare constanter negantes, credibile est eandem cum illo sortem Martyrio subiisse, & fortè alios. Sed cùm inter istos quidam, ut Acta referunt, essent Christiani quidèm non tamen Catholici; sed aliqui hæretici vel Marcionitæ vel Montanistæ: ideò hi etsi morte affecti, inter Martyres tamen, ut dixi, computandi non sunt.

IX. Gloriosa S. Achatii confessio, licèt sine sanguine, prætereunda non est. Hujus Acta exhibent Ruinart & Tilmontius.

Is

Is igitur Episcopus fuisse creditur cujusdam Urbis in Antiochena Regione sitæ diversus ab Acacio, quem Græci sub Episcopi Melitinæ in Minori Armenia titulo celebrant. „ Martianus ergo Consularis à Decio Imperatore Præfectus Christianæ Legis inimicus Achatium ad se jussit adduci, quem scutum quoddam ac refugium AntiochenæRegionis audierat,& in eo introducto ad se, dixit: Debes amare Principes nostros, homo Romanis Legibus vivens. Respondit Achatius: *Et cui magis cordi est, vel à quo sic diligitur Imperator, quemadmodùm ab hominibus Christianis? Assidua enim nobis est pro eo ac jugis Oratio, ut prolixum ævum in hac luce conficiat, ac justâ Populos potestate moderetur, & pacatum maximè Imperii sui tempus accipiat. Deinde pro salute Militum, & pro statu Mundi & orbis.* Martianus ait: Hæc & ipse collaudo, sed ut obsequium tuum pleniùs Imperator agnoscat, Sacrificium illi solve nobiscum. Achatius dixit: *Ego Dominum meum, qui est verus & magnus, pro salute Regis obtestor: Sacrificium verò nec ille exigere, nec nos debemus exsolvere. Quis enim homini sacra persolvat?* Martianus ait, cui Deo precem fundis? ut etiam nos sacra reddamus. Achatius dixit: *Ego Deum meum opto te scire quòd prosit, & Deum qui est verus agnoscere.* Martianus ait: Nomen ejus mihi enuntia. Achatius dixit: *Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Jacob.* Martianus ait, quis est iste? respondit Achatius: *Altissimus Adonai sedens super Cherubin & Seraphin.* Martianus ait, quid est Seraphin? Cui Achatius: *Altissimi Dei Minister, & excelsæ Sedis Antistes.*

„ Tunc Martianus: quæ te, inquit, Philosophiæ disputatio vana decepit? Sperne invisiblia; potiùs Deos veros quos aspicis recognosce. Respondit Achatius: *Qui sunt Dii quibus sacrificare me præcipis?* Martianus ait: Apollini Servatori nostro, famis & pestilentiæ depulsori, per quem omnis Mundus servatur & regitur. Respondit Achatius: *Illi verè, ut putatis, interemto; qui infelix cùm puellæ amore flagraret, currebat attonitus, ignarus perditurum se optatissimam prædam? Apertum est itaque, quia nec Divinus fuit qui ista nescivit; nec Deus, quem puella decepit. Nec hic solùm dolores excepit, sed crudeliori illum damno mox fortuna mulctavit: nam ut erat turpis in pueros, formâ Hyacinthi cujusdam captus, ut benè nostis, incaluit: & miser atque ignarus futuri, disco illum quem optabat videre occidit. Ipsi, qui cum Neptuno aliquandò servivit: ipsi, qui aliena pecora servavit, huic sacrificare me præcipis? An Æsculapio fulminato, an adulteræ Veneri & portentis cæteris*

„ *Sacrificium impendam? Vel ob hujus vitæ exitum adorabo eos,*
„ *quos non dignor imitari? quos contemno, quos accuso, quos hor-*
„ *reo, quorum facta nunc si quis admittat, num severitatem Legis*
„ *vestræ poterit effugere? Et modò in aliis colitis, quæ in aliis vin-*
„ *dicatis?* His toti Idololatriæ jugulum petiit Achatius. Quæ
„ tamen declinare (non impugnare valens) conatus Martianus:
„ Christianorum, inquit, consuetudo est, multa in Deos no-
„ stros maledicta confingere. Propterea te venire mecum ad
„ Jovem Junonemque præcipio; ut simul celebrantes dulce
„ convivium, Numinibus quæ sunt digna reddamus. Respon-
„ dit Achatius: *Quomodò hic sacrificabo illi, cujus sepulcrum esse*
„ *constat in Creta? numquid resurrexit à Mortuis?* „ Similibus
argumentis L. de Vanitate Idolorum, Idola non esse Deos Cy-
prianus demonstrat.

X. Ad hæc tamen nihil motus Martianus ait: Aut sacrifi-
ca, aut morere. Cui Achatius: „ *Hæc*, inquit, *& Dalmatæ fa-*
„ *ciunt latrocinandi arte callentes: ubi angustias viarum & secreta*
„ *itineris loca obsederunt ad nocendum, venantur singulos tran-*
„ *seuntes; & ubi quisque viator illùc pedem tulerit, hac pactione*
„ *constringitur, ut aut pecuniam relinquat, aut vitam. Nemo*
„ *itaque ibi quid sit rationis interrogat, sed quid possit ille qui co-*
„ *git. Similis est tua sententia, qui aut injusta impleri præcipis,*
„ *aut minaris exitium. Nihil formido, nihil timeo. Jus publi-*
„ *cum punit scortatorem, adulterum, furem, corruptorem sexus*
„ *virilis, maleficum, & homicidam. Horum si reus sum, ante vo-*
„ *cem tuam jam me ipse condemno: sin verò eò, quòd Deum qui est*
„ *verus colo, ducor ad pœnam, non legis sed Judicis voluntate*
„ *condemnor*. Ita infracto animo Achatius. Respondente au-
„ tem Martiano: ego non sum missus judicare, sed cogere;
„ undè si contemseris, certus esto de pœna: subjunxit: *Et mi-*
„ *hi præceptum est, ne Deum meum negem. Si tu servis homini*
„ *fragili atque carnali, citò ab hoc seculo recessuro, quem mox à*
„ *vermibus scis edendum, quantò magis ego potentissimo Deo obe-*
„ *dire debeo, cujus virtus constat in secula? Et cujus est illud di-*
„ *ctum* „ Qui me negaverit coram hominibus, & negabo eum
„ coram Patre meo, qui est in cœlis? „

„ XI. Audiens ista Martianus dixit: quod discere semper
„ optavi repentè confessus es errorem vestræ persuasionis &
„ legis. Habet ergo, ut dicis, Filium Deus. *Habet* respondit
„ Achatius. Quis est Filius Dei, ait Martianus. Cui Acha-
„ tius: *Verbum veritatis & gratiæ*. Hoc habet nomen? inquit
„ Martianus. At Achatius: *Non de nomine interrogaveras*,

sed

„ *sed ipsa Filii potestate.* Vis ergo scire? *Nomen est Jesus Christus.* Tunc Martianus: ex qua uxore conceptus est? At reponente Achatio, Deum non hominum more ex contactu puellæ mortalis filium genuisse, sed qui primo homini ex luto corpore formato animam spiritumque efflavit, sic Filium Verbum veritatis ex corde suo produxisse, ideò scriptum est: *Eructavit cor meum verbum bonum.* Quis autem sit, ipse solus agnoscit, *nos verò non cognoscimus invisibilem formam sed virtutem potentiamque veneramur.* Hæc aliaque sublimia protulit Achatius. Sed Martianus sermonem divertens: Aspice, inquit, Cataphryges homines Religionis antiquæ ad mea sacra conversos reliquisse quæ fuerant, & nobis cum diis vota persolvere: & tu similiter parare festina. Omnes Catholicæ legis collige Christianos, & cum his religionem nostri Imperatoris imitare. Veniat tecum omnis Populus, qui ex tuo pendet arbitrio. Respondit Achatius: *Illi omnes non meo nutu, sed Dei præcepto reguntur. Audiant me itaque si justa persuadeam, sin verò perversa & nocitura, contemnant.*

„ Martianus tamen insistens, trade mihi, inquit, nomina. Cui Achatius ait: *Nomina eorum cælesti Libro & Divinis paginis sunt annotata. Quomodo ergo oculi mortales aspicient, quod immortalis virtus Dei & invisibilis annotavit?* Sed Martianus non acquievit, & adhuc petiit, ubi sunt Magi socii artis tuæ? Asserente autem Achatio Christianos sectam magicæ artis horrere, reposuit Martianus: Ideò Magi estis, quia novum nescio quod genus Religionis inducitis. Tunc Achatius: *Illos*, inquit, *destruimus quos vos priùs facitis, & à vobis factos ipsi timetis. Deficient enim vobis Dii, si artifex saxo, aut saxum non abundaret Artifici. Timemus enim nos illum, non quem fabricamus, sed à quo fabricati sumus, qui nos creavit ut Dominus, amavit ut pater, & æternæ morti quasi bonus patronus eripuit.* Sed quia Martianus adhuc urgebat dicens: da nomina ne pœnæ ipse succumbas: respondit Achatius: *Ante tribunal ipse assisto, & nomen inquiris? An speras, quòd multos valeas vincere, quem ego solus extinguo? Si cordi tuo nomina sunt, Achatius dicor: & si proprium nomen meum exploras vocor Agathos-Angelus & Piso Trojanorum Episcopus & Menander presbyter; fac jam quod placet.*

XII. Igitur is exitus Disputationis fuit, quam in argumentum sapientiæ & fortitudinis Achatii exscribere volui. De facto enim quid ultra opponeret Martianus nesciens: „ Recipieris, „ inquit, in carcerem, ut Imperator gesta cognoscat: & ejus

 nu-

„ nutu, quid de te agi debeat, decernatur. Misit ergo Acta: „ & lectis omnibus gestis Decius Imperator, altercationem „ jam redditæ responsionis admirans, versus in risum est, & „ Martiano Præfecturam Pamphyliæ mox dedit; Achatium „ verò vehementer admirans, æstimationi propriæ & Legi suæ „ reddidit. Hæc facta sunt à Martiano Consulari, Imperatore „ Decio, 4. Kal. Aprilis anno Christi ut puto 251., quo Decius „ Christiani sanguinis jam satur ac mitior factus plures Christianorum è carceribus jussit dimitti.

XIII. De hoc Achatio (sub nomine *Acacii*) existimo loqui Græcos in Menol. Bas. 29. Martii, ubi ajunt: *Sanctus Pater noster Acacius Confessor Christi vixit iniquo Decio imperante. Cum autem Christum prædicaret, ab idololatris est comprehensus, vinctusque ad Marcianum regionis præfectum adductus fuit, cui adstans nomen Domini confessus est: disseruitque de Divinitate, deque Christi dispensatione, & de Cherubim, atque Seraphim; Græcorum autem risit Deos, eorumque errorem arguit. Quare gravissimè tortus in carcerem est conjectus. Commentaria interim de eo ad Decium Imperatorem Marcianus transmisit, qui mandavit, ut sanctus absque injuria & cruciatu dimitteretur. Hunc in modum dimissus, Christi stigmata in carne sua circumferens, pluresque illuminans, & ad Christi gregem deducens, miraculis & doctrinis oppido clarus in pace requievit.* Quibus Græci in his solùm ab Actis prelaudatis diffident, quòd eum Episcopum non vocant, & quòd dicunt, eum fuisse gravissimè tortum.

XIV. Hic observandum censeo, *Confessoris* nomen diverso modo fuisse olim usurpatum, ac modò. Nunc enim illi, qui sancta ac laudabili vita vixerunt, & demum sancto ac laudato fine eam clauserunt, etiamsi fidem coram tyranno confessi non sint, Confessores appellantur. Olim verò Confessores vocabantur illi, qui Christi Fidem interpellati coram Christi hoste confessi essent, licèt pro ea nec tormenta nec mortem subiissent. Qui verò pro Christi confessione aliqua tormenta passi fuerant, Martyres dicebantur. Sed si etiam torti in Fide perseverassent, mortem in tormentis, aut ex tormentis animam Deo reddidissent, Martyres consummati aut coronati nuncupabantur: si verò post tormenta superstites vitam in pace clausissent, Martyres purè appellabantur. De hoc videndus S. Cyprianus Epist. 9., Pamelius in Notis ad illam, Baronius in Martyrol. ad diem 2. Januarii, & alii.

§. IX.

§. IX.

Martyres in Græcia .

I. PErgæ Pamphyliæ Deciani furoris victimæ fuerunt Papias , Diodorus , Conon , Claudianus , & post eos Nestor ejusdem civitatis Episcopus, de quibus Martyr. Rom. 26. Februarii ita loquitur : *Pergæ in Pamphylia Natalis Beati Nestoris Episcopi , qui in Persecutione Decii cùm diu noctuque orationi insisteret , postulans , ut grex Christi custodiretur , comprehensus , ac Nomen Domini mirâ libertate & alacritate confessus , jussu præsidis Pollionis equuleo crudelissimè tortus est , ac demum cùm se Christo semper adhæsurum constanter profiteretur , crucis suspendio victor migravit in cælum . Ibidem passio Sanctorum Papiæ , Diodori , Cononis , & Claudiani , qui Sanctum Nestorem Martyrio præcesserunt .* De S. Nestore agunt & Græci 28. Febr. , eum tamen Episcopum tacent , ac Præfectum non *Pollionem* , sed *Publium* appellant .

II. S. Nestoris gesta ex Bollando ita refert Tilmontius : Irruente Decii Persecutione S. Nestor exemplo S. Gregorii Thaumaturgi Populum suum ad eam declinandam hortatur : omnes tamen exemplum ejus imitati , edictis Imperatoris parere recusarunt . Quare Infideles videntes , se non posse gregem illum dispergere , nisi percuterent , ac de medio tollerent Pastorem , Irenarchus (idest pacis ac disciplinæ publicæ custos) & Consiliarii miserunt , qui eum captum traherent . Tunc S. Præsul cum suis domi preces compleverat dicendo , Amen ; cùm pulsato ostio , & rogati quid vellent , eum demissâ fronte salutantes , dixerunt , se nomine publici Consilii eum accersere . Hoc audito signans se Nomine Jesu Christi cum illis abivit . Cùmque ad plateam pervenisset , Consiliarios vidit ex suis sedibus omnes assurgentes , eumque rogantes , ut sedi sibi paratæ unâ & ipse assideret . At ille se excusans petiit , quam ob causam illum advocassent . Tunc Irenarchus ei dixit , sibi notum esse Imperatoris mandatum ; ideò eum rogare , ut spontè obediret , ne cogeretur adversùs eum agere secundùm rigorem justitiæ . Cui infracto animo Beatus Nestor respondit : ego obedire teneor mandatis Imperatoris Cœli , nec possum adorare Dæmones , quales vestros Deos esse , & rationibus & factis ostendam . Cùmque Irenarchus comminaretur ei tormenta , Nestor respondit se non timere tormenta , nisi ea , quæ Deus suus comminabatur .

III. Tra-

III. Traditus igitur duobus militibus fuit, ut Pergen ubi tunc Pollio Proconsul erat duceretur, ad quem Consiliarii Magyddæ litteras dedere, quibus accusabatur, quòd Deos adorare nollet, & alios ab eis adorandis retraheret. Harum litterarum exemplum affert Baronius ad ann.254. num.23. Pollio igitur ab Irenarcho certior factus Nestorem accersivit, & prius blandè monuit, ut Diis sacrificando tormenta, quæ illi parata erant, evaderet. At Nestor elatis ad cœlum oculis dixit: quamvis adversùs me omnia mundi supplicia, bestias, ignem, gladios, aliaque paraveris, numquam dum erit in me spiritus vitæ Jesu Christo meo renuntiabo. Tunc furore percitus Judex eum equuleo imponi jussit, ferreis ungulis lacerari, fustibus etiam cædi: sed videns eum in his omnibus hilarem ac Deum benedicentem, stupens ait: Adeòne fidis in homine supplicio Crucis affecto? At Nestor: hæc, inquit, mea gloria est pro Christo pati & pro Christo mori. Tunc Judex ait. Quandoquidem cum tuo Christo magis quàm nobiscum vis esse, Crucem etiam cum ipso ascende. Executioni protinùs demandatâ sententiâ Sanctus Præsul Cruci fuit appensus, ubi post adhortatos Fideles ad constantiam, tandem spiritum emisit. Contigisse hoc fertur 26. vel 28. Februarii anno 250.

IV. Alterius Nestoris unà cum Tribimæo Pergæ similiter sub Decio passi memoriam colunt Græci in Menol. Basil. die 1. Martii his verbis: *Imperante impio Decio, Sancti Martyres Nestor & Tribimæus ex Vrbe Perge Regionis Cibærræotarum, eo quòd Christiani essent, & Christum liberè audacterque prædicarent, apud Præsidem Regionis delati fuerunt. Hic verò confestim missâ Militum multitudine vinctos eos adduci jussit, & coram Tribunali suo sisti, omniaque tormentorum instrumenta in eorum conspectu exhiberi. Sed cùm illos conspiceret & suas minas contemnere & Christum magnâ voce confiteri, præcepit, eos denudari, exsiccatis boum nervis crudeliter cædi, ac deinde suspensos lacerari, quousque eorum viscera apparerent. Cæterùm videns, illos suum erga Dominum nostrum Jesum Christum animum habere immutabilem, è ligno depositos lictoribus tradidit, à quibus veneranda illorum capita gladiis abscissa fuerunt, atque ita Martyrio cum gratiarum actione consumtos Dominus suscepit.*

V. Sanctus Conon à Græcis in Menol. Basilii die 6. Martii celebratur his verbis: *Hic Decio imperante ex Nazareth Galilææ oriundus erat. In Regionem verò Pamphyliæ profectus exiguum terræ locum excolens & in hortum convertens, explantatis ibi oleribus victum sibi ac hospitibus pauperibus parabat. Erat autem moribus sim-*

simplex, adeò ut cùm adessent, qui ipsum comprehenderent, & ad Præsidem adducerent, ut tormentis subjiceretur, quòd Christianus esset, eumque cum ludibrio salutarent, ipse salutationem rependerit: cùmque dicerent, quòd Præses vocasset eum, responderit: quid enim opus est illi operâ meâ, præsertim cùm Christianus sim? Vinctus autem & ad Præsidem adductus, cùm compelleretur, ut Idolis sacrificaret, altùm ingemuit & Præsidi ait: Utinam, ò Præses, & tu Idola abnegares & ad Christum accederes. Ergo spondylis (pedum nervis) *perforatis clavisque ferreis confixus, ante currum compulsus currere, vitam consummavit*. Similia habet Martyrol. Rom. eâdem die. An iste S. Conon sit idem, de quo supra ex Martyrol. Rom. 26. Februarii cum aliis mentionem feci, incertum est; diversum putarim.

VI. S. Isidori nomen, qui sub Decio in Insula Chio Arcipelagi celeberrimâ passus fuit, illustre est in Ecclesia: Martyrologium tamen Romanum agit de S. Isidoro Martyre sub Decio die 5. Februarii, quem dicit Alexandriæ à Numeriano Duce Exercitus capite plexum. Et iterum 15. Maii de S. Isidoro commemorat, quem dicit passum fuisse in Insula Chio, in cujus Basilica extat puteus, in quem fertur fuisse injectus, de cujus aqua infirmi sæpiùs potati sanantur; at sub quo fuerit passus silet. Ex hoc mihi oritur dubium, an de uno & eodem, an de duplici Isidoro loquatur.

Dubium tamen videntur tollere Græci, qui de uno tantùm Isidoro loquentes hunc dicunt Alexandriæ quidèm natum, sed in Insula Chio fuisse sub Decio capite plexum; at de puteo nihil dicunt. Ita ergo in Menol. Basilii 14. Maii dicunt: *Isidorus Christi Martyr Decio imperante fuit ex Urbe Alexandria. Cùm verò Optionis* (idest Decurionis Militum adjutoris) *munere in Militia fungeretur, in Insulam Chium profectus cum classe navium, quibus Numerius præerat, apud hunc à Julio Centurione delatus est, quòd Christianus esset. Comprehensus igitur & coram ipso adductus atque interrogatus, an Christum profiteretur: Profiteor, inquit, Christum esse Cæli, terræ, marisque Factorem, & credo in ipsum tanquam in verum Deum ac Dei filium, pro hominum salute ex Sancta Virgine Maria natum, hominemque factum sine semine & corruptione. Quibus doctrinis ac sermonibus illum obstupefaciens, diversis primùm tormentis excruciatus fuit. Cùm verò immutabilem animum erga Christum gereret & supplicia generosè perferret, capite demum plexus Martyrii coronam accepit.*

VII. Creta quoque Maris Mediterranei Insula eisdem Decii temporibus suos Christo obtulit Martyres. Hos decem fuisse me-

memorat Martyrol. Rom. 23. Decembris, nimirùm Theodulum, Saturninum, Euporum, Gelasium, Eunicianum, Zeticum, Cleomenem, Agathopum, Basilidem, & Evaristum, qui omnes capite cæsi sunt. Horum agonem & singulorum patriam recensent Græci in Menol. Basilii eâdem die his verbis: *Isti, Decio imperante, ex Insula Cretæ fuere, non tamen ex eadem Civitate, sed ex diversis ejusdem Regionis locis. Et ex Metropoli quidèm Gortyna quinque ortum duxere, Theodolus, Saturninus, Euporus, Gelasius, Eunicianus; ex Gnosso verò Zoticus; ex Epinio Leomenes Pontius; ex Panormo Agathopus; ex Cydonia Basilides; & ex Heraclea Evarestus: qui comprehensi ab Infidelibus Præfecto Insulæ traduntur: at ille Populo imperavit, ut vinctos ad Aras Idolorum circumducerent, & nisi immolarent, gravissimè eos, ut cuique libuisset, torquerent. Triginta itaque dierum spatio circumducuntur, illuduntur, verberantur, lapidantur, per stercora raptantur: demum Præfecto pro Tribunali sedente coram eo decollantur, ad extremum spiritum gratias Deo agentes.* Quis tantam in carne fragili constantiam, & tantis tempore ac pœnis probatam, ut opus supra humanum & planè Divinum non demiretur?

„ Celeberrimi habiti sunt hi decem Cretenses Martyres
„ (notat Baronius ad diem 9. Julii) vel ex ea causa, quòd illo-
„ rum meritis ea Insula custodiens semper Catholicam Fidem,
„ illæsa permanserit ab omni hæresum labe, prout Martyrius
„ Episcopus Gortynæ in Creta unà cum collegis Episcopis scri-
„ bens ad Leonem Magnum Imperatorem recenset his verbis: „
Dicimus Tranquillitati tuæ, quia ab initio totius hæreticæ blasphemiæ inexperta est vestra Creta, decem Martyribus passionis tempore deprecantibus, ut libera à tentationibus hæreticis, semper ab æstu eorum Provincia servaretur. Quam Epist. dicit Baronius extare tom. 2. Conc. edit. 2. Colon. pag. 275. & 276., modò autem edit. Harduini tom. 1. pag. 767.

VIII. Porrò præfatorum Cretensium Martyrum in Fide constantiam fructum fuisse instructionis S. Cyrilli Gortynæ Episcopi, qui sub Decio pariter passus est, probabiliter censet Surius & Baronius ad ann. 154. num. 16.. Ejus Acta, quæ Baronius reputat sincera, ferunt, Cyrillum ab infantia fiduciâ in Deum fuisse repletum, sic ut interdum parentes ipsos deserens ad Servos Dei ubicumque eos inveniebat accederet, quò ab eis Fidem edoceretur, in eaque magis confirmaretur. Cùm ergo ejus pietas ætate crevisset, vix trigesimum quartum annum attingens Episcopus eligitur. Quo in munere boni Pastoris partes exercens gregem sibi commissum aluit & simul auxit, Infidelium multos

ad

ad ipſum trahendo. Quinquaginta annos indefeſsâ vigilantiâ laborans ad octuageſimum quartum ætatis pervenerat omnibus amabilis, & vel ipſis Chriſti hoſtibus admirabilis, cùm Decii Perſecutione irruente à Lucio Præfecto captus Diis ſacrificare jubetur. Lucius cœpit eum adhortari, ut ſuæ ſenectutis miſertus ad obediendum Decii mandatis flecteretur. At Cyrillus, mea, inquit, ſenectus nihil eſt; Deus enim mihi promittit, me ſicut Aquilam renovandum fore: alteri quàm ipſi ſacrificare non poſſum, ut tu jubes; quia qui aliis Diis immolaverit, exterminabitur à terra. Reſpondente autem Lucio: tu qui ſapiens haberis, talem te eſſe oſtende,ſaluti tuæ obedientiâ conſulendo: repoſuit Cyrillus: imò inſipiens eſſem, ſi poſtquam totâ vitâ meâ alios docui, ne Idolis immolando parerent, ipſe hoc faciendo dignus reprobatione evaderem. Mea ergo ſalus eſt, ut eorum, quæ filios meos docui, ipſe me exemplum præbeam.

IX. Videns Judex conſtantiam ſancti Viri, ejuſque reſponſis confuſus, vivum eum comburi imperavit, ſtatimque laudes Deo canens in ignem injectus fuit. Porrò cùm qui aderant Fideles corporis ejus reliquias colligere exoptarent, apparuit in medio ignis ſtans manuſque ad Cœlum tendens illæſus, ut ſicut tres Pueri è fornace Babylonica, ita & ipſe è rogo illæſus exierit. Hoc prodigio obſtupefacti Infideles, rem Judici nuntiaverunt: qui ſanctum Virum ad ſe vocatum, videns eum à flammis prorsùs innoxium exiiſſe, non potuit, quin Deo Chriſtianorum gloriam daret, ideòque Cyrillum ad ſuos liberum dimiſit. Accurrerunt proinde omnes,& felicem ſe quiſque exiſtimabat ſi eum vel tangere vel ad eum accedere ſibi licuiſſet. Hinc multi erroribus relictis Fidem Chriſti amplectebantur. Inter adeò glorioſos eventus ſolus Cyrillus triſtabatur, quòd dignus habitus non eſſet mortem prò Chriſto pati. At Deus hâc gloriâ eum privare noluit: videns enim Lucius ex hoc prodigio tot ad Chriſtum tranſire & idola deſerere, pœnitentiâ ductus, quòd erga ipſum humaniter ſe geſſiſſet, finalem ſententiam protulit, quâ S. Cyrillum decollari juſſit. Sicque die 9. Junii (ut apud Latinos) glorioſo Martyrio vitam coronavit.

X. Ita ad eandem diem Martyrol. Rom. his verbis: *Gortynæ in Creta S. Cyrilli Epiſcopi, qui in perſecutione* Decii *ſub Lucio Præſide flammis injectus, cùm incenſis vinculis evaſiſſet illæſus ac ſtupore tanti miraculi à Judice dimiſſus eſſet, rursùs pro inſtanti & alacri Fidei prædicatione factâ de Chriſto, ab eodem capite plexus eſt*. Græci autem in Menol. Baſilii eâdem die clariùs ſic habent: *Sacrâ Martyr Cyrillus Chriſtianâ Fide Diviniſque auctus virtutibus*,

bus, Cretensis Ecclesiæ Pontifex constitutus fuit. Cùmque gregem benè gubernasset, atque Domini plebem doctrinâ & adhortationibus auxisset, commotâ Persecutione, ab Idololatris comprehensus & ligatus Præsidi sistitur: atque in ignem projectus, indeque illæsus egressus, vinculis quibus vinciebatur concrematis, & unà cum lignis quibus flamma alebatur in cinerem redactis, à Præside dimissus fuit factum mirante; & tunc quidem res ita se habuit. Postmodùm verò Præses cernens complures Christi Fidem amplexari, Imperatoris indignationem veritus, Sanctum comprehensum, etiam invitus capite damnavit: & per hunc modum vitam immortalem perpetuamque Regni cœlestis beatitudinem eidem comparavit.

XI. Corinthus quoque illustrium agonum Decio imperante theatrum fuit. Primus qui à Latinis die 10. Martii celebratur extitit SS. Codrati, Dionysii, Cypriani, Anecti, Pauli & Crescentis, qui Corinthi sub Jasone Præside cæsi gladio fuere. De his fusiùs Græci in Menol. Basilii eâdem die hæc habent: *Imperante Decio cùm Persecutio mota fuisset, Christiani omnes aut capti mactabantur, aut fugientes in montibus ad tempus abscondebantur. Tunc etiam mater Codrati ex Urbe Corinthiorum oriunda, fugâ elapsa venit in montem & in latebra degit: & quia prægnans erat, peperit filium, quem Codratum nominavit, nec diù postea vixit relicto filio adhuc infante mortua. Nutriebatur autem ille à nubibus supra ipsum coeuntibus & aquam adferentibus potumque ei præbentibus. Procedente verò tempore cùm ætatem juvenilem attigisset, cognoverunt eum aliqui, & ad eum accesserunt, ex quibus erant Cyprianus, Dionysius, Anectus, Paulus & Crescens, quos omnes regebat Sanctus Codratus & veritatem docebat. Post aliquod dein tempus ab Idolorum cultoribus traditi sunt Præsidi & vincti Corinthum adducti, ac dein tormentis subjecti, cùm usque ad finem Christum prædicarent, capite plexi sunt.* Ita Græci qui deinde Martyrium S. Dionysii separatim enarrant. Ea tamen quæ de S. Codrato dicunt, quòd scilicet mortuâ matre infans nutritus fuerit nubium aquâ vel rore nutritus, aliquibus absque fundamento dici putatur: & similiter si sub Decio natus asseritur, sub eodem adolescere & pati non potuit, cùm Decius duobus vix annis Imperium tenuerit. Sed hic de circumstantiis non curo: satis enim mihi est, hosce Martyres verè pro Christo fuisse passos.

XII. His adjungunt Græci 31. Januarii in Menol. Basil. Victorinum, Victorem, Nicephorum, Claudianum, Diodorum, Serapionem, & Papiam Corinthi similiter sub Decio passos & singulorum agones ita describunt. *Decio Imperatore fuerunt isti ex Urbe Corintho: comprehensi autem & Tertio Proconsuli traditi gravissi-*

vissimè torti sunt. Victorinus enim eruto oculo dextro, manibusque & pedibus abscissis, in ingenti mortario marmoreo contusus decessit. Victor præcisâ linguâ eâdem ratione in mortario contunditur. Nicephorus tamdiù premitur, donec sanguis è naribus erumperet, deinde per capillos suspensus, tandem in eodem mortario conciditur, quoad animam efflaret. Claudianus mutilatis manibus ac pedibus & suspensus ex hac vita discessit. Diodorus igne consumtus est: Serapion inverso capite suspensus decollatur. Papias denique manibus pedibusque amputatis, saxo alligatus in profundum dejicitur. De eisdem agunt Latini 24. Februarii, sed supponunt, eos fuisse passos in Ægypto sub Numeriano Imperatore & Duce Sabino, ut ait Ado cum aliis. Sed si hoc dicatur, sub Decio, non sub Numeriano passi fuerunt; Sabinus enim, qui alio nomine Tertius fortè vocabatur, Ægypto præsidebat anno 250., quo Decius imperabat. Quòd verò Græci eos passos fuisse dicant Corinthi, Latini verò in Ægypto componi posset dicendo Corinthi quidèm fuisse, sed in Ægyptum ad Martyrium traductos, vel Corinthi fuisse passos, sed eorum corpora fuisse postea in Ægyptum translata.

XIII. Corinthi quoque iisdem temporibus sub Præside Venusto Tertii successore, & proinde sub Decio, S. Leonidem & plures sanctas Mulieres vitam pro Christo dedisse, sentiunt Bollandistæ 10. Maii: Græci 16. Aprilis in Menol. Basil. hæc habent: *Hi Sancti Martyres ex Græciæ Regione fuerunt. Ac Leonides quidèm cùm in Festo Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi coram frequenti Populo in Ecclesia psalleret Festumque ageret, comprehensus fuit ab Idololatris & vinctus Corinthum adductus. Reliqui verò Viri ac Mulieres, qui ex diversis locis erant, Provinciæ Præsidi oblati fuerunt. Qui simul vinculis constricti & Sancto Leonidi adjuncti, in carcerem detrusi sunt. Deinde è carcere educti, iterùm Corinthi Præsidi sistuntur. Cùmque ab eo impellerentur Christum negare, & Idolis sacrificare, nec ad id adduci possent, Leonides quidèm ligno suspensus crudeliter depexus* (laceratus) *est, facibusque in lateribus ustulatus, deinde è ligno depositus, unà cum Sociis Sanctis suis in profundum maris demersus fuit.* Hos eosdem Martyres (omisso tamen Leonide & additis Callisto & Chavisio cum aliis septem) indicare videtur Martyrol. Rom. 16. Aprilis dicens: *Corinthi natalis Sanctorum Martyrum Callisti & Charisii cum aliis septem, qui omnes in mare demersi sunt.*



§. X.

De Septem Dormientibus, Christophoro & Themistocle.

I. HOrum Martyrum, qui communiter *Septem Dormientes* nuncupantur, nomina ex Martyrol. Rom. 27. Augusti sunt Maximianus, Malchus, Martinianus, Dionysius, Joannes, Serapion, & Constantinus, qui Ephesi ponuntur. Aliter tamen eorum nomina referunt Græci in Menol. Basilii 23. Octobris, ubi commemorantes manifestationem eorum & narrantes historiam ajunt: *Hi Sancti Maximilianus, Jamblicus, Martinianus, Dionysius, Joannes, Constantinus, & Antoninus, imperante Decio Ephesi claruere. Ob Christi autem confessionem comprehensi & ad Imperatorem producti, cùm tempus ad deliberandum petiissent, idque impetrassent, in montem quendam profugientes, in speluncam sese abdidere, ibique obdormierunt, obstruso speluncæ aditu. Trecentesimo septuagesimo secundo post anno Theodosio Juniore imperante, cùm Hæretici dogma movissent, negando Resurrectionem; eaque res Imperatorem maximè sollicitum haberet, Deus, ut in omnium animis certam Resurrectionis fidem confirmaret, apertâ speluncâ, voluit eos vivos excitare: ex quibus Jamblicus sumto Decii nummo descendit in Urbem ad coemendos cibos, ut qui hesternâ die dormisset: sed cognitus adductusque ad Episcopum, rem omnem, uti se habuerat, exposuit. Igitur cùm testatam Resurrectionem fecissent, iterùm mortui in speluncam illati sunt.*

II. Hanc historiam refert etiam Photius Bibl. Cod. 253. pag. 1309., aliquâ tamen varietate: nam vult hos septem Juvenes, cùm Decius aliò transmigrasset (post Fidei coram ipso editam confessionem) *securitate inventâ in speluncam in monte juxta Ephesum fugisse, & servitum ipsis in iis, quæ corporalis necessitas postularet, ab uno eorum, qui Jamblicus fuisse perhibetur. Paulò post Imperator, fugâ & loco ubi essent, & vivendi ratione exploratâ, irâ plenus, obstrui speluncæ os jussit, ut fame Martyres enecarentur.* Hoc tamen cohærere non potest, quod & ipse dicit, nimirùm eos in spelunca mansisse 372. annis, & inde exisse, dum Theodosius annos 38. Imperii sui ageret: nam cùm annus 38. Imperii Theodosii incidat in annum Christi 445., fit, ut si hi Martyres sub Decio speluncam ingressi sint, hoc fuerit anno Christi 250. & sic nec dum ducentis in ea annis, antequam apparerent, mansisse.

III. An verò dicantur *Dormientes*, quia toto illo tempore vivi

vivi somno sopiti fuerint: an verò revera mortui Theodosii temporibus fuerint è morte excitati, controvertitur. Eos à temporibus Decii usque ad extrema Theodosii Junioris tempora, ferè nimirùm ducentis annis intra specum somno captos reverà dormisse, senserunt ex Græcis Metaphrastes, qui hujus rei historiam texuit, quam recitat Surius tom.4. 27. Julii, Nicephorus lib.14. cap.45., Cedrenus in Compend. anni 23. Theodosii; ex Latinis Greg. Turon., Sigebertus Chron. ann. 447. Ab opposito autem eos fuisse verè mortuos, & à morte excitatos Theodosii tempore apparuisse, ac *Dormientes* dictos consueta Divinæ Scripturæ phrasi, quæ eos, qui piè religiosèque vitâ functi *Dormientes* consuevit appellare, probabiliùs videtur; & ita sentiunt Græci in Menologio supra relato, & Photius ipse. Et meritò. Nam si ipse cum aliis Græcis vult, hoc miraculum fuisse à Deo factum ad confirmandam fidem Resurrectionis, quæ tunc impugnabatur; hæc veritas certè non probaretur, si non à morte, sed à somno tantùm, quo toto illo tempore fuerant oppressi, excitati fuissent.

IV. Nutare tamen hujus mirabilis facti quomodocumque expositi & causam & modum & factum ipsum sequentia argumenta ostendunt. Causam quidem; nam dicunt, hoc miraculum fuisse à Deo patratum, ut fides Resurrectionis, quæ tunc impetebatur, confirmaretur: at nulla temporibus Theodosii Junioris legitur exorta hæresis, quæ veritatem Resurrectionis negaret. Scio, hoc asserere Photium citato Cod. 253., ubi ait: *Theodorus quidam, utinam ita non fuisset, Episcopus Ægeorum erat. Hic, nescio, quâ ratione, luto infidelitatis absorptus, graveolentes evomuit voces, mortuorum resurrectionem negans, & multos cum suis sectariis eodem errore involvens. Hoc miraculo clarum resurrectionis testimonium in omnem terram divulgante, ipsi, & quicumque Gentiles reliqui erant, partim rubore confusi obmutuerunt, partim certam firmamque resurrectionis spem conceperunt*. Hæc Photius. Sed de hoc Theodoro Fidem resurrectionis Theodosii tempore negante nulla fit in historiis mentio, imo nec tunc de resurrectione quæstionem exortam ex eo probatur, quòd nec in Concilio Ephesino sub eodem Theodosio celebrato, nec in Synodo Chalcedonensi post illud proximè coactâ ulla unquam de hujusmodi hæresi mentio facta invenitur, quæ prima omnium Patrum sententiâ damnari debuisset.

V. Nec magis certus videtur modus; quo ista vel dormientium expergefactio vel jam mortuorum suscitatio facta fuit. Ut enim ex Menologio dictum est, & clariùs exprimit

Pho-

Photius ibidem, *Adolius, ad quem tunc mons ille pertinebat, in quo spelunca excisa erat, pecorum stabulum servos coegit exstruere, resque intra biduum confecta est, domusque ædificata translatis lapidibus, qui os speluncæ obstruxerant, & munierant: sicque aperta spelunca est. Martyres qui illic jacebant inaudito Dei judicio redivivi emittunt Jamblicum, qui solitus erat olim ipsis ministrare, cibos, emptum, atque illatum. Qui ingressus urbem Ephesum comprehenditur ob eos quos proferebat nummos, tanquam thesaurum antiquum eruisset. Exindeque Martyrum miraculum ad omnium aures penetravit, ac veluti res miranda proposita fuit.* Ita Photius, qui antea descripserat, quo modo ad tanti prodigii famam Imperator ipse & Marus tunc Ephesi Episcopus accesserint ad speluncam, & Martyres allocuti ab eis didicerint omnia, quæ ipsis acciderant: quo facto in conspectu Imperatoris & Episcopi in ipso antro Sancti Martyres in Domino iterùm quieverint: *Ut omnibus* (inquit) *eorum mors clarè pateret, & incognita priùs ipsorum ex hac vita communi migratio.*

VI. Prodigium reverà mirabile & inauditum, & quoad factum, & quoad modum quo factum est. Sed optandum esset, ut solidioribus fundamentis esset innixum, & maximè testimonio eorum, qui vel coævi vel propinquiores illius temporis gesta accuratè scripsere. Factum enim adeò publicum & solemne & ante inauditum silentio omitti non debuisset. Et certè Prosper in Chronico, Marcellinus, & Evagrius, qui omnia sub Theodosio Juniore gesta studiosè enarrant, hoc adeò singulare posteris tradere non neglexissent. Cùm ergo de hoc nec verbum faciant, non leve fundamentum dubitandi viro prudenti præbent. Accedit, quòd Ephesinus Episcopus, sub quo hoc contigisse narrat Photius, non erat Marus, ut ipse scribit, sed Stephanus, qui in eam sedem vi armorum fuit intrusus, imo communione Dioscori & Euthychetis pollutus, ut habent Acta, quæ recitantur in Synodo Chalcedonensi Act. 1. & 11. Unde non est credibile, septem Dormientes ejus communione inquinari voluisse.

Quid verò in hac causa decernendum sit, meliori judicio relinquo. Hoc mihi satis est, hos Sanctos Martyres gravia sub Decio passos esse, ac in spelunca reclusos in Domino obiisse, & si velis, etiam eorum corpora Theodosii Junioris tempore in specie fuisse reperta. Atque ideò ab Ecclesia anniversariâ solemnitate meritò celebrari. An verò toto illo tempore somno sopiti manserint non mortui, vel si mortui fuerint postea adeò mirabiliter excitati, ac iterùm mortui, cùm Baronio nec prorsùs nego, neque affirmo.

VII.

VII. Sancti Christophori celebris quoque memoria est tum apud Latinos tum apud Græcos. Hoc tamen non obstante, quidam præsertim ex Modernis totam Christophori historiam allegoricam esse, nec unquam fuisse hominem, qui tali nomine vocaretur, sed esse nomen merè appellativum, quod cuique Christum corde ferenti attribui possit, pertinaciter de more contendunt; irridentes Ecclesiam, quòd eum ceu singularem Martyrem colat. At si hoc dicere licet, licebit etiam dicere S. Ignatium Martyrem, qui ut suo loco dixi, *Theophorus*, idest Deifer vocabatur, non fuisse singularem hominem, ac verum, sed allegoricè efformatum, nec Romæ à Leonibus discerptum: quod tamen dicere, puto, contra totam antiquitatem non audebunt.

VIII. Nec defuere ex Catholicis, qui idem sentire visi sint, inter quos citatur Laurentius de Villa Vincentio de Ratione studii Theol. L.3. cap. 6. & 7., ubi vult quod Pictura Christophori *adumbrat Evangelii præconem, qui dum Christum extollit & circumfert visendum cognoscendumque omnibus, periclitatur in procellis & fluctibus hujus mundi, atque à malis hominibus tanquam monstris ac belluis marinis undique infestatur: sed tamen indefessè respectans ad lucernam Verbi Dei, quam Sancti Patres, Prophetæ & Apostoli de Ecclesia prodeuntes accensam ostendunt ac protrudunt; nixus præterea spe jucundissimorum fructuum imposterum, vel post hanc vitam recipiendorum (quos baculus supernè virens & florens promittit) & contentus tenui sorte, victu nimirùm & vestitu (testantur id in pera panis & pisciculus vili parabilis: item vestis curta & minimè laciniosa) tandem ad littus & stationem contendit, ubi quiete & gloriâ æternâ cum Christo, quem gestavit, fruetur*. Hæc vir iste Catholicus. Quæ, si admissâ S. Christophori historiâ ad solum quo pingitur modum, quasi allegoricè adumbrantem ejus constantiam in portando suâ prædicatione Christum, restringeret, admitti possent. Sed totam Christophori historiam allegoricam ponere novum & veritati contrarium est. Unde Molanus L.3. cap. 27. de Imaginibus, ait: *Quæ jam inculcata sunt pertinent ad Martyrem Christophorum; nec tolerandum arbitror, quòd ab Hæreticis trahantur ad adumbrandum Evangelii præconem, quasi tota historia Martyris Christophori velut fabula & figmentum sit rejicienda.*

IX. Igitur cùm Ecclesia fulta Traditione, & Patres satis antiqui, ut Gregorius L.8. Epist.32., modò L.10. Ep.33., ubi Monasterii S. Christophori meminit; Eulogius L.2. cap.4., & Martyrologia S. Hieronymi, & cætera à 9. seculo, ut Usuardi Bedæ, Adonis, Romanum, & Græcorum Menologia concordi-

diter S. Christophorum veluti singularem personam patriâ Lyciensem & Martyrem sub Decio agnoscant, absque temeritatis nota puto non esse recedendum. Censuerim tamen, nonnulla in eo repræsentando per allegoriam in picturis, seu imaginibus exprimi, denotantia ejus præcipuas dotes, ut quòd formâ procerâ & quasi giganteâ pingatur ad ejus constantiæ magnitudinem exprimendam, cui annectuntur Christus sub forma pueri ejus humeris insidens, fluvius quem tranat ipse baculum tenens manibus & Christum humeris, aliaque hujus generis. Quæ omnia allegoricè sequentibus carminibus egregiæ exponit Hieronym. Vidas Albæ Episcopus.

Christophore, infixum quod eum usque in corde gerebas,
Pictores Christum dant tibi ferre humeris,
Quem gestans quoniam multa es perpessus amara,
Te pedibus faciunt ire per alta mari.
Id quia non poteras, nisi vasti corporis usu,
Dant membra immanis quanta gigantis erant;
Ut te non capiant quamvis ingentia templa;
Cogeris & rigidas sub jove ferre hyemes.
Omnia quòd victor superasti dura, virentem
Dant manibus palmam, qua regis altus iter.
Quod potis ars tibi dat, nequeat cum fingere vera,
Accipe cuncta bono Tu bonus ista animo.

Hisce pius poeta exponit, quid exprimere Pictores velint, dum S. Christophorum pingunt, nimirùm in ejus humeris Christum ponunt, quia eum corde gestabat. Formant ipsum giganteæ staturæ, & mare transeuntem, vel fluvium, ut exprimant magnitudinem animi in superandis hujus seculi fluctibus, ac demum in signum victoriæ dant ei palmam in manu.

X. Porrò Veteres consuevisse insignium virorum Imaginibus aliquod symbolicum inserere, colligitur ex eo quod narrat Eusebius L. 3. de Vita Constantini cap. 3. nimirùm quòd pius iste Imperator *In sublimi quadam tabula ante vestibulum Palatii positâ cunctis spectandum proposuit salutare quidem signum capiti suo superpositum: infra verò hostem illum & inimicum generis humani, qui impiorum tyrannorùm operâ Ecclesiam Dei oppugnaverat, sub Draconis forma in præceps ruentem. Quippe Divina oracula in Prophetarum libris draconem illum & sinuosum serpentem appellarunt: ideòque Imperator draconem telis per medium ventrem confixum & in profundos maris gurgites projectum sub suis suorumque liberorum pedibus cerâ igne resolutâ depingi proponique omnibus voluit: hoc videlicet modo designans, occultum humani generis hostem,* quem

quem salutaris illius tropæi, quod capiti ipsius superpositum erat, vi ac potentiâ in exitii barathrum detrusum esse significabat: Simili ratione (notat Baron. ad 23. Aprilis) consuevit pingi S. Georgius ut eques armatus; qui hastæ cuspide draconem interficit, juxta quem ponitur Virgo supplices manus tendens: quæ secundùm historiam nequeunt intelligi, sed solùm secundùm symbolicam significationem. Idem de Imaginibus S. Christophori ex dictis judicium ferendum est.

XI. Statuto, Christophorum, de quo agimus, esse nomen proprium singularis Martyris, & non nomen officii & merè appellativum, optandum esset, ut de ejus conditione, gestis, & martyrio haberemus Acta sincera; licèt enim varia circumferantur, depravata tamen vel magnâ correctione indigentia existimantur. Baronius in Notis ad diem 25. Julii dicit, S. Christophorum sub Decio esse passum unà cum cæteris Christianis commilitonibus, colligi ex veteri hymno, qui legitur in Breviario Toletano S. Isidori, quo etiam ejusdem Martyris Acta describuntur, quæ sibi magis arrident. Ex præfato Hymno refert præfatos versus.

Elegansque staturâ, mente elegantior,
Visu fulgens, corde vibrans, & capillis rutilans,
Ore Christum, corde Christum Christophorus insonat.

Et in Capitulo: *De minimo grandis, ut ex milite Dux fieret fidelium Populorum* &c. In eodem etiam Toletano Breviario dicitur, ibi asservari ejusdem Martyris Reliquias; frequentem fuisse in Hispania ejus cultum; & Cordubæ sub S. Christophori nomine extitisse Ecclesiam & Monasterium, cujus meminit S. Eulogius.

XII. Romanum Martyrologium die 25. Julii ejus agonem ita celebrat: *In Lycia Sancti Christophori Martyris, qui sub Decio virgis ferreis attritus, & à flammæ æstuantis incendio Christi virtute servatus, ad ultimum sagittarum ictibus confossus, Martyrium capitis obtruncatione complevit.* Menologium autem Basilii die 9. Maii hæc habet: *De hoc Sancto quædam mirabilia atque stupenda apud nonnullos perhibentur, quòd scilicet faciem canis primùm habuerit, hominesque devoraverit, ac tandem cùm in Christum credidisset, formam mutaverit. Verùm non ita res se habuit: sed sic illum aliqui fuisse suspicati sunt, quòd Ethnicus esset & ferox ac terribilis. Fuit tamen Decio imperante, & à Comite in prælio comprehensus, cùm græcè loqui nesciret, Deum rogavit: & missus ei fuit Angelus, inquiens: confortare: tangensque labia ejus fecit ut græcè loqueretur. Urbem itaque ingressus Christum præ-*

dicabat. Missi autem satellites comprehenderunt eum. Sed cùm virga ipsius germinasset, crediderunt in Christum, & unà cum ipso baptizati sunt Antiochiæ à S. Babyla, ubi & Christophorus appellatus fuit. Postea ad Imperatorem adductus, primùm quidem plurimis cruciatibus subjicitur, ac tandem capite obtruncatur. An hæc omnia vera sint, æquus Lector judicet. Mihi sat est, quòd utraque Ecclesia Latina & Græca S.Christophorum inter veros Martyres veneratur.

XIII. Græci similiter ac Latini die 21. Decembris S. Themistoclis agonem celebrant. De eo Martyrol. Rom. hæc habet: *In Lycia Sancti Themistoclis Martyris, qui sub Decio Imperatore pro Sancto Dioscoro, qui quærebatur ad necem, se offerens, equuleo tortus, raptatus, ac fustibus cæsus Martyrii coronam adeptus est.* Fusiùs autem Græci in Menol. Basil. ajunt: *Sanctus iste Themistocles, Decio Imperatore, ex regione Lyciæ oves pascebat in eo monte, ubi Persecutionis vitandæ causâ Sanctus Dioscorides latebat. Cùmque milites missi à regionis Præfecto ad comprehendendum Sanctum Dioscoridem, hunc non invenissent, inciderunt in Themistoclem oves pascentem, eumque de Dioscoride interrogarunt. At ille, qui probè noverat, ubi is lateret, non tamen voluit illum prodere, sed se ipsum pro eo tradidit, confessus se Christianum esse. Quare vinculis constrictus ad Præfectum adducitur: Christumque coram ipso professus supinus humi sternitur, ac tamdiù in ventre cæditur, dum in duas partes scinderetur, & intestina diffluerent. Deinde in equuleum actus, & postea depositus, super ferreis tribulis raptatur, atque ita spiritum Domino tradidit.* Conferat hæc Lector: unus latet ne comprehendatur, alter ut loco ejus comprehendatur, non quæsitus se Christianum prodit, & atrocia tormenta ac mortem alacriter superat: & in uno humanam imbecillitatem excusabit, in isto autem Divinam Gratiam supra naturam agentem inveniet.

§. XI.

Persecutionis Decii exitus: & Cornelii electio.

I. CUm ex dictis & aliis, quæ omitto, quia in Martyrologiis quisque legere poterit, Decii Persecutio tot per totum Orbem Martyres Christo dederit, ut visa sit Christiano sanguine totum mundum inundare, cuiquam in mentem venire poterit, tantâ strage ad extremam desolationem fuisse Ecclesiam redactam, & Christi Nomine toto ferè Orbe deleto, idola eorum-

que

que cultum triumphum reportasse. At si quis ita cogitet, nescit, humanos conatus contra Dei pōtentiam inanes esse: nescit, quòd qui dixit, contra Ecclesiam quam fundabat, *Portæ inferi non prævalebunt*, potens est implere quod dixit; & quam sanguine suo in Cruce fuso genuit, suorum sanguine velut semine voluit per universum orbem extendi ac propagari: nescit demùm à Deo statutum esse, ut Christus qui per humilitatem & ignominiam passionis usque ad mortem Crucis ad gloriam Resurrectionis pervenit, similiter per passiones & mortes Suorum in cœlis atque in terris exaltaretur, Paulo teste Philipp.2. v.8. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in Nomine Jesu omne genuflectatur, cælestium terrestrium & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Atque ita evenit. A Christi passione usque ad Decium duo ultra secula effluxerant: hi, qui Christi nomen profitebantur, ab omnibus ceù sacrilegi habiti, quòd summis Diis neglectis hominem crucis ignominiâ affectum ut Deum adorarent, nedum contemtui habebantur, sed decretis Principum ac Populorum furore cruciatibus ac suppliciis ubique exterminabantur. Sed quò magis Jesu Nomen delere ejusque cultores è medio tollere nitebantur, eò gloriosius illud efficiebant, ut tandem ei colla subjicere, & istos ut testes veritatis honorare coacti sint.

Hoc S. Cyrillus Jerosol. Catechesi 18. expressit, ubi de Christi Ecclesia: *Primum*, inquit, *in persecutionibus & angustiis Sanctos Martyres diversis & multiplici flore nexis patientiæ coronis redimivit; nunc verò in pacis temporibus, Dei gratiâ debitos honores recipit à Regibus, & viris dignitatum sublimitate conspicuis, & omni denique hominum genere ac specie. Quumque Reges distributarum diversis locis gentium suæ potestatis limites habeant, sola est Sancta Catholica Ecclesia, quæ per Orbem totum indeterminata gaudet potestate*. Hinc S. Augustinus serm.363. ait: *Priùs surrexit ira gentium ad perdendum nomen Christianum; ubi autem ira nihil potuit, conversa est in dolorem, & magis magisque fide crescente atque occupante omnia dolor conversus sit in timorem; ut & superbi hujus seculi, tanquam volatilia cœli, sub umbra oleris illius, quod ex minutissimo grano sinapis multum crevit, refugium protectionemque conquirant.*

II. Nunc specialiter redeundo ad Persecutionem Decii, ad eam præcipuè respexisse existimarim eumdem S. Augustin. in Psalm.90., ubi ait: *Qualis fuit illa Persecutio aliquando, Fratres,*

commemorem, unde Dominus liberavit Ecclesiam suam, dignetur attendere caritas vestra. Primò quòd Imperatores & Reges sęculi putaverunt, se persequendo tollere posse de terra Nomen Christi & nomen Christianorum, jusserunt, ut quisquis se confiteretur Christianum feriretur. Quicumque noluit feriri negavit se Christianum.... Quicumque autem non curavit præsentem vitam, sed certus speravit futuram... confessus est se Christianum, percussus carne, liberatus est spiritu &c. Et post pauca: *Audite*, inquit, *quid secutum sit. Cùm vidissent inimici, quòd multi festinarent ad Martyrium, & tantò plures crederent in Christum, quantò plures patiebantur, dixerunt apud se, nos occisuri sumus genus humanum; tot millia, quæ credunt in hoc Nomine: si occiderimus omnes, propè nullus in terra remanebit.* En ex ipsorum confessione, quò plures Christiani occidebantur, eò plures pullulabant, adeò ut timerent, ne si in iis occidendis perseverarent, totum genus humanum in terris extingueretur. Quid ergo decreverunt? Imposterùm non esse Christianos occidendos, sed torquendos, donec negarent, & sic diuturnitate ac atrocitate tormentorum vincerentur. Non pauci defecerunt, ii scilicet, qui de viribus suis præsumserunt, sed multò plures, ii scilicet, qui in Domino speravere, constanter tormenta vicerunt, adeò ut in tanta fortitudine quid Divinum admirati Infideles ipsi etiam Carnifices, ad Christum impavidè accederent, & lapsorum jacturam majori numero compensarent.

III. Hoc & Decii consilium fuit, Martyres diuturnitate tormentorum vincere potiùs quàm occidere: diabolicum sanè & crudelius, quia non vitam corporis, sed animæ tentabat eripere. Hoc infortunium evenisse in Africa Nino, Clementiano & Floro, scribit S.Cyprianus Epist.53., qui in Persecutione apprehensi priùs fuerant, & Nomen Domini confessi violentiam Magistratus, & Populi frementis impetum vicerant: postmodum cùm apud Proconsulem pœnis gravibus excruciarentur, vi tormentorum subacti de gradu gloriæ, ad quam plenâ fidei virtute tendebant, diutinis cruciatibus exciderunt; quos tamen, cùm pœnitentiam de suo lapsu per triennium egissent, censet ad communionem esse recipiendos. Plures alii, ut dixi, vi tormentorum subacti deficiebant, sed multò plures ea usque ad finem superabant: & ex his qui defecerant, plures pœnitentiâ ad Christum revertebantur: unde ab Ecclesia de modo, quo recipiendi essent discutiebatur, de quo S. Cyprianus Librum de Lapsis, & varias Epistolas scripsit, & præcipuè 54.

IV. Persecutio hæc quamvis, ut ostensum est, stragibus Christia-

ſtianorum totum Orbem impleverit, vix uno anno ſummâ violentiâ deſæviit, ſive quia Decius Chriſtiani ſanguine ſatur ſævitiem priſtinam emollierit, ſive (quod veritatem magis attingit) quia videret conatus ſuos nomen Chriſti è terris delendi irritos eſſe, maximèque aliis curis diſtractus à ſanguine Chriſtianorum viſus eſt temperaſſe, contentus, ut in carcere detinerentur, ſicque etſi non pacem, inducias tamen aliquas Eccleſiæ viſus eſt conceſſiſſe. Colligitur ex Epiſt. S. Cypriani 36. ſcriptâ anno 251., dum adhuc eſſet in ſeceſſu; in qua ſe differre ſuum reditum dicit, ne Gentilium ſuâ præſentiâ provocet furorem: videtur tamen brevì res componendas ſperare; Epiſt. etiam 37. loquitur de Confeſſoribus, qui in carcere ſine tormentis deceſſere, quos velut Martyres haberi vult. Nam *qui ſe tormentis & morti ſub oculis Dei obtulit, paſſus eſt quidquid pati voluit. Non enim ipſe tormentis, ſed tormenta ipſi defuerunt*. Et Epiſt.40., quæ ſupponitur ſcripta anno 251. ante Paſcha videtur indicare Perſecutionem à Gentilibus quaſi ceſſaſſe, & poſſe Epiſcoporum Concilia congregari: loquens enim de ſchiſmate à quinque Presbyteris factionis Feliciſſimi excitato, ait: *Perſecutionis iſtius noviſſima hæc eſt, & extrema tentatio, quæ & ipſa citò Domino protegente tranſibit, ut repræſenter vobis poſt Paſchæ diem cum Collegis meis; quibus præſentibus ſecundùm arbitrium quoque veſtrum, & omnium noſtrum commune conſilium, ſicut ſemel placuit ea, quæ agenda ſunt, diſponere pariter & limare poterimus* &c. Si autem Perſecutionis furor adhuc duraſſet, non fuiſſet locus conveniendi ad Concilium.

Hinc Baronius ad ann.254. num.40. putat, deſinente primo Deciani Imperii & Perſecutionis anno, aliquam pacis lucem in Africa affulſiſſe, ut Epiſt.36. S. Cyprianus prædixerat. Cauſa autem, cur Decius de Africano Populo benè mereri videri vellet, fortaſſe fuit, inquit Baronius, quòd cùm ea Provincia Barbarorum pateret incurſibus, bellum, quo Gentiles adversùs Chriſtianos hactenùs dimicaverant, neceſſitate compellente debuerit in Barbaros convertere, ideòque Afros ſibi non malè affectos habere. Iſtæ tamen induciæ, quia nec ſatis tutæ, nec ſine invidia eſſe poterant, detinuerunt S. Cyprianum, ne ſtatim à ſeceſſu ad ſuam Eccleſiam rediret, ut ſcribit Epiſt.36.

V. Romæ quoque furorem Perſecutionis eo anno emollitum fuiſſe, ex eo colligitur, quòd cùm poſt Fabiani Martyrium, quod initio Imperii Decii contigit, Romana Sedes vacaverit, non enim audebant Epiſcopi & Clerus (imo nec permittebatur) ad electionem convenire, elapſo primo anno & ſecun-

cundo jam inchoato, multisque Confessoribus è Romanis carceribus liberatis, ad electionem illius urbis Episcopi, quæ in Cornelium Romanum civem ex patre Castino cecidit, unanimiter ventum est. Huic libertati contulisse creditur absentiam Decii, qui Romam relinquere coactus fuit, & in Illyricum & Thraciam pergere, ut sese opponeret Barbarorum invasionibus, & Lucio prisco, qui in Macedonia Imperatoris titulum sibi usurpaverat: quod etiam Romæ Julius Valens fortè machinabatur. Quæ cùm post Decii Româ discessum evenerint, ad electionem Cornelii aditum aperuisse creduntur.

VI. Qualis autem fuerit, & quo modo in Romanum Pontificem electus fuerit Cornelius, describit S. Cyprianus Epist. 52. ad Antonianum his verbis: *Venio jam nunc, Frater carissime, ad personam Cornelii collegæ nostri, ut Cornelium nobiscum veriùs noveris, non de malignorum & detrahentium mendacio, sed de Domini Dei judicio, qui Episcopum fecit, & Coepiscoporum testimonio, quorum numerus universus per totum Mundum concordi unanimitate consensit. Nam quod Cornelium carissimum nostrum Deo & Christo & Ecclesiæ ejus, item Consacerdotibus cunctis laudabili prædicatione commendat: non iste ad Episcopatum subitò pervenit, sed per omnia Ecclesiastica officia promotus, & in Divinis administrationibus Dominum sæpè promeritus, ad Sacerdotii sublime fastigium cunctis Religionis gradibus ascendit.*

Tum deinde Episcopatum ipsum nec postulavit, nec voluit, nec ut cæteri, quos arrogantiæ & superbiæ suæ tumor inflat, invasit; sed quietus & modestus, & quales esse consueverunt, qui ad hunc locum divinitùs eliguntur, pro pudore virginalis conscientiæ suæ, & pro humilitate ingenitæ sibi & custoditæ verecundiæ, non ut quidam vim fecit ut Episcopus fieret (qualis fuit Novatianus) *sed ipse vim passus est, ut Episcopatum coactus exciperet. Et factus est Episcopus à pluribus collegis nostris, qui tunc in Urbe Roma aderant* (aderant autem tunc sexdecim, ut eadem Epist. 52., qui in electione tunc jus habebant ferendi suffragium, ubi Plebs solùm de qualitate eligendi ferebat testimonium) *qui ad nos litteras honorificas & laudabiles & testimonio suæ prædicationis illustres de ejus Ordinatione miserunt* &c. His S. Cyprianus in electione Cornelii ostendit, qualis debeat esse persona eligenda, & quo spiritu electio facienda sit: unde subdit: *Factus est autem Cornelius de Dei & Christi ejus judicio, de Clericorum penè omnium testimonio, de Plebis quæ tunc affuit suffragio, & de Sacerdotum antiquorum & bonorum Virorum collegio: cùm nemo ante se factus esset, cùm Fabiani locus, idest cùm locus Petri, & Cathedra Sacerdotalis vacaret,*

ret, quo occupato de Dei voluntate, atque omnium nostrum consensione firmato, quisquis jam Episcopus fieri voluerit, foris fiat necesse est, nec habeat Ecclesiasticam Ordinationem, qui Ecclesiæ non tenet unitatem. Hæc de electione Cornelii Cyprianus, quæ licèt rem præsentem non tangant, pluribus tamen inservire possunt. Quæ contra hanc electionem Novatus & Novatianus machinati sint, dicam Cap. sequenti §.1.

VII. Ex his tamen colligitur, Cornelii electionem factam fuisse adhuc vivente Decio, & Christianis infenso; unde idem Cyprianus paulò post addit, quòd Cornelius multò patientiùs audiret levari adversùs se æmulum Principem (idest Decium) quàm constitui Romæ æmulum Sacerdotem (idest Novatianum Schismatis auctorem). Si tamen admittamus, Acta S. Acacii; de quibus supra, spiritum Decii aliquantùm circa Christianos emollitum fuisse fatebimur: nam ad ipsum delatis S. Acacii interrogatoriis die 29. Martii anni 251., & ab ipso cum risu & delectatione lectis, ferunt præcepisse, ut Acacius dimitteretur liber. Ut ut sit, S. Cyprianus ibi testatur, Decium malo animo tulisse, quòd Romæ electus fuisset Episcopus, & S. Cornelium post suam electionem terribiles minas, queis generaliter omnes Episcopos insectabatur, expavisse.

VIII. Propterea probabilius creditur, Decii Persecutionem plus minùsque usque ad finem vitæ ejus durasse, nimirùm anno uno, & tribus aut quatuor mensibus, quibus Imperium rexit. Is quamvis apud Gentiles optimi Principis specimen dederit, ideòque *Trajani* nomine appellaretur, & omnibus carus esset; Christiani tamen sanguinis ubique terrarum, ut vidimus, effusi reus, ulciscente Deo, non diù in Imperio vivere meruit, sed sanguine suo meritas pœnas luit. Dum enim adversùs Gothos Mœsiam & Thraciam infestantes decertat, à Treboniano Gallo Limitatanei Exercitus in Mœsia agentis Duce proditus, extincto filio, ipse equo salutem captans, sed in profundam paludem incidens ab ea confestim absorptus, nusquam ampliùs visus est. Is exitus immanissimo Christi Persecutori debebatur. Quare meritò Constantinus Imperator Oratione ad Sanctorum cœtum cap. 24. ita eum perstringit: *Te nunc interrogo*, Deci, *qui justorum laboribus olim insultabas; qui Ecclesiam odio prosequebaris; qui Viros summâ vitæ sanctitate præditos supplicio affecisti: quid rerum nunc agis post hanc vitam? quantis & quàm difficilibus ærumnis premeris? Tuam certè infelicitatem satis superque declaravit illud temporis spatium, quod inter vitam ac mortem intercessit; cùm tu in campis Scythicis unà cum omni exercitu prostratus, Imperium Romanum tantoperè ubique celebratum Gothorum contemtui ac ludibrio exposuisti*. Hæc pius Imperator. CA-

CAPUT X.

De Gallo & Volusiano.

§. I.

De horum Imperii initiis. Novato & Novatiano.

I. DEcio extincto, in solamen Fidelium, Deo sic disponente, aliquis pacis radius Ecclesiæ affulsit. Imperium suscepit Vibius Tribonianus Gallus, qui necis Decii conscius & particeps fuerat. Ut tamen hoc facinus pro viribus tegeret, nedum honorificè de Decio loquebatur, sed Hostilianum Decii minorem filium superstitem adoptavit, Augusti titulo insignivit, & pro anno 253. Consulem designavit: Volusianum verò filium Cæsarem, & Imperii consortem fecit, quæ omnia Senatus approbavit. Pace initâ cum Gothis, Christianos quoque Imperii sui initiis in pace quiescere permisit.

II. Hâc pacis voce in Ecclesia personante, quotquot in Persecutione Decii lapsi fuerant, ad Ecclesiam, ut ab ea reciperentur, catervatim confluebant. Hæc occasio fuit Cypriano scribendi Librum *de Lapsis*: in cujus exordio de pace reddita, & gratiis Deo agendis sic habet: *Pax ecce, dilectissimi Fratres, Ecclesiæ reddita est: & quod difficile nuper incredulis, ac perfidis impossibile videbatur, ope atque ultione divinâ securitas nostra reparata est. In lætitiam mentes redeunt, & tempestate pressuræ ac nube & caligine discussâ tranquillitas ac serenitas refulserunt. Dandæ laudes Deo, & beneficia ejus ac munera cum gratiarum actione celebranda, quamvis agere gratias nostra vox nec in Persecutione cessaverit. Neque enim tantum inimico licere potest, ut non qui Dominum toto corde & animâ & virtute diligimus, benedictiones ejus & laudes semper & ubique cum gloria prædicemus. Exoptatus votis omnium dies venit, & post longæ noctis horribilem tetramque caliginem Domini luce radiatus mundus eluxit.*

Deinde celebrans encomiis Martyrum gloriosos triumphos, nec non Confessorum constantiam, qui infracto animo Persecutionis urgentis ferociam fregerunt, parati ad patientiam carceris, & ad tolerantiam mortis, deplorat lapsorum miserabilem ruinam, qui nimio terrenorum amore obcæcati, ad prima statim verba minantis inimici idolis sacrificarint, & non potiùs juxta Christi consilium secesserint. Eos subinde increpat, quòd sacrificiis maculati contra Evangelii legem ante expiata delicta, an-

ante exomologesim criminis factam vim inferrent Corpori & Sanguini Domini, & communionem ac pacem à quibusdam Presbyteris sine licentiâ extorquerent. Deinde deterritos aliquorum lapsorum exemplis, qui ob id Divinâ vindictâ percussi fuerant, & animatos facto eorum, qui quamvis nullo sacrificii aut Libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter & simpliciter consistentes, exomologesim faciebant, ad confessionem delicti ad pœnitentiam publicam ad satisfactionem, multis eos hortatur. Quæ verò cuilibet lapso pro qualitate delicti specialis pœna infligenda esset, in proxima Synodo Episcoporum omnium consensu æquâ lance librata statuta est.

III. Restitutus post Decii necem suæ Carthaginensi Ecclesiæ Cyprianus, quod ut jam dixi litteris pollicitus fuerat, credendus est Commemorationes Sanctorum Martyrum oblatione Sacrificii incruenti unà cum suis solemniter celebrasse, aliosque Sacræ Disciplinæ Ritus, qui Persecutionis furore videbantur intermissi, restituisse. Cùm enim Epist.37. adhuc in secessu manens jussisset: *Dies eorum, quibus excesserunt annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus*: laudetque Tertullum, quòd ipsi significet & scribat dies, quibus excesserunt, & propterea dicat: *Et celebrentur hìc à nobis oblationes & Sacrificia ob commemorationes eorum, quæ citò vobiscum Domino protegente celebrabimus*: credendum est, eum suæ Sedi restitutum hoc implevisse. Ut autem videant Protestantes, qui Martyrum memorias contemnunt, unius Ecclesiæ Catholicæ eamdem, quæ in Occidente, in Oriente quoque consuetudinem viguisse: quod Cyprianus in Africa, idipsum erga Sanctos Martyres præstitere Episcopi in Oriente, & inter alios S. Gregorius Thaumaturgus Episcopus Neocæsariensis in Ponto; qui & ipse perinde ac fecerat Cyprianus, hâc urgente Persecutione in solitudinem secesserat, redditâ post Decii mortem Ecclesiæ pace, rediens Neocæsaream eadem de Martyribus curavit, quæ Cyprianus Carthagine.

IV. Licèt autem Gallo & Volusiano ad Imperium assumtis, Ecclesia ab externis hostibus pacem sortita sit; unde qui Romæ Confessores detinebantur in carcere, vinculis soluti liberi abire permissi sunt; ad bonorum tamen constantiam probandam, Deo ita permittente intestino bello vexata est, nempè Novati & Novatiani schismate adversùs Cornelium ejusque Electionem jam excitato perseverante; cui, quod deplorabilius est, ipsi Viri Sancti nuper è carceribus dimissi à Novatiano decepti vim maxi-

mam addiderunt (tanta esse potest in Viris cæteroquin Sanctis, nisi Dei gratia firmentur, inconstantia) Id colligo ex Epist.51. S.Cypriani, ubi gratulans eis de eorum ex schismate reditu ait: *Posteaquam nos de carcere prodeuntes schismaticus & hæreticus error excepit, sic res erat, quasi vestra gloria in carcere remansisset. Illic enim resedisse vestri nominis dignitas videbatur, quando milites Christi non ad Ecclesiam de carcere redirent, in quem priùs cum Ecclesiæ laude & gratulatione venissent.* De Novatiano schismate seu veriùs hæresi dicam, cùm de Victoria Christianæ Religionis contra Hæreses, si Deus dederit, agam.

V. Nunc de Novato & Novatiano, qui fuerint, sciendum est. Non pauci ex antiquis Novatum & Novatianum, ac si eadem persona esset, visi sunt confudisse (notat Baronius ad ann.254. num.62.); duos tamen & personâ & patriâ diversos communis sententia est ex Cypriano Epist.49. & alibi. Novatus ergo patriâ Carthaginensis & proinde Africanus erat. Baronius putat (loco citato num.49.) eum fuisse Episcopum, cujus tamen Urbis non dicit, eò quòd S. Cyprianus Epist.49. dicat, ab eo fuisse Felicissimum ordinatum Diaconum: communiter tamen tenetur, eum fuisse simplicem Presbyterum; dicere autem Cyprianum, Felicissimum ab eo Diaconum constitutum, non quia ipse suis manibus ordinaverit, sed quia suâ operâ & arte, inscio nec permittente Cypriano Episcopo tunc absente, ab aliquo alio Episcopo furtim ordinari fecerat: unde ibidem ait de Novato: *Ipse est, qui Felicissimum Satellitem suum Diaconum, nec permittente me nec sciente, suâ factione & ambitione constituit.* Hanc autem esse S.Cypriani mentem ex verbis ipsius colligitur; subdit enim: *Qui istic* (Carthagine) *adversùs Ecclesiam Diaconum fecerat, illic* (Romæ) *Episcopum fecit*, idest Novatianum: sed hunc Romanum Pseudo-Episcopum non fecit eum suis manibus ordinando, sed subdolâ arte alios ad eum contra Cornelium schismaticè eligendum excitando: ergo similiter Felicissimum non suis manibus ordinando Diaconum fecit, sed ut Diaconus ordinaretur arte suâ promovit.

VI. Quàm pravæ indolis autem & quot criminum reus fuerit Novatus, in eadem Epist. S. Cyprianus describit: *Rerum*, inquit, *novarum semper cupidus, avaritiæ inexplebili rapacitate furibundus, arrogantiâ & stupore superbi tumoris inflatus, semper istic Episcopis malè cognitus, quasi Hæreticus semper & perfidus omnium Sacerdotum voce damnatus; curiosus semper ut prodat, ad hoc adulatur ut fallat, numquam fidelis ut diligat, fax & ignis ad conflanda seditionis incendia, turbo & tempestas ad fidei facienda nau-*

naufragia, hostis quietis, tranquillitatis adversarius, pacis inimicus. Et post multa ejus crimina recensens, addit: *Spoliati ab illo pupilli, fraudatæ viduæ, pecuniæ quoque Ecclesiæ denegatæ, has de illo exigunt pœnas, quas in ejus furore conspicimus. Pater etiam ejus in vico fame mortuus, & ab eo in morte postmodum nec sepultus. Uterus uxoris calce percussus, & abortione properante in parricidium partus expressus*. Hæc autem, quæ de patris morte & de uxore prægnante calce percussâ narrat, contingere potuerunt priusquam Presbyter fieret.

VII. Conscientiâ tot & tantorum criminum urgente, videns contra se armari Ecclesiæ judicium, sibique depositionis & excommunicationis pœnam imminere, fugâ sententiam prævenit, & Romam ad pejores turbas ibi excitandas, ut dicemus, navigavit. Ita S. Cyprianus laudato loco: *Hanc conscientiam criminum jam pridem timebat, propter hoc se non de Presbyterio excitari tantùm, sed communicatione probiberi pro certo tenebat, & urgentibus fratribus imminebat cognitionis dies, quo apud nos causa ejus ageretur, nisi persecutio ante venisset: quam iste voto quodam evadendæ & lucrandæ damnationis excipiens, hæc omnia commisit & miscuit, ut qui ejici de Ecclesia & excludi habebat, judicium Sacerdotum voluntariâ discessione præcederet, quasi evasisse sit pœnam prævenisse sententiam*. Ex his colligitur, commissa fuisse à Novato hæc crimina antequam persecutio irrueret, & proinde antequam S. Cyprianus Carthagine discederet. Porrò quòd iste sit Novatus, qui declinans Africanorum sententiam Romam se contulit, apertè declarat S. Martyr in ejusdem medio Epistolæ his verbis: *Idem est Novatus, qui apud nos primum discordiæ & schismatis incendium seminavit, qui quosdam istic ex fratribus ab Episcopo segregavit, qui in ipsa persecutione ad evertendas fratrum mentes alia quædam persecutio nostris fuit. Ipse est, qui Felicissimum Satellitem suum Diaconum, nec permittente me nec sciente, suâ factione & ambitione constituit: & cum sua tempestate Romam quoque ad evertendam Ecclesiam navigans similia illic & paria molitus est, à Clero portionem plebis avellens, fraternitatis benè sibi cohærentis & se invicem diligentis concordiam scindens. Planè quoniam pro magnitudine sua debeat Carthaginem Roma præcedere, illic majora & graviora commisit. Qui istic adversùs Ecclesiam Diaconum fecerat, illic Episcopum fecit*. Is Novati perditissimi hominis character est. Nunc quis & qualis fuerit Novatianus videamus.

VIII. Novatianus primùm paganæ, & præsertim stoicæ Philosophiæ non obscuri nominis professor Romæ fuisse fertur, deinde

de à Dæmone correptus ac dirè vexatus, cùm ab Exorcistis Christianis liberatus esset, Christo nomen dare constituit. Sed adhuc catechumenus, cùm in læthalem morbum incidisset, in lecto decumbens baptizatus per aquæ infusionem fuit. Sed cùm è morbo convaluisset, nec cæremonias baptismatis in se suppleri curavit, nec Sacramentum Confirmationis, quod ex Ecclesiæ disciplina statim post Baptisma conferebatur, suscepit. Quia autem Baptisma ita collatum apud aliquos Romæ dubium erat, ut infra ex Cornelio dicam, fortè quòd præsumi posset fidem sic baptizati potiùs fuisse extortam necessitate aut metu mortis, quàm spontaneâ cordis conversione, & præsertim neglectâ Confirmatione, credebatur non plenam recepisse Spiritus Sancti gratiam, propterea sic baptizati ad Sacros Ordines accedere prohibebantur. De quo extat Canon 12. Conc. Neocæsariensis ann. 314. quo statuitur: *Si quis in ægritudine constitutus fuerit baptizatus, Presbyter ordinari non debet. Non enim fides illius voluntaria, sed ex necessitate est: nisi fortè postea ipsius studium & fides probabilis fuerit, aut hominum raritas cogat.*

Nihilominùs post Baptismum ita susceptum, Confirmatione etiam neglectâ, Novatianus Presbyter factus est, Episcopo quodam de Regulâ Ecclesiasticâ prohibente, promoveri baptizatos in lecto, dispensante: cui dispensationi Clerus universus, multique de Populo refragabantur, qui ægrè tandem ejus Ordinationi consenserunt.

IX. Modum præfatum conversionis & ordinationis Novatiani refert S. Cornelius Epist. ad Fabium Antiochenum apud Euseb. L.6. hist. cap.43., ubi exponens Novatiani merita in Ecclesiam: *Agedum*, inquit, *exponamus deinceps, quibus operibus & cujusmodi conversatione confisus ad Episcopalem locum aspiraverit. An ideò fortasse quòd ab initio in Ecclesia versatus est, & multa pro ejus defensione certamina subivit, multisque & gravissimis periculis Religionis causâ conflictatus est? Minimè id quidèm. Quippè cui causam atque initium credendi præbuit Satanas in ipsum ingressus, atque in ipso aliquandiù commoratus. Cùmque ab Exorcistis foveretur, in morbum gravissimum collapsus, dum jam jamque moriturus creditur, in ipso in quo jacebat lectulo perfusus Baptismum suscepit; si tamen hujuscemodi Baptismum suscepisse dicendus est. Sed neque postquam liberatus est morbo reliqua percepit, quæ juxta Ecclesiasticam Regulam percipi debent, neque ab Episcopo consignatus est. Hoc autem signaculo minimè percepto, quo tandem modo Spiritum Sanctum potuit accipere?*

Deinde post aliqua de Novatiani Ordinatione hæc habet: *Nam*

Nam cùm egregius ille Vir (Novatianus) *Ecclesiam Dei reliquisset, in qua post susceptum Baptismum Presbyteri gradum fuerat consecutus, idque per gratiam Episcopi, qui manus illi imponens eum ad Presbyterorum Ordinem evexit. Cui cùm universus Clerus multiqne ex Populo refragarentur, eò quòd non liceret, quemquam ex iis, qui urgente vi morbi in lectulo perinde ac ille perfusi fuissent, in Clerum assumi; postulavit ab iis Episcopus, ut hunc solum ordinari ab eo paterentur*. Hæc Cornelius apud Eusebium, ubi advertendum est, quòd licèt hæc de Novato potiùs quàm de Novatiano dicere videatur, vitio tamen Exscriptorum vel Librariorum tribuendum est.

X. Factus Presbyter, quàm indignus esset tali honore & gradu statim se ostendit, ut idem Cornelius refert: *Persecutionis tempore præ metu ac nimiâ vivendi cupiditate Presbyterum se esse negavit. Admonitus enim & rogatus à Diaconis, ut ex cubiculo in quo se ipsum incluserat egressus, Fratribus auxilio indigentibus succurreret, tantùm abfuit, ut hortantibus Diaconis morem gereret, quin potiùs irâ & indignatione percitus abiit ac discessit. Neque enim Presbyterum se ampliùs velle esse respondit, sed alterius Philosophiæ desiderio teneri*.

XI. His initiis ut lupus potiùs, quàm ovis Ecclesiam Christi Novatianus ingressus est, & lupi more gregem Christi discindentem ac dispergere conantem infra videbimus. Qui ne onera Presbyterii ferret, Presbyterio se renuntiare asseruit; ut ambitioni satisfaceret, Episcopatum Cornelio rapere tentavit, ac primum in Ecclesia schisma molitus est. At dum se in Caput Ecclesiæ erigere conatur, ab Ecclesia extorris evasit: adeout dici potuerit, quòd sicut ejus qualiscumque in Ecclesiam ingressus Diabolus occasio fuit, ita superbâ præsumtione Diabolus eum ab Ecclesia ejecerit.

Res ergo ita fuit. Dum ageretur de electione Romani Pontificis, qui Fabiano succederet, Novatus ex Africa Romam advenit vivente adhuc Decio. Is à S. Cypriano meritò comparatus nubi, quæ quòcumque tempestates & discordias defert, sicut fecerat in Africa, sic Romæ vix appulsus scissiones in Clero & Populo antea caritate unitis machinari cœpit. Nec defuerunt sibi similes tumultuum amatores. Inter istos Novatianum detexit Pontificatus honorem superbo astu ambientem. Huic ergo se jungens artificiosè cœtum aliquorum adversùs Cornelium formavit; frustrà tamen; Cornelius enim à majori & saniori parte electus fuit. Vix tamen secutâ electione, & fortè etiam antequam electus consecraretur, Novatianus cum Nova-

to

to & suis crimina in personam Cornelii jactare cœperunt, quasi Libellaticum & peccantibus nimiùm indulgentem. Sed hæc & alia cùm nihil adversùs Cornelium efficerent, cui major & sanior Cleri ac Populi pars ceu legitimo Pontifici adhærebat, Novatianus ab initio anceps visus fuit & publicè confessus est, ambitione Episcopatus se non teneri. Verùm linguæ cor non respondebat; nam hortatore & consiliario Novato inopinatè Episcopatum invasit, & sacrilegâ consecratione seu veriùs execratione ordinatus apparuit.

XII. Factum narrat Eusebius L.*6*. cap.43. ex Epist. citatâ ad Fabium, ubi de Novatiano hæc habentur: *Egregius ille Vir, qui tremendis quibusdam Sacramentis affirmaverat, se Episcopatum non concupiscere, repentè tanquam ex machina quadam in medium projectus, Episcopus apparuit. Et is qui se doctorem & Ecclesiasticæ disciplinæ propugnatorem ferebat, cùm Episcopatum sibi à Deo minimè concessum rapere ac vindicare conaretur, duos deploratæ salutis homines sibi socios adjunxit, ut eos in exiguam ac vilissimam Italiæ partem mitteret, atque illinc accitos tres Episcopos, homines planè rudes ac simplices, fraudulentâ quâdam molitione deciperet: constantissimè affirmans, ipsos quamprimùm Romam proficisci oportere, ut omnis undecumque orta dissensio ipsorum unà cum aliis Episcopis interventu atque arbitrio sedaretur. Qui cùm advenissent, homines, ut jam diximus, simplicioris ingenii, nec in his perditorum hominum artibus ac fallaciis satis triti; eos ille à quibusdam sui simillimis, quos ad id comparaverat, inclusos horâ decimâ, temulentos & crapulâ oppressos adumbratâ quâdam & inani manuum impositione, Episcopatum per vim tradere sibi cogit, eumque nullo sibi jure competentem per fraudem atque insidias vindicat.* Hæc de violenta & subdola Novatiani Ordinatione Cornelius, qui addit: *Nec multò post unus ex illis Episcopis ad Ecclesiam rediit, delictum suum cum lamentis ac fletibus confitens. Quem nos, cùm universus Populus pro illo intercessisset, ad communionem laicam suscepimus. Reliquis etiam duobus Episcopis Successores ordinavimus, illosque in loca illorum direximus.* Quibus, ut notat Valesius, indicat Cornelius, Episcopum illum, qui cum aliis duobus Collegis Novatianum ordinaverat (quem ex Epist. S. Cypriani ad Antonianum putat fuisse Trophimum) à se depositum esse, & in Laicorum Ordinem redactum. Cùm enim excommunicare illum vellet, utpote nefarii schismatis auctorem, à Populo rogatus laicam ei communionem indulsit, idest ut inter Laicos communicaret permisit: reliqui verò duo Episcopi non solùm depositi, verùm etiam à communione totius Ecclesiæ separati sunt.

XIII. Id verò magis lugendum eſt, quòd Novatianus in ſchiſma non ſolùm multos de Populo attraxit; verùm etiam ex Confeſſoribus aliqui, qui è carceribus in quibus pro Chriſto detenti fuerant dimiſſi, fraudulenti Novati artibus ſeducti ac decepti ſchiſmati adhærentes, Confeſſionis gloriam inquinarunt: attamen errore cognito reſipuerunt & ad Eccleſiam reverſi ſunt. Inter ipſos quatuor Epiſt. laudatâ ad Fabium, recenſet Cornelius, Maximum ſcilicet, Urbanum, Sidonium, & Celerinum his verbis: *Maximus Eccleſiæ noſtræ Presbyter & Urbanus, ambo ex Fidei confeſſione egregiam jam ſecundò laudem adepti: Sidonius etiam & Celerinus, vir qui cuncta tormentorum genera per Dei miſericordiam fortiſſimè ſuſtinuit.... Hi omnes cùm illum tandem cognoviſſent, & fraudem ejus ac verſutiam, perjuria quoque atque mendacia, & abhorrentem ab omni ſocietate feritatem & lupinam quamdam in eo amicitiam deprehendiſſent, ad Sanctam Eccleſiam reverſi ſunt: cunctaſque illius præſtigias ac nequitiam, quam jampridem intra ſe occultans ſeſe interim ſubmittebat, præſentibus aliquot Epiſcopis ac Presbyteris & Laicis compluribus evulgarunt; ingemiſcentes ac dolentes, quòd à fraudulenta malignaque beſtia inducti aliquanto temporis ſpatio ab Eccleſia receſſiſſent.*

XIV. Novatianus ergo ſuâ ſacrilegâ Ordinatione inflatus ac tumens, de ea ad omnes Orbis partes Nuntios miſit, miſit & de ſua Cornelius, contrario tamen eventu: ubi enim Ordinatio Cornelii ab omnibus ferè, præſertim Africanis, fuit approbata, electio tamen Novatiani tamquam ſchiſmatica fuit univerſaliter rejecta: neque illi profuerunt calumniæ, quibus tum per Nuntios, tum per Epiſtolas ſuas Cornelii famam obſcurare conabatur; electionis enim legitimæ & Cornelii probitatis communis fama prævaluit. Nec tamen animum tuendi ſchiſmatis Novatianus depoſuit; quin ut ſuos in fide ſibi datâ etiam Sacramento confirmaret, ad hoc exercendum facinus proceſſit, ut dum eis Sacram Euchariſtiam porrigeret, unumquemque jurare cogeret per Corpus & Sanguinem Domini, ſe nunquam ſuas partes deſerturum & ad Cornelium tranſiturum. Ita ex prælaudata Epiſtola ad Fabium Euſebius L.6. cap.43.: *Poſt hæc facinus quoddam ſubjungit omnium, quæ ab illo commiſſa ſunt, longè graviſſimum ita ſcribens. Etenim Oblatione factâ, portionem ſingulis dividens, dum eam tradit, miſeros homines benedictionis loco jurare cogit, manus ejus qui portionem accepit ambabus ſuis manibus comprehenſas retinens, nec priùs dimittens, quàm jurati iſta dixerint: ipſis enim utar illius verbis: Jura mihi per Corpus & Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, te numquam meas partes deſerturum, nec ad*

Cor-

Cornelium esse rediturum. Ita miser ille non priùs gustare sinitur, quàm sibi ipse malum imprecatus sit. Et cùm panem illum accipiens dicere debuisset „ Amen „ *ejus loco dicit: non revertar deinceps ad Cornelium.*

XV. Inanes tamen hujuscemodi conatus evaserunt; nam in dicta Epist. Cornelius sic prosequitur: *Scias porrò, illum jam nudatum ac penè solum remansisse, Fratribus quotidie eum deserentibus & ad Ecclesiam redeuntibus. Quem etiam Moyses beatissimus Martyr, qui nuper apud nos egregio & admirando Martyrio perfunctus est, dum adhuc in vivis esset, audaciam ejus ac furorem perspectum habens, à communione sua se separavit unà cum quinque Presbyteris, qui se pariter cum illo ab Ecclesiæ corpore abruperant.* Et subinde recenset numerum Episcoporum, qui in Urbem Romam convenientes amentiam ejus condemnaverant, & nomina illorum, & quam quisque regebat Ecclesiam; eorum etiam, qui etsi Romæ non adfuissent, superiorum tamen Episcoporum sententiam litteris approbaverunt. Hisce tamen non obstantibus Novatianus, instigante fortè Novato, in schismate perstitit; cui & hæresim adjunxit suo nomine dictam Novatianorum alias Catharorum; de cujus erroribus progressu & exitu suo loco dante Deo sermo erit.

§. II.

Galli & Volusiani Persecutio.

I. INterim dum Ecclesia diro Novatiani schismate laceraretur, à Gentilibus sub Galli & Volusiani exordiis in pace relinquebatur. Verùm sic disponente Deo in exercitium Fidelium hujusmodi pax diuturna non fuit; vix enim elapso Imperii anno, in Christianos Persecutionem intermissam Gallus renovavit; in suimet tamen perniciem: nam ut scribit Dionysius apud Eusebium L.7. cap.1.: *Neque Gallus culpam Decii intellexit nec prospexit quid tandem illum pessumdedisset; quin potiùs ad eumdem lapidem ante oculos suos positum impegit. Qui, cùm Imperium ipsius in prospero statu esset, cunctaque ex animi sententia succederent, Viros Sanctos, qui pro pace & incolumitate ipsius preces ad Deum allegabant, insectatus est. Cum illis ergo orationes pro ipso fieri solitas simul fugavit.*

II. Hanc Persecutionem, potiùs quàm novam, fuisse Decianæ instaurationem colligo; quia nec Augustinus L.18. de Civit. Dei cap.52. nec Sulpitius Severus L.2. cap.46. eam inter Persecu-

fecutiones enumerant. Variis ostentis prænuntiata fuit; quibus moti Episcopi Africani cùm priùs in Concilio quodam statuissent, ut Lapsi nonnisi diù pœnitentiâ actâ admitterentur ad pacem, nisi fortè periculum infirmitatis lethalis urgeret, hâc novâ Persecutione instante decreverunt, omnibus qui pœnitentiam egissent pacem dandam, ut ad passionis tolerantiam fortiores essent. Hoc Decretum nuntiant Cornelio Papæ per Cyprianum Epist.54., ubi relato priori Decreto, subjungitur: *Sed enim cùm videamus diem rursùs alterius infestationis appropinquare cœpisse, & crebris atque assiduis ostensionibus admoneamur, ut ad certamen, quod nobis hostis indicit, armati & parati simus; Plebem etiam nobis de Divina dignatione commissam exhortationibus nostris paremus & omnes omninò Milites Christi, qui arma desiderant & prælium flagitant, intra Castra Domini colligamus: necessitate cogente censuimus, eis qui de Ecclesia Domini non recesserunt, sed pœnitentiam agere & lamentari ac Dominum deprecari à primo lapsus sui die non destiterunt, pacem dandam esse, & eos ad prælium quod imminet armari & instrui oportere. Obtemperandum est namque ostensionibus atque admonitionibus justis, ut à Pastoribus oves in periculo non deserantur, sed grex omnis in unum congregetur & Exercitus Domini ad certamen Militiæ cœlestis armetur.*

Et post multa concluditur: *Placuit nobis Sancto Spiritu suggerente, & Domino per visiones multas & manifestas admonente, quia hostis nobis imminere prænuntiatur & ostenditur, colligere in castra Milites Christi, & examinatis singulorum causis, pacem Lapsis dare, imò pugnaturis arma suggerere: quod credimus vobis quoque paternæ misericordiæ contemplatione placiturum.*

III. Occasio hujus Persecutionis creditur fuisse pestis, quæ Gallo imperante per totum ferè Orbem grassata est. Hæc enim & similia mala Deorum suorum indignationi, quòd eorum cultus à Christianis contemneretur, Ethnici tribuebant. Cùmque eâ in dies crescente Hostilianus quoque Decii filius, quem Gallus adoptaverat & Augustum fecerat, sublatus esset (quamvis aliqui putent ab eo secretò fuisse necatum, ut se à timore liberaret, ne supremam auctoritatem sibi aliquando vindicaret) accedentibus insuper ariditate fame & bellorum motibus, Gallus & Volusianus Deorum opem imploraturi generalibus per omnes Provincias Edictis Deos suos Sacrificiis expiari imperarunt, quod anno 2. eorum Imperii, Christi verò 253., contigisse putatur.

IV. Hinc orta est Persecutio. Nam cùm Christiani toto Orbe diffusi ejusmodi Sacrificia execrarentur, in eos sævire cœ-

ptum est. Et quia S. Cyprianus Fideles suos Carthagine ab eis faciendis consueto pastorali zelo publicè deterrebat, clamore Popularium ad Leonem in Circo denuò postulatus fuit: quod tamen Dei protectus auxilio ad alia tempora reservatus evasit. Imperterritus tamen Christi Miles scripsit tunc Librum *de Exhortatione Martyrii*: imò nec veritus est Demetrianum Proconsulem scripto Libro duriùs increpare, & latiùs comprobare, quòd bella illa, quibus Decii interfecti sunt, & quæ Gallo & Volusiano imperantibus perdurarunt, ac lues illa, quæ totum tunc Orbem pervagata est per annos 15., non Christianis sed Ethnicis sive Gentilibus imputanda veniant, eò quòd Christo bellum indicerent. Postquam enim dixerat Mundi senio omnia deteriora fieri, & appropinquante Mundi fine multiplicari mala & adversa variari (tunc enim proximus Mundi interitus fortè timebatur) ad Demetriani objecta deveniens, ait: *Non enim sicut tua falsa querimonia & imperitia veritatis ignara jactat & clamitat, ista accidunt, quòd Dii vestri à nobis non colantur, sed quòd à vobis non colatur Deus. Nam cùm ipse sit Mundi Dominus & Rector, & cuncta arbitrio ejus & nutu gerantur, nec quidquam fieri possit, nisi quod aut fecerit aut fieri ipse permiserit, utique quando ea fiunt, quæ iram Dei indignantis ostendunt, non propter nos fiunt, à quibus Deus colitur, sed delictis & meritis vestris irrogantur, à quibus Deus omninò nec quæritur nec timetur, nec relictis vanis superstitionibus Religio vera cognoscitur, ut qui Deus unus est omnibus, unus colatur ab omnibus & rogetur. Ipsum denique audi loquentem, ipsum voce Divinâ instruentem, nos pariter ac monentem* ,, Dominum Deum tuum adorabis, *inquit*, & illi soli servies,,. Lucæ 4. *Et iterùm* ,, Non erunt tibi Dii alii absque me,,. Exod. 20. His & aliis pro sui zeli libertate monet Proconsulem Cyprianus.

V. Persecutio hæc primo impetu Fideles Romæ existentes aggressa est, terroribus ac minis ad Diis sacrificandum omnes compellans; putans fortè, ut sub Decio obtinuerat, multos metu perterritos miserabiliter lapsuros; sed deceptam se vidit; omnes Christi Milites pari vi & constantiâ resistentes invenit. Putans se gregem dispergere posse, in Cornelium Pastorem toto furore insiliit; sed fefellit eventus: omnes enim gloriosâ Jesu Christi confessione accurrentes, paratos se ad omnia pro eo sustinenda declararunt, eos & verbis & exemplo Cornelio ipso adhortante. Inter istos multi, qui in Decii Persecutione lapsi fuerant, præcedentes suas ruinas reparaturi sese pleni spiritu erexerunt, nihilque curantes morti se & extremis suppliciis addicendos, Fidem generosè confitebantur.

VI. Exul-

VI. Exultavit ad hæc ex Africa S. Cyprianus, & gaudium suum Epist. 57. Cornelio testatus est; ubi inter alia hæc scribit: *Prosilierat Adversarius terrore violento Christi castra turbare: sed quo impetu venerat, eodem impetu pulsus est, & quantum formidinis & terroris attulit, tantum fortitudinis invenit & roboris. Supplantare se iterùm posse crediderat Dei Servos, & velut tyrones & rudes, quasi minùs paratos & minùs cautos solito suo more concutere. Unum primò aggressus, ut lupus ovem secernere à grege, ut accipiter columbam ab agmine volantium separare tentaverat: nam cui non est adversùs omnes satis virium, circumvenire quærit solitudinem singulorum. Sed retusus adunati Exercitus fide pariter & vigore, intellexit, Milites Christi vigilare jam sobrios & armatos ad prælium stare, vinci non posse, mori posse, & hoc ipso invictos esse, quia mori non timent.... Quale illud fuit sub oculis Dei spectaculum gloriosum? Quale in conspectu Christi Ecclesiæ suæ gaudium; ad pugnam, quam tentaverat hostis inferre, non singulos Milites, sed tota simul castra prodisse? Omnes enim constat venturos fuisse, si audire potuissent, quando accurrerit properanter & venerit quisquis audivit.*

Quot illic lapsi gloriosâ confessione sunt restituti? Steterunt fortes, & ipso dolore pœnitentiæ facti ad prælium fortiores, ut appareat nuper subitatos esse, & novæ atque inauditæ rei pavore trepidasse; rediisse ad se postmodùm, Fidem veram & vires suas de Dei timore collectas, ad omnem patientiam constanter & firmiter roborasse, nec jam stare ad criminis veniam, sed ad passionis coronam. His & artes Persecutorum & concorde Fidelium robur, eorum etiam qui sub Decio lapsi fuerant, eleganter celebrat S. Cyprianus.

VII. Persequentium tamen furor Novatianis pepercit, Dæmone hoc declarante, quos ut inimicos oppugnaret, quos verò ut sua mancipia contemneret. Quamquam etsi eorum aliquis mortem subiisset, ei tamen utpote extra Ecclesiam & caritatem posito nihil ad coronam & gloriam profuisset. Audiamus Sanctum Cyprianum ita prosequentem: *Quid ad hoc Novatianus, Frater carissime? Utrumne jam deponit errorem? An verò (qui dementium mos est) ipsis bonis & prosperis nostris plus adactus est ad furorem? & quò magis ac magis dilectionis ac fidei crescit hìc gloria, illic dissensionis & zeli recrudescit insania: nec vulnus suum miser curat, sed adhuc graviùs & se & suos vulnerat?... Agnoscit ne jam quis sit Sacerdos Dei? quæ sit Ecclesia & domus Christi? qui sint Dei Servi, quos Diabolus infestet? Qui sint Christiani, quos Antichristus impugnet? Neque enim quærit illos, quos jam*

subegit aut gestit evertere, quos suos jam fecit. Inimicus & hostis Ecclesiæ, quos alienavit ab Ecclesia & foràs duxit, ut captivos & vinctos contemnit & præterit; eos pergit lacessere, in quibus Christum cernit habitare. Quamquam etsi aliquis ex talibus fuerit apprehensus, non est quòd sibi quasi in confessione nominis blandiatur, cùm constet, si occisi ejusmodi extra Ecclesiam fuerint, Fidei coronam non esse, sed pœnam potiùs esse perfidiæ; nec in domo Dei inter unanimes habitaturos esse, quos videmus de pacifica & Divina domo furore discordiæ recessisse.

VIII. His ostendit S. Cyprianus, quòd si quis in schismate vel hæresi pro Christo occidatur, non erit ea mors pro Martyrio & corona reputanda, benè tamen si priùs à schismate vel hæresi recedens Ecclesiæ fuerit reunitus. Ita contigisse Hippolyto Antiocheno Presbytero, qui priùs Novatiano adhærens, raptus ad Martyrium, Novatiano ejurato, Catholicæ Ecclesiæ fidem professus est: hujus memoriam recolit Martyrol. Roman. die 30. Januarii his verbis: *Antiochiæ passio Beati Hippolyti Presbyteri, qui Novati schismate aliquantulùm deceptus, sed operante Gratiâ Christi correctus, ad unitatem Ecclesiæ rediit, pro qua & in qua postea illustre Martyrium consummavit. Hìc rogatus à suis, quænam Secta verior esset, execratus dogma Novati, eam Fidem dicens esse servandam, quam Petri Cathedra custodiret, jugulum præbuit.* Hìc notat Baronius, tres fuisse Martyres nomine Hippolytos: unum Presbyterum, de quo hìc; alterum Militem, de quo 13. Augusti; tertium Episcopum Portuensem, de quo 22. ejusdem mensis: quos licèt aliqui pro uno acceperint vel saltem accepisse visi sint, distincti tamen sunt, tum ratione conditionis, tum temporis, tum qualitate Martyrii. De hoc hymnum habet Prudentius, quem recitat Baronius ad ann. 255. num.34.

IX. Quot Martyres Romæ hæc Persecutio Christo dederit, quos ignoramus. Hoc scimus, totum ejus furorem in Cornelium exarsisse. Cùm enim iste boni Pastoris partes exercens, nedum vitam dare pro ovibus paratus esset, sed eas in Fide colligere & firmare continuò studeret, exilio ad Centum-cellas relegatus est. Ad ipsum in exilio dedit Epistolam 57. S. Cyprianus, quâ inter cætera eum celebrat, quòd dux confessionis fratribus extiterit, & confessione ducis fratrum confessio creverit. Quid postea Cornelio acciderit, an scilicet Martyrii supplicio, an exilii ærumnis vitam coronaverit disceptatur. Acta, quæ refert Baronius ad ann.255. num.59., ferunt „ quòd cùm Cornelius unà „ cum Presbyteris & Diaconibus Romanæ Ecclesiæ Centum- „ cellas missus exularet, Volusianus Augustus audiens frequen-

„ quen-

„ quentem ad eum concursum, quòdque multi ad eum scribe-
„ rent, & præsertim ex Africa Cyprianus, jussit eum ad se ad-
„ duci: exhibitumque ei noctu acriter reprehendit, quod nec
„ Deos coleret, nec Principum minas timeret, & contra
„ Rempublicam litteras reciperet ac dirigeret. Cui cùm re-
„ spondisset Cornelius, se nec verbo, nec scripto quidquam
„ contra Principes molitum esse: iratus Imperator eum à suo
„ conspectu amoveri jussit, utque ejus os plumbatis cæderetur,
„ & Sacrificium Marti cogeretur offerre; & si facere recusasset,
„ capite plecteretur. Sed illo repugnante hoc facere, lata est
„ sententia ut duceretur.
„ Tunc Cerealis, cujus curâ Cornelius custodiebatur,
„ rogavit Cornelium, ut veniret in domum suam ac visitaret
„ uxorem nomine Sallustiam à quindecim annis paralyticam.
„ Ingressus est Cornelius cum duobus Presbyteris & uno Cle-
„ rico Cerealis domum; ac præmissâ super ægram oratione te-
„ nens ejus manum præcepit ei in Nomine Jesu ut surgeret.
„ Quæ protinùs surgens clamavit & dixit: Verè Christus est
„ Deus & Dei filius, & conversa ad Cornelium: Conjuro te,
„ inquit, & per Christum, baptiza me, & currens implevit vas
„ aquâ & attulit ei. Viso tanto miraculo, Milites quoque, qui
„ erant cum Cereali omnes se ad Cornelii pedes posuerunt pe-
„ tentes se quoque baptizari. Cornelius videns Dei manum in
„ his omnibus baptizavit eos & obtulit pro eis Sacrificium lau-
„ dis: & sic participati sunt omnes Corpore & Sanguine Domi-
„ ni nostri Jesu Christi.
„ Audivit hæc omnia Imperator, & mittens tenuit omnes,
„ qui erant ex domo Cerealis credentes cum Militibus baptiza-
„ tis: qui simul cum Beato Cornelio ducti sunt ad sacrifican-
„ dum. Ducti sunt autem foràs muros Portæ Appiæ ad Tem-
„ plum Martis ut sacrificarent. Sed illi facere nolentes atque
„ expuentes in Templum decollati sunt unà cum Beatissimo
„ Papa numero viginti unus, & cum eis Cerealis quoque cum
„ uxore sua Sallustia decimo octavo Kalendas Octobris „. In
Martyrol. Rom. eâdem die similia leguntur.

X. Nihilominùs severiores Critici Acta præfata velut mi-
nùs sincera & dubia non acceptant. Licèt enim S. Cornelium
inter Martyres admittant: volunt tamen eum naturali non
violentâ morte in exilio, non Romæ sed Centum-cellis vitam
clausisse: Martyres enim, inquiunt, agnovit semper Ecclesia
etiam eos, qui in carcere vel exilio propter Christum mortui
sunt. Tutius tamen existimo Acta præfata auctoritate Martyro-
logii probata sequi; eò vel maximè quòd S. Hieronymus L. de
Script.

Script. Eccleſ. cap.66. dicit, quòd ſub Gallo & Voluſiano Martyrio coronatus fuit: & in Vita Pauli addit, quòd *Cornelius Romæ & Cyprianus Carthagine felici cruore Martyrium pertulerunt*. Conveniunt tamen omnes, non ſub Decio aut Valeriano, ſed ſub Gallo obiiſſe S. Cornelium. Decio quidèm adhuc vivente Pontificatum aſſumſit anno 251., quem, eo paulò poſt extincto, aliquandiù in pace (ab Ethnicis ſaltem) rexit; ſed à Gallo repentè excitatâ Perſecutione Cornelius una ex primis victimis fuit: quare nec duobus integris annis Eccleſiæ Romanæ præfuit. Cornelio in Sede Romana ſucceſſit Lucius, qui tamen ſub Gallo & Voluſiano capite plexus (ut probabilius cum Baronio ad ann.257. num.2., non ſub Valeriano, ut in Notis Martyrol. 4. Martii dixerat) breviori tempore eam occupavit.

XI. Porrò Gallus & Voluſianus Imperatores Divinam ultionem, quam fuſo Chriſtiano ſanguine provocarant, patratâ nuper Lucii nece vehementiorem in ſe concitando accelerarunt. Siquidem rebellantes Milites, & Æmiliano faventes, eoſdem Imperatores adversùs Æmilianum proficiſcentes, apud Interamnem necaverunt circa menſem Maii anno 253., poſtquam ſolo biennio imperaſſent: brevi quidèm Imperio, ſed Chriſtianorum nece terribili; nam Doduvellus ipſe probat, hanc Perſecutionem fuiſſe Decianâ longè ſæviorem. Si ergo, ut probavi, multi ſub Decio fuerunt coronati, multò plures ſub Gallo paſſos fuiſſe credendum erit præſertim in Africa. Cùm enim Africani Patres Divinis viſionibus admoniti cenſuerint lapſos ad receptionem Euchariſtiæ eſſe admittendos, ne hoc cibo deſtituti ad Martyrium eſſent invalidi; patet, hanc Perſecutionem fuiſſe cruentiſſimam. De facto enim Cyprianus Tract. ad Demetrianum Africæ tunc Proconſulem ſcribit: *Innoxios juſtos Deo caros domo privas, patrimonio ſpolias, catenis premis, carcere includis, beſtiis gladio ignibus punis .... admoves laniandis corporibus longa tormenta, multiplicas lacerandis viſceribus numeroſa ſupplicia, nec feritas atque immanitas tua uſitatis poteſt contenta eſſe tormentis, excogitat novas pœnas ingenioſa crudelitas*.

XII. At quid hinc lucrata eſt veſana barbaries? Velut repentinus turbo adversùs Chriſtianos & præcipuè Cornelium ejuſque Clerum inſurrexit: numquid eos extinxit aut ſaltem metu perculſos diſſipavit? Minimè. Sed quo impetu venerat turbo, eodem impetu fugatus eſt: omnes enim Chriſtiani quaſi agmine facto ſeſe ad Martyrium obtulerunt. Interea Perſecutores victi & Deo vindice interemti cadunt; Eccleſia verò Chriſti ſtat, & è Sanguine Chriſti nata ita ſuorum ſanguine nutritur & creſcit, ut inferiùs oſtendam.

CA-

CAPUT XI.

De Valeriani Persecutione.

§. I.

Initia Imperii & causa Persecutionis.

I. GAllo & Volusiano extinctis, Æmilianus à Militibus Imperator salutatur: sed Licinio Valeriano, qui ab Exercitu in Galliis & Germania fuerat & ipse Imperator acclamatus, in Italiam properante; videntes Milites Æmilianum simplicis Militis potiùs partes agere, quàm Ducis, ideòque ad regnandum ineptum post quatuor menses exactos Imperii eum juxta Spoletum occiderunt, atque ita Valerianus Imperator à toto Orbe agnitus fuit, & Gallienus ejus filius Romæ à Senatu Cæsar declaratus.

II. Si hujus initia Imperii spectentur, nemo in Christianos propensior antea fuit Imperator; nec Philippus ipse, quem supra dixi, Christianum fuisse fama erat. Amorem suum & æstimationem erga illos publicè testabatur; ingentem Servorum Dei in suo Palatio numerum habebat, adeout Ecclesia potiùs videretur. Ita ex Dionysio in Epist. ad Hermam exponit Eusebius L.7. hist. cap.10., ubi cujusmodi Valerianus ante Persecutionem fuerit enarrans, ait: *Mansuetus quidèm ac benignus erat erga famulos Dei. Neque enim ullus superiorum Principum, ne illi quidèm ipsi, qui palàm Christiani fuisse dicuntur* (ut Philippus & Alexander Severus, qui, teste Lampridio, Imaginem Christi habuit in larario suo) *tanta humanitate ac benevolentiâ nostros complexus est, quantam ille præseferebat initio Principatus sui. Totaque ejus Familia piis hominibus abundabat, ac Dei Ecclesia esse videbatur.* Notat autem hìc Valesius, quòd cùm Valerianus septem ferè annis regnaverit, priore quidèm Principatus triennio, vel secundùm alios ferè quadriennio, Christianos benignè complexus est, posteriore triennio autem & ultra Persecutionem intulit Ecclesiæ. Porrò cùm initium Principatus Valeriani cœperit anno 253. circa mensem Augusti, fit ut Persecutio inchoaverit anno 257.. Cùm enim Dionysius apud Eusebium loco citato applicet Valeriano illud Joannis in Apoc. 13. v. 5.: *Et datum est illi os loquens magna & impia, & data est illi potestas & menses quadraginta duo*, qui conficiunt annos tres cum dimidio, fit ut toto hoc tempore Persecutio ejus duraverit.

III. Por-

III. Porrò quamvis hæc Persecutio generalibus Edictis promulgata solùm anno 257. incœperit, initia tamen præsertim Romæ versùs finem anni 256. referri possunt: tunc enim Valeriani animum circa Christianos mutatum fuisse, indicant Acta SS. Marcelli Eusebii Hippolyti & Sociorum, relata à Baronio ad ann. 259. num. 7. & 9., quibus apparet, Christianos ab eo tempore expositos fuisse jacturæ bonorum & etiam vitæ: eos præcipuè, qui Dæmonibus relictis nomen Jesu Christo dabant. Persecutio hæc pro octava numeratur à S. Augustino L. 18. de Civit. Dei cap. 52. & aliis. Summè violentam fuisse testantur Dionysius apud Eusebium L. 7. cap. 11. & Optatus L. 3. cap. 8., qui eam assimilat leoni dicens: *Prima fuit ut leo: hæc erat Persecutio sub Decio & Valeriano*. Et S. Cyprianus Epist. 56. exhortans Plebem Thibaritanam ad Martyrium crediderit occasum seculi in proximo esse: *Scire debetis & pro certo credere ac tenere pressuræ diem super caput esse cœpisse, & occasum sæculi atque Antichristi tempus appropinquasse* &c.

IV. Quid verò in causa fuerit, ut Valeriani amor in odium adeò ferum adversùs Christianos verteretur, refert Dionysius apud Euseb. L. 7. cap. 10., fuisse Macrianum Archisynagogum Magorum Ægypti. Is magicis artibus & Dæmone adjuvante ad rerum summam adspirans & ad familiaritatem Valeriani assumtus, ei suadere cœpit, gratum non esse Diis, quòd tanto amore Christianos eorum hostes ipse prosequeretur: quin potiùs ad eos placandos Christianos ubique insectaretur; promittens ei felicissimum ac diuturnum Imperium. Hâc spe deceptus repentè mutatus Valerianus Christianis atrox bellum indixit, eoque instigante etiam ad crudelia & nefanda Sacrificia Dæmonibus offerenda devenit; atque ita viam ad exitium sibi paravit. Audiatur Dionysius citato loco: *Verùm Magister & Archisynagogus Magorum Ægypti ei tandem persuasit, ut ab hoc instituto descisceret: jubens, ut castos quidèm & sanctos Viros persequeretur atque occideret; quippe qui scelestis ac detestandis incantationibus adversarentur atque obstarent. Erant enim & sunt etiamnum ejusmodi, qui vel præsentiâ vel aspectu suo, & insufflantes dumtaxat ac vocem edentes Dæmonum præstigias disturbare possunt. Initiationes autem impuras & abominanda maleficia & Sacrificia execranda peragere eum jussit, miseros infantes mactare, immolare liberos infelicium parentum, recèns natorum rimari viscera, Dei figmenta atque opera discerpere ac detruncare, quasi hoc facto ad summam felicitatem esset perventurus*. Hæc Dionysius Alexandrinus. Quibus Macrianus vel nolens potentiam Christianorum fatetur, qui vel flatu vel voce vel solâ præsentiâ magicas Dæmonum artes poterant disturbare.

§. II. *Ini-*

§. II.

Initia Persecutionis Romæ & S. Stephani aliorumque Martyrium.

I. Valerianus ergo Macriano instigante ex Protectore factus Christianorum Persecutor, ad eorum cædes saltem Romæ statim prorupit. Primi ejus furorem experti fuerunt Maximus, Eusebius Presbyter, Marcellus Diaconus, Adrias, Paulina, & Neon, Maria, Martana, & Aurelia, de quibus Martyrol. 2. Decembris. Horum Acta ex veteri Codice S. Mariæ ad Martyres Romæ tanquam legitima exhibet Baronius ad an. 259. à num. 8., quæ compendio referam. Valerio & Acilio Consulibus Hippolytus Civis Romanus Christianam vitam solitarius agebat in cryptis, ad quem quamplures Gentilium confluebant, & ad Christum conversos ad Stephanum Papam ducebat ut baptizarentur. Cùmque hoc crebriùs fieret, ad notitiam Præfecti Urbis pervenit, qui rem Valeriano detulit. Id cùm Hippolytus rescivisset, Stephano Papæ nuntiavit, qui collectâ multitudine Christianorum eos adhortatus est ad fortiter tollendam Crucem; addens, si quis eorum propinquum haberet adhuc Gentilem, eum adduceret ad se, ut baptizaretur.

Tunc Hippolytus ad pedes Stephani provolutus: Habeo, inquit, Nepotem decennem & germanam ejus annorum tredecim adhuc Gentiles. Horum mater Paulina & Adrias pater adhuc Gentiles, filios tamen aliquando ad me mittunt. Tunc Stephanus ei suasit, ut cùm iterùm mitterentur, eos apud se teneret, ut eâ occasione etiam parentes veniant, & omnes simul lucraretur Christo. Transacto biduo prædicti pueri cibaria quædam ferentes ad Hippolytum venerunt, quos ille detinuit, & Beato Stephano nuntiavit, qui accurrens eos amplexatus est. Accurrerunt parentes solliciti pro filiis, quos Stephanus loquens de horrore futuri Judicii & Gloriâ Beatorum, eos unà cum Hippolyto Idola relinquere hortatus est. Respondit Abdias, se spoliari bonis & cædi gladio, quæ Christianorum pœna erat, timere. Idipsum inculcavit soror Hippolyti Paulina, invehens in eum, qui hæc suaderet; erat enim à Religione Christiana abhorrens. Sic re infectâ non tamen desperatâ recesserunt.

II. Quare B. Stephanus vocans ad se Eusebium Presbyterum, & Marcellum Diaconum misit eos ad Adriam & Paulinam, qui vocati in Arenarium, ubi erat Hippolytus, advenien-

tes, ab Eusebio his verbis salutati sunt: Expectat vos Christus, ut cum ipso introeatis in Regnum Cœlorum. Paulinâ autem contradicente & objiciente gloriam Mundi hujus, pluribus ei insinuavit veram gloriam non esse aliam quàm Regni cœlestis, & hanc sine Fide & Baptismo non esse assecuturos. Quibus commota Paulina distulit responsum in sequentem diem. Contigit autem, ut eâdem nocte parentes quidam Fideles ducerent ad Eusebium Pontianum filium suum paralyticum, petentes, ut baptizaret eum, qui ab eodem baptizatus statim sanatus est, & soluto etiam vinculo linguæ laudabat Deum. Tunc Eusebius obtulit Sacrificium & omnes Corpore & Sanguine Christi roborati sunt. Quod cùm Stephanus cognovisset, venit ad eos, & omnes simul gavisi sunt.

Mane autem facto redierunt Adrias & Paulina, qui cùm accepissent de sanitate pueri, admirati & corde compuncti, prosternentes se petierunt & ipsi baptizari. Hoc audiens Hippolytus & gratias agens Deo rogavit B. Stephanum, ut eos baptizaret. Qui interrogatis eis, an verè credant, & an omnem dubitationem deposuerint, indixit jejunium & catechismum, & eos benè instructos & stabiles inveniens, baptizavit omnes, & posito signaculo Christi vocavit puerum Neonem, puellam Mariam & obtulit pro eis Sacrificium, quo participati sunt omnes. Tunc B. Stephanus discessit, & omnes recèns baptizati in eodem Arenario cum Hippolyto, Eusebio, & Marcello habitare cœperunt: bona autem quæ habebant in Urbe erogavere pauperibus. Hæc initia Gratiæ Christi: fortiora sunt quæ sequentur.

„ III. Facto hoc evulgato & ad Valerianum delato, eos „ inquiri jussit, dimidium bonorum ipsorum spondens ei qui „ ipsos inveniret. Maximus Commentariensis (qui scilicet car- „ ceribus detentorum nomina & dies adnotabat) hâc spe ille- „ ctus, ut eos invenire posset, finxit se Christianum ac stipe „ egentem, & veniens in Cælium Montem, mansit ibi mendi- „ cans. Cùm autem transiens cum sociis Adrias eleemosynas „ erogaret, Maximus volens experiri, an ille esset quem quæ- „ reret, ait: Per Christum quem credo, rogo ut facias miseri- „ cordiam super egestatem meam. Tunc Adrias misertus illius, „ jussit se illum sequi. At dum intraret domum, Maximus „ corripitur à Dæmone & clamavit: Viri Dei, ego divulgator „ sum vestri: video super me ignem densissimum: orate pro „ me, quia crucior igne. Mox illis orantibus & sternentibus se, „ Maximus curatus est. Cùmque elevarent eum de terra cla- „ mare cœpit: Pereant Deorum cultores: ego Baptismum peto.

„ Du-

„ Duxerunt illum ad B. Stephanum, qui illum erudiens de-
„ mum baptizavit, factusque Christianus habitare voluit unà
„ cum Stephano Episcopo aliquot diebus.

„ Post multos autem dies requisitus Maximus Commenta-
„ riensis & non inventus, nuntiatur Valeriano, ipsum factum
„ esse Christianum; qui missis aliis ex Scrinio in domum ejus,
„ invenerunt eum prostratum orantem: tenentesque duxerunt
„ ad Valerianum. Cui ille: sic, inquit, cæcatus es pecuniis,
„ ut promissionibus tuis me falleres? At Maximus: Hactenùs,
„ inquit, cæcus fui, modò illuminatus video. Quo lumine?
„ inquit ille. Respondet Maximus: in Fide Domini nostri Jesu
„ Christi. Tunc iratus Valerianus jussit eum præcipitari per
„ pontem. Postea autem corpus inventum Eusebius sepelivit in
„ cœmeterio Callixti viâ Appiâ decimo tertio Kalendas Fe-
„ bruarias „. Sic qui ad Fidem venit novissimus, accepit coronam primus.

IV. Post hæc Valerianus misit septuaginta Milites, qui inventos adduxerunt Eusebium, Adriam, Hippolytum, Paulinam & filios; Marcellus verò Diaconus eis occurrens exprobravit Valeriano, quòd amici veritatis jussi sint teneri. Omnes ergo Judici præsentati ac singuli interrogati & constantes reperti, in carcerem simul conjecti sunt. Post triduum Secundianus Judex omnia genera tormentorum parari jussit, ac omnibus cum Adria introductis, Palladi sacrificare jussi sunt. Qui omnes in Idolum expuentes jussi sunt expoliari nudi extendi ac fustibus cædi. Cùmque Paulina acriùs cæderetur, reddidit Deo spiritum. Hoc videns Judex sententiam capitis dixit in Eusebium & Marcellum, qui ducti ad locum Pastoris ibi decollati sunt. Post hæc Adrias cum Hippolyto adductus, & tortis Neone & Mariâ filiis, cùm hortante Patre fortes clamarent, Christe adjuva nos, coram ipso gladio necati sunt. Tandem Adrias & Hippolytus ante tribunal positi ac jussi Idolis thus offerre, cùm intrepidè negarent, ac proinde tormentis affecti ac diutissimè cæsi, tandem gloriosum Martyrium morte consummarunt. Hæc distinctiùs in præfatis Actis leguntur. Judicet qui legerit, an ista humanis viribus sint tribuenda, an potiùs Divinæ potentiæ, tanta vel in Femina & pueris supra conditionem naturæ operanti.

Addunt Acta prælaudata apud Baron. ann.259. num.19., quòd post menses novem Romam venerunt è Græcia Marthana seu Martha & Aurelia ejus filia ambæ Christianæ, & Adriæ ac Paulinæ sanguine junctæ: cùmque eos quærerent nec invenirent, audientes Martyrio coronatos esse, gavisæ sunt. Et inqui-

rentes de corporibus illorum, & inventis, ibidem diebus ac noctibus vigilantes in Orationibus permanserunt usque ad annos tredecim, post quos in pace quieverunt. Quare immeritò Martyrol. Rom. die 2. Decembris eas cum aliis, qui sub Valeriano passi sunt, nempè cum Adria Paulina &c. conjungit.

V. Hoc eodem an. 256. vel 257. Stephanus cùm rexisset Ecclesiam annos quatuor & ferè sex menses (sive ut Baronius ad an. 260. num. 2. annos tres, menses tres & dies viginti duos, vel biennio tantùm ut Eusebius L. 7. hist. cap. 5.) ac sui zeli pro Fide Christi & in controversia cum S. Cypriano de Baptismo Hæreticorum egregia testimonia dedisset, Martyrio & ipse coronatus fuit. Hujus Acta per extensum exhibet Baronius citatus num. 3. &c. Ferunt ergo, Valerianum in deterius ruentem jussisse, ut Stephanus & quotquot Romanæ Ecclesiæ Clerici inveniri possent capti pœnis afficerentur. Accidit ut ex istis duodecim comprehenderentur, nimirùm Bonus, Faustus, Maurus, Primitivus, Calumniosus, Joannes, Exuperantius, Cyrillus, Theodorus, Basilius, Castulus, & Honoratus; qui absque audientia statim viâ Latinâ decollati sunt. De his Martyrol. 1. Augusti. Horum corpora Tertullinus quidam fortè adhuc Gentilis collegit ac sepelivit. Hunc ad se vocatum B. Stephanus de Regno Dei ac Vita Æterna erudiens baptizavit & Presbyterio consignavit. Biduo post Baptismum Tertullinus ductus ad Valerianum, cùm ad interrogata constans persisteret, priùs fustibus cæsus, dein lateribus tacibus adustis, tandem decollatur. Ejus memoria in Martyrol. Rom. colitur die 4. Augusti.

VI. Post hæc Valerianus misit Milites, qui S. Stephanum & eos qui cum eo erant Clericos tenerent. Capti ad Valerianum ducti sunt, qui Stephanum tantùm ad se perductum increpare cœpit, quòd ipse esset qui Rempublicam conaretur evertere, & suasionibus suis Populum ab Idolorum cultu separaret. Cui cùm respondisset Stephanus, se Rempublicam non evertere sed firmare, Populum ducendo ad veri Dei cognitionem; jussit Valerianus eum ad Templum Martis adduci. Quò cùm pervenisset, Deum precatus est, ut locum illum destrueret, in quo Diabolus superstitione Populum decipiebat. Quo dicto, factoque tonitruo & fulgure percussum Templum ex parte corruit, Militesque fugientes reliquerunt Stephanum solum, qui cum suis perrexit ad Cœmeterium Lucinæ, ibique suos exhortatus ad tolerantiam Martyrii, Sacrificium Deo omnipotenti offerre decrevit.

Audiens hæc Valerianus misit ad eum capiendum Milites, qui

qui eum Sacrificium offerentem invenerunt. Ibi intrepidè Sacra prosequens Mysteria ante Altare in sua Sede decollatus est. Porrò planctum magnum, quòd tanto Pastore essent orbati, Christiani fecerunt, ac sepelierunt corpus ejus cum ipsa Sede sanguine ejus aspersa in loco qui dicitur Cœmeterium Callixti ubi asservatur.

VII. Non latet, aliquos S. Stephani Martyrium revocare in dubium ex silentio Augustini, Eusebii, ac Lirinensis, qui de ejus Martyrio nihil dicunt. Verùm omnes, qui de ejus morte loquuntur, eum Martyrio coronatum & quidèm capitis obtruncatione fatentur, inter quos Anastasius Bibliothecarius. Quibus accedit Ecclesia Latina Martyrol. 2. Augusti, & Græca in Menol. Basilii eâdem die, ubi totam historiam referens ait: *Stephanus sacer Martyr fuit Valeriano Imperatore ex Urbe Roma. Cùm autem propter persecutionem sub domuncula latitaret, eos qui ad ipsum ex Gentibus accedebant baptizabat; Diaconos & Presbyteros consecrabat, Deumque precabatur pro Mundi salute. Sanitati verò per ipsum restituta filia Emesii Tribuni Plebis, non modò illum, sed Virorum etiam Mulierumque multitudinem induxit, ut baptizarentur; qui variis consumti sunt cruciatibus. Horum autem Reliquias colligens Pontifex Stephanus honorificè sepelivit. Exin Templum Martis coactus introire & adorare, ingressus Deumque precatus prostravit Idolum. Post hæc dum Sacris ipse fungeretur, capite obtruncatur, ac depositus fuit in ipsa Cathedra simul cum suo Discipulo, qui manu sanctum Fidei Symbolum tenebat.*

VIII. Postremis hisce verbis indicari videtur, quod præfata S. Stephani Acta in fine referunt, & eisdem ferè recitat Martyrol. Rom. 15. Augusti de S. Tharsicio Acolytho, *quem Pagani cùm invenissent Corporis Christi Sacramenta portantem, cœperunt disquirere quid gereret: at ille indignum judicans porcis prodere margaritas, tamdiù ab illis mactatus est fustibus & lapidibus, donec exhalaret spiritum: & involuto ejus corpore sacrilegi discussores, nihil Sacramentorum Christi in manibus aut in vestibus invenerunt.* Is ergo ille est, cujus corpus in eodem Cœmeterio unà cum S. Stephano depositum fuisse Græci tradunt.

IX. Nec est quòd mireris (inquit Baronius in Notis ibi) cùm audis Acolythum Christi Corporis Sacramenta portantem. Olim etenim ingruentibus Persecutionibus, cùm non esset liberum Christianis quando vellent ad Ecclesiam convenire ac Synaxim celebrare, permittebatur etiam Laicis domum ferre Eucharistiam certis diebus sumendam; quod habetur ex Tertulliano L. 2. ad Uxorem cap. 5., Cypriano L. de Lapsis, Clement.

Ale-

Alexandr. L.1. Stromat. pag.271.. Imò redditâ etiam Ecclesiæ pace sub Christianis atque Orthodoxis Imperatoribus idem usus aliquandiù perseveravit, donec tandem fuit sublatus. De hoc egi Tomo 14. Theolog. Tract. de Eucharist. qu.4. Dub. 1. §. 3., ubi Studiosus plenam de hac re notitiam acquirere poterit.

X. Eodem anno, & fortè ante Stephanum Romæ sub Junio Donato Præfecto passæ sunt SS. Virgines Ruffina & Secunda sorores. Erant istæ ex Familia Senatoria Asterii filiæ (Viri non tam nobilitate generis quàm pietate illustris, ut infra dicam) & Christianam Religionem professæ, quæ sponsione promissæ erant Armentario & Verino professione similiter tunc Christianis. Verùm cùm hi Valeriani persecutione irruente Christo ejusque Fidei renuntiassent, ad sui exemplum imitandum Virgines sibi desponsatas seducere modis omnibus conati sunt. At illæ nuptiis potiùs, quàm Christo renuntiantes, imò Christo Virginitatem voventes, Româ abscedere statuerunt. Hoc cùm rescivissent Sponsi eas, dum jam quatuor aut quinque leucis ab Urbe abessent, detineri & ad Donatum Præfectum adduci curarunt: coram quo cùm constantes in Christi Fide perseverassent, extra Urbem ductæ & variis tormentis cruciatæ, capite plexæ sunt. De his Martyrol. Rom. 10. Julii hæc habet: *Romæ Sanctarum Virginum & Martyrum Ruffinæ & Secundæ sororum, quæ in Persecutione Valeriani & Gallieni tormentis subactæ, ad ultimum altera gladio capite illiso, altera cæsâ cervice migravit in Cœlum. Quarum corpora in Basilica Lateranensi propè Baptisterium debito honore servantur.*

§. III.

Ecclesiæ Ministros præcipuè insequitur.

I. Porrò quamvis hæc Persecutio in suis initiis fuerit violenta Romæ, ut ex dictis apparet, quia fortè vel Ministri ibi sæviores erant, dum viderent Idolorum cultum in dies extingui, Gentilibus ad cœmeteria & Fidelium cœtus turmatim confluentibus & nomen Christo dantibus: in aliis tamen Imperii Provinciis initio mitiorem fuisse colligitur ex Actis Authenticis S.Cypriani, ubi habetur, anno 257. ab Imperatoribus Valeriano & Gallieno ad Aspasium Paternum Africæ Proconsulem datas fuisse litteras, quibus jubebantur Romanas Cæremonias observare etiam ii, qui Romanorum Religionem minimè servabant, nullâ de Christo ejurando factâ mentione, solâ exilii pœnâ illis in-

indictâ, qui parere recusassent, eis inhibendo ne imposterùm conventus facerent.

II. Totum hoc probat factum Æmiliani cum S. Dionysio Alexandrino, qui ab isto non postulavit, ut Christum desereret; sed ut Romanorum quoque Deos coleret: quòd cùm S. Dionysius hoc facere recusasset, exilio ipsum mulctavit. Audiamus Dionysium ipsum apud Eusebium L.7. cap.11. ita ex Actis publicis scribentem: *Inducto Dionysio, Fausto, Maximo, Marcello, & Chæremone, Æmilianus Præfectus dixit: Non solùm scripto, sed etiam vivâ voce vobiscum disserui de humanitate Principum nostrorum, quâ illi erga vos utuntur. Vobis enim potestatem fecerunt salutis vestræ retinendæ, dummodò ad id quod naturæ consentaneum est ferri, Deosque Imperii illorum custodes adorare, & eorum quæ naturæ ipsi repugnant oblivisci velletis. Quid ergo ad hæc dicitis? Neque enim vos ingrato animo fore spero adversùs eorum clementiam; quippè cùm ad meliora vos traducere conentur. Dionysius respondit:* Non omnes ab omnibus coluntur Dii; sed eos singuli colunt, quos arbitrantur Deos. Nos quidèm unum Deum omnium rerum opificem, qui Valeriano & Gallieno sacratissimis Augustis Imperium tradidit, colimus & adoramus. Huic continuas preces offerimus pro Imperio illorum, ut stabile & inconcussum permaneat: *Æmilianus Præfectus iterùm dixit: Quis verò vos prohibet, quo minùs & hunc, siquidèm Deus est, cum iis qui naturâ Dii sunt adoretis? Deos enim colere jussi estis, eosque quos cuncti norunt Deos. Dionysius respondit:* Nos nullum alium adoramus. *Æmilianus Præfectus dixit: Video vos ingratos esse simul ac stupidos, qui clementiam Augustorum minimè sentiatis. Quamobrem non manebitis in hac Urbe, sed mittemini in partes Lybiæ ad locum qui dicitur Cephro. Hunc enim locum jussu Augustorum nostrorum elegi. Nullatenùs autem licebit vobis, nec quibuscumque aliis, conventus agere, aut ea quæ vocantur Cœmeteria adire. Quod si quis ad eum quem jussi locum minimè profectus deprehendetur, aut in conventu aliquo fuerit inventus, is sibi ipse periculum arcesset; non enim deerit congrua animadversio. Abscedite igitur quò jussi estis.* Tantâque festinatione executioni demandatum fuit, ut Dionysius ipse addat: *Statimque me, tametsi ægrotantem, proficisci compulit, ne diei quidèm unius dilatione concessa.*

III. Sed quis contra Deum prævalebit? Abierunt quidèm Dionysius & socii, sed Conventus agere Deo adjuvante non destiterunt: subdit enim Dionysius: *Verùm eos qui in Urbe erant, perinde ac si adessem, majore studio congregavi in Ecclesiam, absens quidèm corpore, ut jam dixi, animo autem præsens.* (Quibus patet

tet solos Ecclesiæ Ministros exilio fuisse mulctatos) *Apud Cephro verò nobiscum magna Fidelium affuit multitudo, partim eorum, qui nos ab Vrbe secuti fuerant, partim aliorum qui ex reliqua Ægypto confluebant. Ibi quoque januam nobis patefecit Deus ad prædicationem Verbi sui. Et initio quidèm persecutionem passi, & lapidibus impetiti sumus; postmodùm verò non pauci ex Gentilibus relictis simulacris ad Deum conversi sunt: tunc enim primùm apud illos Verbi Divini per nos sparsa sunt semina, cùm illud antea non suscepissent. Ac prorsùs quasi Deus ejus rei causâ nos ad illos perduxisset, postquam illud ministerium implevimus iterùm nos aliò transtulit*, nimirùm ad Regionem, quam Dionysius vocat *Colluthionis*, ut eis adimeret occasionem Fidei disseminandæ, sed contrarium evenit. Sicque dum Christi hostes omnia moliebantur, ut ejus Fidem extinguerent, nescientes ac nolentes ad eam propagandam ejus Ministros mittebant, ut in eis impleretur illud Psalm. 20. v. 12. *Cogitaverunt consilia quæ non potuerunt stabilire*; quia (Psalm. 32. v. 10.) *Dominus dissipat consilia Gentium: reprobat autem cogitationes Populorum & reprobat consilia Principum. Consilium autem Domini in æternum manet.*

IV. Verùm ad tantam rei evidentiam voluit Gentilitas cæcutire. Anno 258. circa medium, cùm Valerianus iter in Orientem contra Persas direxisset, Rescriptum ad Senatum dedit, quo præcipiebat, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi absque dilatione è medio tollerentur: Senatores, Viri conditione illustres, Equites Romani statim dignitate & bonis privarentur; et si in confessione Christi persisterent, capite plecterentur. Mulieres genere nobiles bonis omnibus spoliatæ in exilium mitterentur, & Cæsariani, nempè de domo Cæsaris, qui Christum jam confessi essent vel imposterùm confiterentur, eorum bonis Fisco addictis, catenis vincti in terras dominii dispergerentur. Ita ex Cypriani Epist. 82., cujus verba infra §.4. num.4. subjiciam. Terribile sanè mandatum, quo tamen Christiani, qui de Populo erant, comprehensi non leguntur. Et quidèm dum S. Cyprianus Carthagine iret ad Martyrium copiosa Fidelium multitudo eum impunè sequebatur. Idem S. Fructuoso Tarraconensi Episcopo contigit; aliisque Sanctis Martyiribus fidelis Populus, Gentilibus ipsis videntibus, præstabat caritatis officia. Non ibo tamen inficias, alios etiam Viros simplices de Populo ac nullâ Ecclesiasticâ seu civili dignitate præditos Martyrium subiisse, ut Catechumenos Laicos & Feminas: quo fit, ut multi etiam ex Laicis pro Christo sanguinem fuderint, maximè si specialiter de Fide interrogati eam constantes profiterentur. Negari tamen
non

non poteſt, præfatum Valeriani Edictum Eccleſiæ Miniſtros, alioſque in dignitate aliqua Laicali conſtitutos directè ac expreſsè reſpexiſſe; cùm enim maxima Populi pars in omnibus Provinciis Chriſtum jam eſſet amplexa, fortè timuit, ne ſi omnes communiter ad necem tentaret, vel commotiones inſurgerent, vel Mundum hominibus deſolatum relinqueret.

§. IV.

SS. Sixti II. & Laurentii Martyrium.

I. IN Epiſcopos igitur, Presbyteros, Diaconos alioſque Eccleſiæ Miniſtros, ut his deſtituta faciliùs rueret, ſæviebatur. Inter primos, in quos Perſecutionis impetum Valerianus immiſit, fuere Sixtus Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus & Laurentius ejuſdem Diaconus ſeu Archidiaconus. Stephano Papâ, ut dixi, Martyrio coronato 2. Auguſti 257., in ejus locum Sixtus ſeu Xiſtus ordine II. (ut creditur 24. Auguſti) electus fuit, origine Athenienſis, ut volunt aliqui, imò & profeſſione Philoſophus, falsò tamen ut puto. Hunc fuiſſe Diaconum Sixtum, qui cum S. Stephano carceri mancipatus fuit, & cui ſex diebus ante Martyrium è carcere dimiſſo omnia vaſa & argenta Eccleſiæ Stephanus concredidit, cenſet Anaſtaſius cap.24.: vix tamen credi poteſt, Sixtum Stephani in carcere ſocium è carcere fuiſſe dimiſſum.

II. Sixtum rexiſſe Eccleſiam annos duos menſes undecim dies ſex, ſcribit Anaſtaſius cap.25.: alii autem ut Baronius, & communiter, vix anno uno. Brevi tamen ſpatio explevit tempora multa; nam zelo conjungens animum pacis amantem, nedum in hoſtes Eccleſiam exteriùs invadentes fortem ſeſe oſtendit, ſed vigilans etiam ſuper iis, qui eam interiùs lacerabant, diſſenſionem de Baptiſmo Hæreticorum, quæ Stephanum inter ac Cyprianum exarſerat, vel extinxit vel caritate ſopivit. De hoc tres ad eum dedit Epiſtolas S. Dionyſius, ut apud Euſebium L.7. cap.5. & 9. Sapientiam itidem manifeſtavit, dum in Romanæ Eccleſiæ Archidiaconum elegit S. Laurentium, de quo ſtatim ſermo erit.

III. Verùm cùm anno 258. Perſecutio in dies augeretur vi Reſcripti ſupra ex S. Cypriano relati, quod Valerianus ad Senatum direxerat: tunc enim quotquot Romæ erant Judices, conſpiratione factâ, Chriſtianos omnes præcipuè Eccleſiæ Miniſtros, qui in eorum manus inciderant, morti tradebant. Ex his una ex primis victimis eorum crudelitati immolatis Sixtus fuit, primus

Ecclesiæ Pastor, cujus zelo cæteri ad Martyrium accendebantur. Comprehensus itaque Sixtus confestim capite truncatus fuit. Ita Anastasius cap.25. & Martyrol. Rom. die 6. Augusti, ubi ei in Martyrio socii asseruntur Felicissimus & Agapitus Diaconi, & Januarius, Magnus, Innocentius, & Stephanus Subdiaconi. His tamen omissis, unum solum cum eo passum nomine Quartum scribit S. Cyprianus Epist. 82. ad Successum his verbis: *Xixtum autem in Cœmeterio animadversum sciatis octavo Iduum Augustarum, & cum eodem Quartum*. Horum tamen omissio, ait Baronius ad ann. 261. n.4., contingere potuit, quia cùm solus Quartus passus sit in eodem loco quo S. Sixtus, nempè in Cœmeterio Callisti viâ Appiâ, alii verò sex in Cœmeterio Prætextati, & fortè aliis in locis, licèt eâdem die; nuntii festinanter ad Cyprianum redeuntes, de solo Sixto & Quarto retulerunt, cæteros eâdem die in Urbe passos, ut sibi non compertos omiserunt. Cæterùm Martyrol. Rom. cum præfatis sex Martyribus jungit etiam Quartum octavo Idus Augusti dicens: *Passus est etiam cum eis Beatus Quartus, ut scribit S. Cyprianus*.

Dixi B. Sixtum fuisse capite plexum. Unus Prudentius Hymno 2. eum Cruci affixum tradit his versibus:

Jam Sixtus affixus Cruci,
Laurentium flentem videns
Crucis sub ipso stipite &c.

Sed nullus est præter ipsum, qui hoc asserat. Probabilius ergo est, quòd cùm Valeriani Edicto vetitum esset Christianis sub pœna capitis Cœmeteria ingredi, inventum in Cœmeterio Callisti Xistum, Judex ceu Legis transgressorem ibi capite truncari illicò jusserit.

IV. Post triduum à Sixti Martyrio, nempè quarto Idus Augusti primarius Diaconorum Laurentius illustre Martyrium perpessus est. Hinc audiendi non sunt, qui volunt, S. Laurentium sub Decio coronatum Martyrio fuisse, inter quos est Eusebius in Chronico. Nam certum est, Laurentium Sixti II. Papæ Diaconum fuisse, & post passionem Sixti passum fuisse: sub Decio autem Romana Sedes plus quàm anno vacavit, deinde electus fuit Cornelius, postea Lucius, deinde Stephanus, qui sub Valeriano capite truncatus successorem habuit Sixtum. Hunc eodem Valeriano imperante Martyrio coronatum post triduum S. Laurentius ejus Diaconus secutus est. Ex his patet, nullum sub Decio Romanam Sedem occupasse Sixtum, & proinde Sixtum Papam, non sub Decio, sed sub Valeriano, sub quo sedit, obiisse. Nemo autem deceptionem hanc clariùs tollere potest, quàm San-

Sanctus Cyprianus, qui dum B.Sixtus passus fuit adhuc vivens, hoc sub Valeriano Imperatore contigisse tanquam rem certam tradit Epist.82. ad Successum his verbis: *Multa enim varia & incerta opinionibus ventilantur; quæ autem sunt in vero ita se habent. Rescripsisse Valerianum ad Senatum, ut Episcopi & Presbyteri & Diacones incontinenti animadvertantur: Senatores verò & Viri egregii & Equites Romani, dignitate amissâ, etiam bonis spolientur, & si ademtis facultatibus Christiani esse perseveraverint, capite quoque mulctentur: Matronæ ademtis bonis in exilium relegentur: Cæsariani quicumque vel priùs confessi fuerant vel nunc confessi fuerint confiscentur, & vincti in Cæsarianas Possessiones descripti mittantur*. (En ferale Edictum): deinde prosequitur: *Subjecit etiam Valerianus Imperator orationis suæ exemplum litterarum, quas ad Præsides Provinciarum de nobis fecit: quas litteras quotidie speramus venire, stantes secundùm Fidei firmitatem ad passionis tolerantiam, & expectantes de ope & indulgentia Domini vitæ æternæ coronam*. (Vide Cypriani fortitudinem Martyrium sperantis ac desiderantis, non timentis). Deinde subdit: *Xistum autem in Cæmeterio animadversum sciatis octavo Iduum Augustarum die, & cum eodem Quartum*. Quid ergo clarius, ut afferamus, S. Sixtum sub Valeriano coronatum, & consequenter etiam S. Laurentium triduo post eâdem coronâ insignitum?

V. Adeò celebris inter Sanctos Martyres fuit apud veteres Patres Laurentius, ut in ejus laudes certatim conspirarint. Præter Prudentium Hymno 2., quem integrum exhibet P.Ruinart. pag.189., eum laudarunt S. Ambrosius infra referendus, S.Augustinus Serm.302., & tribus sequentibus, & præcipuè Serm.303. ubi ait: *Quàm non potest abscondi Roma, tam non potest abscondi Laurentii corona*. Petrus Chrysologus Serm. 135. affirmat, egregia hujus Martyris merita nullam partem Orbis Romani ignorare. S. Leo Serm.83.: *Ita* (inquit, Dominus) *per universum Mundum clarificavit gloriam suam, ut à Solis ortu usque ad occasum, Leviticorum luminum coruscante fulgore, quàm clarificata est Jerosolyma Stephano, tam illustris fieret Roma Laurentio*. Sanctus Maximus Taurinensis de eo tres homilias habuit, quæ extant in Biblioth. PP.. His adjungi possunt Damasus Papa Carminibus 18. 19. 20. 37. & 38., Gregorius Magnus pluribus in locis, Gregorius Turonensis L. de Glor. Mart. cap.42. L.1. hist. cap.30., & alii ferè innumeri.

VI. Verùm etiamsi tot SS. PP. testimonia ad nos non pervenissent, Laurentii gloriæ præcones haberemus lapides ipsos tot Ecclesiarum, quæ primis Ecclesiæ pacis temporibus in hujus

Martyris memoriam erectæ fuerunt. Unam Ravennæ extructam, in qua quidam meritis Laurentii sanatus fuit, memorat S. Augustinus Serm. 372.: alias fuisse in Galliis, referunt Gregorius Turonensis loco citato, & Fortunatus L. 9. poemat. 14., omnibus illustriores sunt tum quæ extra Urbis Romæ muros inter septem Ecclesias locum obtinet, tum quæ Romæ titulo S. Laurentii in Damaso, quia ab hoc Pontifice vel constructa vel restaurata nuncupatur, ibidem etiam S. Laurentii in Lucina, & aliæ summo in honore habentur. Certè jam tempore S. Augustini inter præcipuos Romæ Patronos recensebatur S. Laurentius, ut patet ex ejus Sermone 296., ubi agens de Sanctorum Reliquiis, quæ Romæ asservabantur, unicum Laurentium cum Apostolis Petro & Paulo exprimit. Item Gregorius Magnus L. 4. Epist. 30. ad Constantinam Augustam scribit, quòd cùm inconsideratè quidam S. Laurentii sepulcrum aperuissent, omnes intra decem dies defuncti sunt. Et L. 3. Epist. 33. ad Dynamium transmittit unà cum Cruce de Catenis S. Petri etiam partem *de Beati Laurentii Craticula, in qua perustus est . . ., ut hoc ubi corpus illius pro Veritate crematum est, vestram mentem ad amorem Domini accendat*. Prætereo insignem Basilicam in ejus honorem à Pulcheria Augusta Constantinopoli erectam, & à Justiniano Imperatore ampliatam, & alias: Hæc enim ad præsens satis sunt, ut videas in hoc potentem manum Dei, quæ dum Persecutores Fidelium nece eos extinguere, & ab omnium memoria delere conabantur, effecit, ut toto Orbe insignes evaderent, & eorum memoria immortalis fieret & ab omnibus celebraretur.

VII. Nunc de Persona & Martyrio S. Laurentii agendum est. Eum fuisse gente Hispanum, & à Sixto II. dum esset in Hispania Legatus Romam adductum, sentiunt aliqui, ejusque Parentes fuisse Orientium & Patientiam Oscæ Martyrio coronatos, de quibus Martyrol. Rom. 1. Maii: quod ex veteribus Ecclesiæ Oscensis monumentis se colligere autumant. Verùm recentioribus Criticis suspecta hæc redduntur, eò vel maximè, quòd Prudentius & ipse Hispanus, alioquin in gloriam suæ Gentis non omissurus, nihil de hoc dicit. S. Petrus Chrysologus Serm. 135. eum æquè facit cœlestibus bonis divitem ac fortunæ pauperem. S. Sixti Discipulus fuit: unde electus in Pontificem, quamvis adhuc ætate juvenem, quia tamen probatæ virtutis & præcipuæ castitatis Virum, ad Diaconatum eum elevavit eique commisit Sanguinis Domini dispensationem, & Ecclesiæ thesauri pauperibus dispensationem. Quare S. Leo Serm. 83. dicit, quòd non *solùm in ministerio Sacramentorum, sed etiam dispen-*

spen-

ſpenſatione Eccleſiaſticæ ſubſtantiæ præeminebat. Eum proinde vocat Prudentius Hymno 2. ſeptem Diaconorum Romæ primum (tunc enim ſolùm ſeptem Diaconi exemplo Apoſtolorum Romæ erant). SS. Auguſtinus Serm. 302. & 303. Petrus Chryſologus Serm. 135. Archidiaconum eum appellant, cui dignitati bonorum Eccleſiæ adminiſtrationem & diſtributionem aſſigunt.

VIII. Furente igitur Valeriani Perſecutione præcipuè in Eccleſiæ Miniſtros, una ex primis victimis, ut dixi, S. Sixtus fuit: cùm ergo ad Martyrium duceretur, ſequebatur eum Laurentius plorans, quòd ſolus ſine patre relinqueretur, nec ſibi daretur cum illo mori, quem tamen Sixtus conſolatus fuit, prædicens ei ſe poſt triduum eum ſecuturum. Totum hoc eleganter exponit S. Ambroſius L. 1. de Officiis cap. 41., ubi de S. Laurentio ait: *Qui cùm videret Sixtum Epiſcopum ſuum ad Martyrium duci, flere cœpit non paſſionem illius ſed ſuam remanſionem. Itaque his verbis appellare cœpit: Quò progrederis ſine filio pater? Quò Sacerdos Sancte ſine Diacono properas? Nunquam Sacrificium ſine Miniſtro offerre conſueveras, Quid in me ergo diſplicuit, pater? Num degenerem probaſti? Experire certè, utrùm idoneum Miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici Sanguinis conſecrationem* (aliàs diſpenſationem, Diaconi enim miniſterium erat Pontifici conſecranti aſſiſtere & Populo Sacra diſtribuere, ut ex Auguſt. Serm. 304.) *Cui conſummandorum conſortium Sacramentorum, huic conſortium ſanguinis tui negas? Vide ne periclitetur judicium tuum, dum fortitudo laudatur. Abjectio Diſcipuli detrimentum eſt Magiſtri. Quid? Quod illuſtres & præſtantes Viri Diſcipulorum certaminibus quam ſuis vincunt? Denique Abraham filium obtulit, Petrus Stephanum præmiſit; & tu Pater oſtende in filio virtutem tuam, offer quem erudiſti, ut ſecurus judicii tui comitatu nobili pervenias ad coronam.* His de Sixto Laurentius conqueritur, quòd cùm non adhibeat ſocium Martyrii, quaſi eum non vellet ſocium triumphi. Hìc robur ſupra humanum quis non videt?

Tunc Sixtus: Non ego te fili relinquo ac deſero, ſed majora tibi debentur certamina. Nos quaſi ſenes levioris pugnæ curſum recipimus, te quaſi juvenem manet glorioſior de Tyranno triumphus. Mox venies; flere deſiſte: poſt triduum me ſequeris; inter Sacerdotem & Levitam hic medius numerus decet. Non erat tuum ſub Magiſtro vincere, quaſi adjutorem quærens. Quid conſortium paſſionis meæ expetis? Totam tibi hæreditatem ejus dimitto. Quid præſentiam meam requiris? Infirmi Diſcipuli Magiſtrum præcedant, fortes ſequantur: ut vincant ſinè Magiſtro, qui jam non indigent magiſterio. Sic & Elias Eliſæum reliquit. Tibi ergo commendo noſtræ virtutis ſucceſſionem.

Talis

Talis erat contentio, digna sanè, de qua certarent Sacerdos & Minister, quis prior pateretur pro Christi Nomine. In fabulis ferunt tragicis excitatos theatri magnos esse plausus, cùm se Pyladem Orestes diceret, Orestes ut erat Orestem se esse asseveraret: ille ut pro Oreste necaretur, Orestes ne Pyladem pro se pateretur necari. Sed illis non licebat vivere, quòd uterque esset parricidii reus, alter qui fecisset, alter qui adjuvisset. Hìc Laurentium Sanctum ad hoc nullus urgebat, nisi amor devotionis; tamen & ipse post triduum, cùm illuso Tyranno super craticulam exureretur: Assum est, inquit, versa & manduca. Ita animi virtute vincebat ignis naturam. Ita in Laurentii encomium Ambrosius.

IX. Promissis igitur sui Pastoris confidens Laurentius Sixto jam coronato Martyrio, accersitis undique pauperibus, eis totum Ecclesiæ argentum, cujus utpotè Archidiaconus custodiam gerebat, distribuit, quin & sacra ministerii vasa ne in manus impiorum inciderent statim vendidit, ac pretium in caritatis opera erogavit. Tot eleemosynarum fama pervulgata ad Laurentium capiendum, S. Maximo teste Serm. 56., excitavit Tyrannum. *Armatur itaque* (inquit S. Leo Serm. 83.) *geminâ face homo pecuniæ cupidus & veritatis inimicus; avaritiâ ut rapiat aurum, impietate ut auferat Christum, Postulat sibi ab immaculato Sacrarii Præsule opes Ecclesiasticas, quibus avidissimus inhiabat inferri*. Copiosas Ecclesiam possidere divitias respondit Laurentius, easque se post triduum (juxta Prudentium & Chrysologum) veriùs tamen (juxta Ambrosium L. 2. de Offic. cap. 28.) die sequenti ostensurum Tyranno promisit. A quo dimissus, in inquirendis pauperibus omnem Urbis partem percurrit, iis præsertim, qui Ecclesiæ pecuniis alebantur, & numero supra mille erant, quibus & Virgines Deo Sacras & Viduas Ecclesiæ subsidio viventes adjunxit. Hos omnes statâ die propè Ecclesiam longo catalogo descriptos congregari fecit. Quâ occasione multis cæcis signo Crucis visum restituisse, aliqui Veteres senserunt. August. in Append. Serm. 316. & Fulgentius.

X. Cùm pervenisset dies, congregatâ pauperum multitudine Laurentius Judicem adivit, eumque ad opes Ecclesiæ, quas congesserat, videndas invitavit. Ivit ille, se auro & argento summè ditandum sibi adulatus. Sed videns tot mendicorum copias, admirans quæsivit: ubi essent Ecclesiæ opes quas promiserat. Tunc Laurentius, has esse Ecclesiæ divitias, hos ejus thesauros intrepidè respondit. Hoc enarrans S. Ambrosius L. 2. de Offic. cap. 28.: *Tale*, inquit, *aurum Sanctus Martyr Laurentius Domino reservavit: à quo cùm quærerentur thesauri Ecclesiæ,*

siæ, promisit demonstraturum se. Sequenti die pauperes duxit. Interrogatus, ubi essent thesauri, quos promiserat, ostendit pauperes dicens: Hi sunt thesauri Ecclesiæ. Et verè thesauri, in quibus Christus est, in quibus Christi Fides est.

XI. Hâc æquè ingeniosâ ac innocenti fraude videns se deceptum Tyrannus infrenduit, & cùm à Laurentio aurum extorquere non posset, ab eo Christi Fidem rapere toto furore conatur. Ita S. Leo Serm. 83.: *Fremit ergo prædo frustratus, & in odium Religionis, quæ talem divitiarum usum instituisset, ardescens, direptionem thesauri potioris aggreditur; apud quem nullam denariorum substantiam reperisset: ut illud depositum quo sacratius erat dives auferret. Renuntiare Christo Laurentium jubet, & solidissimam illam Levitici animi fortitudinem diris parat urgere suppliciis. Quorum ubi prima nihil obtinent, vehementiora succedunt. Laceros artus, & multâ verberum sectione conscissos subjecto præcipit igne torreri, ut per cratem ferream, quæ jam de fervore continuo vim in se haberet urendi, conversorum alternâ mutatione membrorum, fieret cruciatus vehementior & pœna productior.*

XII. His indicat S. Leo varietatem cruciatuum, quibus illusione sibi factâ exasperatus Tyrannus in Sanctum Martyrem desæviit. Primò ergo nudatum fustibus cædi, & ut ex Martyrologio habetur, scorpionibus, plumbatis cædi ac discerpi, & laminas ardentes lateribus apponi mandavit. Videns autem, nihil magis appetere, quàm pro Christo mori, omnem artem adhibuit, ut pœna productior corpus ac ut sperabat spiritum defatigaret, demum in craticula positum lento igne jussit ejus membra cremari. Ita loquentem Tyrannum Prudentius Hymno 2. inducit.

Dicis: Libenter oppetam:
Votiva mors est Martyri:
Est ista vobis, novimus,
Persuasionis vanitas.
Sed non volenti impertiam,
Præstetur ut mortis citæ
Compendiosus exitus:
Perire raptim non dabo.
Vitam tenebo & differam
Pœnis morarum jugibus
Et mors inextricabilis
Longos dolores protrahat.
Prunas tepentes sternite
Ne fervor ignitus nimis

Os

Os contumacis occupet
Et cordis intret abdita.
Vapor senescens langueat:
Qui fusus afflatu levi
Tormenta sensim temperet
Semi-ustulati corporis
Benè est quod ipse ex omnibus
Mysteriarches (loquens de Mysteriis) *incidit.*
Hic solus exemplum dabit,
Quid mox timere debeant.
Conscende constratum rogum:
Decumbe digno lectulo:
Tunc si libebit disputa,
Nil esse Vulcanum meum.
Hæc fante Præfecto truces
Hinc inde tortores parant
Nudare amictu Martyrem,
Vincire membra & tendere.

Hæc Tyrannus. Laurentius autem in craticula ignita velut in molli culcitra jacens hilari vultu coram adstantibus apparebat: imò, ut pergit Prudentius, ex ejus ore Fidelium oculis fulgor quidam micabat similis illi, qui è facie Moysis de Sina descendentis Judæorum oculos perstringebat; & dum carnes sensim assarentur, eorum nares suavi odore recreabat. Porrò cùm alterum latus igne jam decoctum esset, compellans judicem Laurentius: *assatum est*, inquit, *versa*: cùmque Præses verti illum jussisset, subdidit:

Coctum est, devora:
Et experimentum cape,
Sit crudum an assum suavius.

Hæc quasi ludens dixerat: deinde Cœlum suspiciens Romæ miserum statum ingemuit, & pro Ecclesiæ prosperitate ac Gentium conversione fusis ad Deum precibus, è carnis hujus vinculis solutus spiritus, volans ad æterna gaudia gloriosus assumtus fuit. Ita Laurentius de Tyranno invictissimè triumphavit, ut immortalem sui nominis gloriam & illustre pro Christo testimonium reliquerit.

XIII. Hinc ejus constantiam in tormentis multi ex Gentilibus admirati ad Christum conversi sunt, inter quos Hippolytus miles, cujus custodiæ S. Martyr traditus fuerat, cui Martyrium quoque prædixit. Ita Serm. 316. olim S. Augustino tributo, modò in Appendice, ubi sic dicitur de S. Laurentio: *Magnum con-*

consilium cogitasti, cœleste negotium egisti, thesauros Ecclesiæ suscipiens Christianis pauperibus erogasti, & thesauros cœlestes accipere meruisti.... Implesti præceptum Domini, & dedit tibi præmium Regni sui. Qualiter te bonorem? quo te laudem præconio? qui in ipso prælio confessionis positus, cùm adhuc sub custodia Hippolyti ageres, virtutem Domini semper ostendens, Crucem Christi super cæcorum oculos faciebas, cæcos illuminabas, & Hippolytum ad Fidem Christi mirabiliter convertebas. Et infra. *Lapidabatur Stephanus & orabat; assabatur Laurentius & hilari facie congaudebat. Orabat Stephanus pro Saulo lapidatore suo; & Laurentius Christianum fecit Hippolytum custodem suum. Magna mirabilia fecerunt Archidiaconi isti: à quibus patiebantur supplicia, ipsis prærogabant Divina beneficia.* Hippolyto autem prædixisse Martyrium, habetur Serm.60. sub S. Fulgentii nomine.

Demortui Corpus Viri conspicui ab ipso ad Christum conversi propriis sublatum humeris sepulcro tradiderunt, inquit Prudentius.

Vexere corpus subditis
Cervicibus quidam Patres,
Quos mira libertas viri
Ambire Christum suaserat.

Hos fuisse Hippolytum præfatum & Justinum, censent Acta & Ado. De Hippolyto consentiunt Græci in Menol. Basilii 10. Augusti, ubi ajunt: *Sanctus verò Hippolytus eorum assumens Reliquias atque sepeliens, captus fuit: & alligatus ad indomitos equos raptatus consummatur.* Hic ille censetur fuisse Hippolytus triduo post Laurentium Martyrio cum aliis affectus, de quo 13. Augusti Martyrol. Rom. hæc recenset: *Romæ Beati Hippolyti Martyris, qui pro confessionis gloria sub Valeriano Imperatore, post alia tormenta, ligatis pedibus ad colla indomitorum equorum per carduetum & tribulos crudeliter tractus toto corpore laceratus emisit spiritum. Passi sunt etiam eodem die Beata Concordia ejus nutrix, quæ ante ipsum plumbatis cæsa migravit ad Dominum; & alii decem & novem de domo sua, qui extra Portam Tiburtinam decollati sunt, & unà cum eo in Agro Verano sepulti.*

XIV. Laurentii gloriosa mors verus fuit Dæmonum ac Idolorum interitus: tunc eorum Templa deseri cœperunt, & Ecclesias frequentari. Ita Prudentius.

Mors illa Sancti Martyris
Mors vera Templorum fuit:
Tunc Vesta palladios lares
Impunè sensit deseri &c.

 Hinc

Hinc gloriosa Laurentii victoria per Orbem evulgata ubique celebrari à Patribus: & Ecclesiæ, ut dixi, in ejus honorem passim erigi cœperunt. Unde Ambrosius Serm. I. Edit. Basileæ illum grano sinapis comparans ait: *Igitur Sanctum Laurentium grano sinapis possumus comparare, qui diversis attritus passionibus per totum Orbem gratiam meruit sui fragrare Martyrii: qui antea constitutus in corpore erat humilis ignotus & vilis, posteaquam vexatus laceratus exustus est, universis per totum Mundum Ecclesiis odorem suæ nobilitatis infudit*: & hoc quia *granum sinapis* (ut ante dixerat) *prima fronte specie sui est parvum vile despectum non saporem præstans non odorem circumferens non indicans suavitatem; at ubi teri cœperit, statim odorem suum acrimoniâ exhibet, cibum flammei saporis exhalat, & tanto fervoris calore succenditur; ut mirum sit, in tam frivolis granis tantum ignem fuisse conclusum*. Idem legitur Serm. olim 31. de Sanctis, nunc verò 87. in Append. Operum S. Augustini. In hoc egregio inter Martyres Athletâ paululùm immorari pro dignitate censui.

§. V.

Martyres Massa Candida *nuncupati*.

I. INter Martyres, quos S. Cyprianus suis exhortationibus sui mox secuturi agonis nuntios præmisit ad Cœlum, celebres illi sunt, qui *Massa Candida* nuncupantur. *Massa* (inquit S. August. Serm. 306., quem in eorum natali habuit) *ob numeri multitudinem, Candida ob causæ fulgorem*. Quoad numerum plures quàm centum & quinquaginta fuisse, idem Augustinus in Psalm. 49. asseverat: Trecentos verò fuisse, plures cum Prudentio Hymno 13. asserunt; & hos ex omni Natione sexu ætate Viris Feminis senioribus adolescentulis coaluisse censet Auctor Serm. 317. positi in Appendice S. Augustini.

Ideò autem vocari *Candidam*, nedum ob causæ fulgorem, ut sentit S. August., quia gladio animadversi fuerint, sed quia in fornace ardentis calcis Martyrium consummarint, unde eorum exusta corpora candida apparuerint. Ita ex Prudentio communiter. Gubernator enim ingentem foveam saxis plenam jussit accendi, ut ex eis igne recoctis calcem formaret, & erecto ibi Altari advocavit quotquot ibi erant Christianos, præcipiens eis, ut vel micam salis vel jecur suis in eo adolerent, aut in foveam ardentem sese injicerent. Quo audito nihil cunctantes in ardentem foveam omnes simul se projecerunt: atque ideo Massa

Can-

Candida dicti, quia eorum cineres calci permixti candidi sicut calx apparuere. Rem ita describit Prudentius.

Fama refert, foveam campi in medio patere jussam,
Calce vaporiferâ summos propè margines refertam.
Saxa recocta vomunt ignem, niveusque pulvis ardet,
Vrere tacta potens; & mortifer ex odore flatus.
Appositam memorant Aram foveâ stetisse summâ,
Lege sub hâc, salis aut micam jecur aut suis litarent
Christicolæ, aut mediæ spontè irruerent in ima fossæ.
Prosiluere alacres cursu rapido simul trecenti.
Gurgite pulvureo mersos liquor aridus voravit,
Præcipitemque globum fundo tenùs implicavit imo.
Corpora candor habet, candor vehit ad superna mentes
Candida Massa dehinc dici meruit per omne seclum.

II. Horum Martyrum triumphum Martyrologia celebrant: Carthaginense Kalendis Septembris; cætera verò 24. Augusti, seu nono Kalend. Septembris: inter quæ Romanum hæc habet: *Carthagine Sanctorum trecentorum Martyrum tempore Valeriani & Gallieni, qui inter alia supplicia, cùm Præses fornacem calcariam accendi jussisset, & in præsentia ejus prunas cum thure exhiberi, atque illis dixisset: Eligite è duobus unum, aut thura super his carbonibus offerre Jovi, aut in calcem demergimini: Fide armati Christum Dei Filium confitentes ictu rapidissimo se injecerunt in ignem, & inter vaporem calcis in pulverem sunt redacti: ex quo candidatus ille Beatorum Exercitus Massa Candida meruit appellari.*

His, præfatorum Martyrum passio Carthagine contigisse, videtur. Attamen S. Augustinus eos Uticæ fuisse passos, indicat Serm.311., qui tertiùs est in natali S. Cypriani; ubi eos *Uticensem Massam Candidam appellat*: & ejus tempore fuisse Uticæ Basilicam in eorum memoriam erectam, constat ex ejusdem Enar. in Psalm. 144., quam ad ejus Civitatis Plebem habuit Uticæ *in Basilica Massæ Candidæ*. Et hoc probabilius videtur; in ea enim Urbe Proconsulem de Martyrum causis cognovisse certum est: siquidem Beatus Cyprianus paulò ante passionem suam quæsitus, ut illuc ad Proconsulem perduceretur, se abscondit, ne extra Civitatem longè à Plebe sibi commissâ Martyrium suum expleret, ut testatur ipse Epist.83. Illic ergo Proconsul manens, cùm ex variis Africæ partibus & Carthagine etiam plures ad se Christianos adduci jussisset, eos qui Massa Candida dicti sunt, Martyrio affecit 24. Augusti, ut dictum est: quos paucos post dies passio Sancti Cypriani eodem anno 259. secuta est; de qua statim.

§. VI.

S. Cyprianus ejusque Passio.

I. SAncti igitur Cypriani, zelo doctrinâ & Fidei confessione omnium Patrum ore celebratissimi, nostri non est Vitam ac Gesta per extensum referre, sed solùm in argumentum Christianæ Veritatis ejus usque ad Martyrium constantiam exhibere; pauca tamen ex ejus ortu, conversione, & subinde ab eo gestis, intento præsenti inservientia colligemus. Cyprianus ergo Natione fuit Afer, & fortè etiam Carthagine natus, dicente Prudentio Hym. 13., quòd ibi fuit passus ubi natus. Thascius etiam dicebatur & Cæcilius; hoc tamen à Cæcilio Presbytero, qui ejus conversionis auctor fuit, postea assumsit. Gregorius Nazianzenus Orat. 18. eum describit genere nobilem, imò Senatorii ordinis, divitiis affluentem, potentiâ conspicuum; Oratoriæ ac bonarum artium studiis à juventute deditum facit Pontius in vita ipsius: religione tamen ab initio Paganus; & ut aliqui putant, Magiæ deditus fuit: quod tamen infra rejiciam.

II. Verum Gratia Dei, quæ eum à vanitate ad Fidem, & ab erroribus ad veritatem trahere destinarat, operâ Cæcilii Presbyteri viri justi & ætate venerabilis usa est, à quo Christianæ Fidei mysteriis imbutus baptizatus est anno ut putatur à Christo nato 246. Post Baptismum, imò & adhuc Catechumenus, humanâ sapientiâ statim rejectâ, totum Divinarum Scripturarum studio se dedit, professus insuper continentiam, & distractis rebus suis omnem substantiam in pauperes erogans, idque teste Pontio adhuc Catechumenus; ut ante penè cœperit perfectus esse, quàm disceret. Huic multùm contulit prælaudatus Cæcilius, de quo in Martyrol. 3. Junii, quem Baronius ibi existimat fuisse Cæcilium clarum Oratorem, Magistrum olim Diadumeni Cæsaris pueri laudatissimi, de quo Ælias Lampridius in Diadumeno: fuit enim Afer, rhetor, & optimis moribus imbutus.

III. Tantam in se mutationem admirans Cyprianus ipse fusè exaggerat Epist. 2. ad Donatum, ubi expositis erroribus & seculi vanitatibus, quibus antea tenebatur, subjungit: *Hæc egomet sæpe mecum: nam ut ipse quamplurimis vitæ prioris erroribus implicatus tenebar, quibus exui me posse non crederem; sic vitiis adhærentibus obsecundans eram, & desperatione meliorum malis meis veluti jam propriis ac vernaculis adsovebam. Sed postquam undæ genitalis auxilio superioris ævi labe detersâ in expiatum pectus ac purum desuper*

per

per se lumen infudit, postquam cœlitus spiritu hausto in novum me hominem nativitas secunda reparavit; mirum in modum protinùs confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa; facultatem dare quod priùs difficile videbatur; geri posse quod impossibile putabatur: ut esset agnoscere terrenum fuisse, quod priùs carnaliter natum delictis obnoxium viveret, Dei esse cœpisse, quod jam Spiritus Sanctus animaret. Scis ipse profectò & mecum pariter recognoscis, quid detraxerit nobis, quidve contulerit mors ista criminum, vita virtutum.... Dei est, inquam, Dei omne quod possumus: inde vivimus, inde pollemus; inde sumto & vigore concepto, hìc adhuc positi futurorum indicia prænoscimus &c.

IV. Ad quantum doctrinæ & Christianæ virtutis gradum brevì Cyprianus ascenderit, illud argumento est, quòd adhuc Neophytus, & in Fide tempore novitius, judicio Dei & Populi postulatione ad munus Presbyteri, & subinde ad Episcopatus dignitatem evectus fuit anno Christi 248., nimirùm à sua conversione vix elapso biennio, dum morte Donati Carthaginensis Sedes vacaret. Quantùm verò humilitas ejus restiterit, narrat Pontius in ejus Vita: *Cùm*, inquit, *in delectationem ejus & honorem totus Populus aspirante Domino prosiliret, humiliter ille secessit: antiquioribus cedens, & indignum se titulo tanti honoris existimans, ut dignus magis fieret; magis enim dignus efficitur, qui quod meretur excusat.... Obsederat foràs domus copiosa fraternitas, & per omnes aditus sollicita caritas circuibat.... Erat videre cæteros omnes suspensos anxio spiritu expectare venturum, cum gaudio nimio excipere venientem.* Hoc modo nolens, sed Deo obediens Episcopatum suscepit: & quod observatione dignum est, paucos, qui ejus electioni se opposuerunt, nedum malo animo non excepit, sed etiam postea amicissimos habuit, & inter familiares suos, mirantibus multis, computavit.

V. Qualis verò in Episcopatu fuerit, prosequitur Pontius his verbis): *Exinde quemadmodùm se gesserit, quis referre sufficiat? quæ illi pietas? qui vigor? misericordia quanta? censura quàm sobria? Tantum sanctitatis & gratiæ ex ejus ore lucebat, ut confunderet intuentium mentes. Gravis vultus & lætus, nec severitas tristis; nec comitas nimia, sed admixta utrimque temperies, ut esset ambigere, vereri plus an diligi mereretur: nisi quòd & vereri & diligi merebatur. Sed nec vultus dispar fuit à vultu: temperatus & ipse de medio: non illum superbia secularis inflaverat, nec tamen prorsùs affectata penuria sordidarat; quia & hoc vestitus genus à jactantia minùs non est, quàm ostentata taliter ambitiosa frugalitas. Quid autem circa pauperes Episcopus faceret, quos Catechumenus diligebat?*

bat? . . . Cyprianum de suo talem accepit Cathedra, non fecit. His boni Episcopi & Pastoris effigiem in Cypriano compendiosè indicat Pontius.

VI. Vix biennio durante pace rexerat Ecclesiam suam, cùm excitatâ anno 250. à Decio Persecutione, Domino sic disponente eique inspirante, Ecclesiam suam corpore sed non curâ relinquere coactus est; licèt enim absens, zelo tamen & vigilantiâ gregi suo semper præsens fuit: quod ostendunt Epistolæ ab eo in suo secessu scriptæ. Pagani, ut eum comprehenderent, omnem diligentiam adhibuerunt, sed cùm invenire non possent, eum publicè proscripserunt. Dixi Cyprianum tunc secessisse, non quia animus ad Martyrium ei deesset, sed Deo ita volente, ut ad alia multa, ad quæ illum elegerat agenda, reservaretur. Ita Pontius in ejus Vita: *Potuisset quidèm tunc pro velocitate, quâ semper omnia consecutus est, etiam Martyrii circa eum debita corona properare; maximè cùm ex suffragiis sæpè repetitis ad leonem postularetur: nisi per omnes ordines gloriarum transeundum illi esset, & sic ad summa veniendum; & nisi imminens ruina ope tam fœcundi pectoris indigeret. Finge enim tunc illum Martyrii dignatione translatum; quis emolumentum gratiæ per Fidem proficientis ostenderet? quis Virgines ad congruentem pudicitiæ disciplinam & habitum sanctimoniâ dignum velut frænis quibusdam Lectionis Dominicæ coerceret? Quis doceret pœnitentiam Lapsos, veritatem Hæreticos, Schismaticos unitatem, filios Dei pacem & Evangelicæ precis legem? Per quem Gentiles blasphemi repercussi in se iis, quæ nobis ingerunt, vincerentur? A quo Christiani mollioris affectus circa amissionem suorum, aut quod magis est, fidei parvioris, consolarentur spe futurorum? Unde sic misericordiam, unde patientiam disceremus? Quis livorem de venenata invidiæ malignitate venientem dulcedine remedii salutaris inhiberet? Quis Martyres tantos exhortatione Divini sermonis erigeret? Quis denique tot Confessores frontium notatarum secundâ inscriptione signatos, & ad exemplum Martyrii superstites reservatos incentivo tubæ cœlestis animaret? Benè benè tunc & verè spiritualiter contigit, quòd Vir, necessarius tam multis & tam bonis rebus, à Martyrii consummatione dilatus est.* Hæc sunt, propter quæ Deus Cypriani Martyrium ad aliud tempus distulit, quæ postea egregiè peregit, ut ejus Libros ac Epistolas legenti constabit; quæ si Martyrio præventus fuisset, non egisset.

VII. Anno igitur 251., redditâ aliqualiter à Paganis Ecclesiæ pace, ut diù optaverat, S. Cyprianus Carthaginem post Pascha reversus oves suas, quas antea litteris, præsentiâ verbis & fa-

& factis consolatus est. Et opportunè quidèm, nam Ecclesiam illam Felicissimi & Novati schismate discissam, & insuper circa pacem Lapsis dandam discordem invenit. Coacto igitur Episcoporum Concilio disciplinam de Lapsis recipiendis statuit, & pro unitate adeò strenuè certavit; ut tandem extincto schismate, Novato Felicissimo & Novatiano ejuratis, solum Cornelium verum & legitimum Episcopum Romanum Africa recognoverit.

VIII. Anno 252. iterùm excitata fuit Persecutio, occasione cujus generalis indulgentia Lapsis à S. Cypriano concessa est. Sequenti autem anno 263. toto ferè Imperio grassari pestis cœpit: quâ strage Carthaginem invadente, quo caritatis ardore periclitantibus non solùm Fidelibus sed etiam Ethnicis Cyprianus subveniret, enarrat Pontius dicens: *Erupit postmodùm lues dira, & detestabilis morbi vastitas nimia, innumeros per diem Populos à sua quemque Sede abrupto impetu rapiens, continuatas per ordinem domos Vulgi trementis invasit. Horrere omnes, fugere, vitare contagium; exponere suos impiè: quasi cum illo peste morituro, etiam mortem ipsam aliquis posset excludere. Jacebant interim in tota Civitate non jam corpora sed cadavera plurimorum, & misericordiam in se transeuntium contemplatione sortis mutuæ flagitabant. Nemo respexit aliud, præterquam lucra crudelia; nemo recordatione similis eventus trepidavit; nemo fecit alteri, quod sibi fieri voluit.*

Inde subjiciens, quid in tanta rerum calamitate egerit Sancti Pontificis pietas: *Aggregatam*, inquit, *primò in uno loco Plebem de misericordiæ bonis instituit, docens Divinæ Lectionis exemplis, quantum ad promerendum Deum prosint officia pietatis.* Tunc deinde subjungit, *non esse mirabile, si nostros tantùm debito caritatis obsequio foveremus: eum perfectum posse fieri, qui plus aliquid Publicano vel Ethnico fecerit.* Alia multa ex ardore caritatis protulit; *de quibus hoc tantùm dixisse satis est* (ait Pontius), *quòd si illa Gentiles pro rostris audire potuissent, forsitan statim crederent.... Distributa sunt ergo continuò pro qualitate hominum atque ordinum ministeria: multi qui angustiâ paupertatis beneficia sumtus exhibere non poterant, plus sumtibus exhibebant, compensantes proprio labore mercedem divitiis omnibus cariorem*: & hoc erga omnes, non solùm ad domesticos Fidei in hoc Tobiæ pietatem superantes, qui necatos & projectos sui tantùm generis colligebat; hi autem non suæ Fidei tantùm hominibus, sed & Infidelibus ac inimicis eadem pietatis officia adhortante Cypriano præstabant. Qui proinde hoc tempore Librum *de Mortalitate* creditur conscripsisse.

IX. Ve-

IX. Verùm tot egregia S. Cypriani omnigenæ virtutis opera cuiquam videri poterit aliquatenùs obscurasse Controversia circa annum 256. exorta de Hæreticis baptizandis; in qua pro parte affirmante plus æquo visus est Cyprianus excessisse adversùs Stephanum Romanum Pontificem pro negativa statuentem: sed præter ea quæ dixi in Cypriani excusationem tom.13.Theolog. Tract. de Bapt. qu. 4. dub. 3., non inficiabor, Cyprianum & Stephanum de hoc fervidè invicem pugnasse, pugna tamen intellectuum & opinionum fuit, non voluntatum, quæ caritatis unitatem servavit. Tria Africana Concilia pro se Cyprianus opponebat, & Sacram Scripturam pro se stare existimabat: Stephanus autem Traditionem consuetudine roboratam reponebat. Cyprianus Stephani personæ acriùs in eum ac suæ opinionis fautores invehenti, quàm suæ Cathedræ auctoritati resistebat, à qua numquam se sejunxit: errorem tuebatur quidèm, sed quem talem nondum agnoscebat, nec ideò caritatem amisit.

X. Cæterùm saltem mortuo Stephano disputationis fervor sopitus fuit: cui multùm profuit S. Dionysius Alexandrinus, qui etiam vivente Stephano pro pace Ecclesiæ egregiam navavit operam. De facto enim Sixtus Stephani successor nullam de hac quæstione litem movit, & cum eo Cyprianum fuisse caritate conjunctum, ostendit ipse Epist.82., ubi ejus Martyrium celebrat; aitque à nuntiis, quos Romam miserat ut exploratam veritatem haberet, de gravissima Persecutione ibi furente & Sixti Papæ Martyrio se factum fuisse certiorem: quæ sanè omnia probant, inter utramque Ecclesiam Romanam & Africanam tunc magnam communicationem intercessisse. Quod confirmat Pacianus Barcinonensis Antistes Epist.2. ad Sympronianum, ubi Beati Cypriani mortem laudans: *Cyprianus*, inquit, *in concordia omnium, in pace communi, in Confessorum grege passus est*. Et S. Augustinus Serm.312. ait: *Meritò in Ecclesia Catholica tanti honoris celsitudinem meruit* (Cyprianus), *cujus concordissimum vinculum tantâ humilitate servavit*. Scio quidèm, eundem S. Augustinum aliquando fluctuasse (L.2. de Bapt. cap.4.) an Cyprianus errorem suum retractarit: sed humilitas, quæ ipsum in concordiæ vinculo perpetuò servavit, indicat, eum sicut & cæteros Africanos Episcopos huic veritati, de qua nullam ampliùs moverunt quæstionem, sensim acquievisse, & solos postea Donatistas in eam insurrexisse.

XI. Nunc ad S. Cypriani exordia passionis procedamus. Annus igitur 257. ad diem 30. Augusti perductus fuerat; cùm Valeriano quartò & Gallieno tertiò Consulibus, coram Aspasio Pa-

Paterno Africæ Proconsule Carthagine adductus Cyprianus, Proconsule sibi dicente, se litteras Imperatorum tenere, quibus qui Romanam Religionem non colunt ad Romanas cæremonias transire jubentur, respondit: *Christianus sum & Episcopus. Nullos alios Deos novi, nisi unum & verum Deum, qui fecit Cælum & terram, mare, & quæ sunt in eis omnia. Huic Deo nos Christiani deservimus; hunc deprecamur diebus ac noctibus pro nobis & pro omnibus hominibus, & pro incolumitate ipsorum Imperatorum.* Cùmque in hac confessione perseveraret, Paternus ei dixit: Poteris ergo secundùm præceptum Valeriani & Gallieni exul ad Urbem Curubitanam proficisci: cui Cyprianus: *Proficiscor*, inquit, quia verò Paternus ab ipso scire volebat, quinam in ea Civitate essent Presbyteri, Cyprianus constanter respondit, sibi non licere quemquam offerre, sicut nec cuique offerre seipsum; ipse perquireret, & perquisitos inveniret. A me ergo invenientur, ait Proconsul: & adjecit: præceperunt etiam, ne in aliquibus locis conciliabula fiant, nec cœmeteria ingrediantur, & si quis non observaverit, capite plectetur: cui Cyprianus. fac, inquit, *quod tibi præceptum est.*

XII. Missus est igitur S. Episcopus Curubin in exilium, locum in Peninsula Minoris Africæ Septemtrionali, aeris quidèm non injucundi, desertum tamen & solitudini aptum (teste Pontio ejus Diacono, qui ei comes in exilio fuit) ubi tamen nil ei deerat, caritate Fidelium ibi existente, & Carthaginensium quoque eum frequenter invisentium. Pervenit Curubin die 13. vel 14. Septembris anno nimirùm ante Martyrium, de quo primâ nocte hâc visione certior à Deo factus fuit. Hanc ex ejus ore auditam ita refert Pontius: *Eo die quo primùm in exilii loco mansimus (nam & me inter domesticos comites dignatio caritatis ejus delegerat exulem voluntarium, quòd utinam & in passione licuisset!) Apparuit mihi, inquit, nondum somni quiete sopito Juvenis ultra modum enormis; qui cùm me quasi ad Prætorium duceret, videbar mihi Tribunali sedentis tum Proconsulis admoveri. Is ut in me respexit, annotare statim cæpit in tabula sententiam, quam non sciebam; nihil enim de me solitâ interrogatione quæsierat: sed enim Juvenis, qui à tergo ejus stabat, admodùm curiosus legit quidquid fuerat adnotatum. Et quia inde verbis proferre non poterat, nutu declarante monstravit, quid in litteris tabulæ illius haberetur; manu enim expansâ & complanatâ ad spatæ modum, ictum solitæ animadversionis imitatus: quod volebat intelligi, adinstar liquidi sermonis expressit. Intellexi sententiam passionis futuram: rogare tamen cæpi & petere continuò, ut dilatio mihi vel unius diei prorogaretur, donec*

nec res meas legitimâ ordinatione disponerem. Et cùm preces frequenter iterassem, rursùs in tabula cœperat nescio quid adnotare. Sensi tamen de vultus serenitate Judicis mentem quasi justâ petitione commotam: sed & ille Juvenis, qui jamdudum de passionis judicio gestu potiùs quàm sermone prodiderat, clandestino itidem nutu concessam dilationem, quæ in crastinum petebatur, contortis post invicem digitis significare properavit. Hucusque ex ore Cypriani Pontius. Qui tamen addit, quòd hic dies, quem pro dilatione petebat, significabat annum, quo ille post visionem acturus in seculo fuerat; nam eo die post exactum annum coronatus est, quo hoc illi ante annum fuerat ostensum: cùm sæpè in promissionibus futurorum dies pro anno usurpetur. Dilatio autem, quam Vir Sanctus petebat, non alium finem respiciebat, quàm ut posset de rebus Ecclesiæ suæ & pauperum curâ disponere.

XIII. Et sanè eo anno multa contigerunt, quæ ejus providentiâ & zelo indiguerunt. Eo enim anno per omnes Africæ partes recruduit Persecutio; publica autem confessio, quam ipse coram Proconsule fecerat, veluti tuba non solos Episcopos Presbyteros & Diaconos sed etiam Laicorum multitudinem ad præliandnm fortiter pro Christo excitavit: quos proinde suis Epistolis animabat. Ex Episcopis emicuere Nemesianus, Felix, Lucius, alter Felix, Litteus, Polyanus, Victor, Jader, & Dativus. Quarum autem Urbium fuerint Episcopi, colligi potest ex Actis Concilii Carthaginensis sub Cypriano cui interfuerunt: & licèt unà cum ipso in sententiam de Hæreticorum Baptismate adversùs Stephanum iverint, tamen sicut ille, ita & isti nunquam se à Catholica unitate & caritate diviserunt. Hi ergo carceri traditi, ac deinde fustibus cæsi, ad metalla damnati fuerunt: quos magna Populi multitudo ad carceres & metalla secuta est, nesciens à suis Pastoribus separari.

Horum memoriam celebrat die 10. Septembris Martyrol. Rom. his verbis: *In Africa natalis Sanctorum Episcoporum Nemesiani, Felicis, Lucii, alterius item Felicis, Littei, Polyani, Victoris, Jaderis, Dativi, & aliorum, qui sub Valeriano & Gallieno, exurgente Persecutionis rabie, ad primam confessionis Christi constantiam graviter fustibus cæsi, deinde compedibus vincti, & ad fodienda metalla deputati, gloriosæ confessionis agonem consummarunt.* Ad hos S. Cyprianus è suo exilio scripsit Epistolam 77., quâ comprehendit etiam alios Presbyteros Diaconos & Fratres cæteros in metallo constitutos Martyres Dei Patris Omnipotentis & Jesu Christi Domini & Dei. In ea exprimit desiderium suum veniendi ad eos amplectendos, sed cùm corpore venire

non

non detur, se tamen dilectione & spiritu præsentem fieri contestatur. Gratulatur, multos ex eis Martyrio jam fuisse coronatos, & eorum qui supererant in perferendis vinculis aliisque laboribus constantiam laudat, promittens eos citò à pœnis ad cœlestia gaudia venturos. Nec solùm verbis eos corroborat, sed eleemosynis per Herennianum Subdiaconum & Lucanum & Maximum fratres, eorum indigentiis subvenit, de quo Epist.80. ei gratias agunt.

XIV. Cypriano rescripserunt Nemesianus, Dativus, Felix, & Victor Epist.78., & Lucius nomine omnium Epist.79. Scripsit etiam Cyprianus ad Rogatianum Juniorem & cæteros Confessores in carcere constitutos Epist.81.; quâ Rogatianum & cæteros collegas consolatur, & exemplo Rogatiani senioris, & Felicissimi Martyris animos illis addit. Hunc Felicissimum quietum & sobrium appellat ad distinctionem alterius Felicissimi inquieti & schismatici Novati partes secuti, de quo Epist. 38. 39. 40. 42. & 55.. Hoc ultimo sui exilii & vitæ anno Librum de Exhortatione ad Martyrium perfecisse S. Cyprianus creditur. Id tamen certum est, eum in nullo defuisse, quod zelus & caritas erga omnes ab eo postularet.

XV. Interea dum S. Cyprianus Curubi moraretur, & annus dilationis promissæ jam ad finem inclinaret, Galerius Maximus Paterno in Proconsulatu successerat anno 258., & S. Cypriano ab exilio Carthaginem reversus in hortis suis, fortè ibi relegatus, detinebatur. Mense igitur ejusdem anni Augusti propinquante, ferociores litteræ contra Christianos Româ ab Imperatoribus in Africam pervenerunt, de quibus certior factus fuit Cyprianus, sicut & de Martyrio Sixti, ut ex Epistola 82. ejusdem ad Successum apparet. Has Galerius Proconsul cùm Uticæ maneret accepit, in quarum executionem tercenti Martyres dicti *Massa Candida*, de quibus supra, post medium Augusti ibidem coronati sunt. Post hæc Proconsul de Cypriano sollicitus, sperans eo sublato cæteros facilè subigendos, satellites misit, qui eum Uticam ad se perducerent: quod cùm Cyprianus præscivisset, amicorum hortatu ab hortis secedens, in abditiore loco se occultavit, donec Proconsul Carthaginem veniret.

XVI. Ne tamen quis suspicetur, Virum, qui tot adhortationibus alios ad Martyrium excitaverat, modò formidine aut metu latebras quæsiisse; noverit, Cyprianum id egisse, non ut illud declinaret, quod imò summis votis exoptabat; sed ut illud gloriosiùs & solemniùs consummaret Carthagine toto grege suo spectante. Ita ipsemet Epist.83. protestatur his verbis: *Cùm*

perlatum ad nos fuisset, Fratres carissimi, frumentarios esse missos, qui me Uticam perducerent, & consilio carissimorum persuasum esset, ut de hortis nostris interim secederemus, justâ interveniente causâ consensi; eo quòd congruat Episcopum in ea Civitate, in qua Ecclesiæ Dominicæ præest, illic Dominum confiteri, & Plebem universam Præpositi præsentis confessione clarificari; quodcumque enim sub illo confessionis momento confessor Episcopus loquitur aspirante Deo, ore omnium loquitur. Cæterùm mutilabitur honor Ecclesiæ nostræ tam gloriosæ, si ego Episcopus alterius Ecclesiæ præpositus, acceptâ apud Uticam super confessione sententiâ, exinde Martyr ad Dominum proficiscar; quandoquidem ego & pro me & pro vobis apud vos confiteri, & ibi pati & exinde ad Dominum proficisci orationibus continuis deprecer, & votis omnibus exoptem & debeam. Expectamus ergo hìc in secessu abdito constituti adventum Proconsulis Carthaginem redeuntis, audituri ab eo, quid Imperatores super Christianorum laicorum & Episcoporum nomine mandaverint, & dicturi quòd ad horam Dominus dici voluerit. Hæc Cypriani de suo postremo secessu ad suam Ecclesiam ratio.

XVII. Cùm igitur Proconsul Carthaginem venisset, Cyprianus statim ad suos hortos regressus est; quò illustriores Urbis ac digniores Personæ eum convenerunt, ei loca securiora pro ejus incolumitate offerentes; quæ omnia ille respuit: & nil aliud quàm Martyrium exoptans, circumstantes ad similiter faciendum hortabatur. At duo Commissarii cum Militibus ad hortos pervenientes 13. Septembris anni 258., Tusco & Basso Consulibus, sanctum Virum super currum in medio eorum velut Christum in medio Latronum ascendere fecerunt, & quasi de capta præda diù requisita lætantes, ad Sextum locum sexto milliario Carthagine distante, ubi tunc valetudinis causâ Proconsul degebat, eum duxerunt. Rumore subitò per totam Carthaginem sparso, quòd captus & Sextum ductus esset Cyprianus, concurrebant omnes ad spectaculum Manebat ille in domo Principis unâ nocte sub discreta custodia detentus; ita ut familiares ipsum adire & cum eo conversari possent: Plebs tamen tota sollicita, ne per noctem aliquid sine conscientia sui fieret, ante fores Principis excubabat. Nec sine speciali Dei providentia hæc dilatio facta est donec crastinus dies, qui dies passionis futurus ante annum (ut dixi) prædictus fuerat, adveniret.

XVIII. Illuxit denique dies alius ante Kalendas Octobris decimus octavus, dies signatus, dies pro passione prædictus. Egressus est Cyprianus domum Principis, eum propemodùm infinitâ Turbâ comitante. Eundi autem interfuit transitus stadii,

do-

donec ad Prætorium perveniret: quò cùm ventum fuit, Proconsule nondum procedente, secretior locus datus est. Ibi cùm S. Martyr præ itinere sudore maderet, quidam antea Christianus obtulit illi vestes, ut suas jam humefactas siccis permutaret, quod ille recusavit.

XIX. Interim Galerius Maximus Proconsul venit in Prætorium, qui Cyprianum sibi offerri præcepit sedenti in atrio Sauciolo (in quo interficiendi judicabantur). Cùmque illi oblatus fuisset, Galerius dixit: *Tu es Thascius Cyprianus?* Respondit Cyprianus: *Ego sum.* Iterùm Galerius: *Tu*, inquit, *Papam te sacrilegæ mentis hominibus præbuisti?* Respondit Cyprianus: *Ego.* Tunc Galerius ait. *Jusserunt te sacratissimi Imperatores cæremoniari.* Cui Cyprianus: *Non facio.* Galerius subjunxit: *Consule tibi.* At Cyprianus: *Fac*, inquit, *quod tibi præceptum est. In re tam justa nulla est consultatio.* Tunc Galerius conlocutus cum Concilio, sententiam his verbis protulit. Diù sacrilegâ mente vixisti, & plures tibi nefariæ conspirationis homines aggregasti, & inimicum te Diis Romanis & sacris legibus constituisti, nec te pii & sacratissimi Principes Valerianus & Gallienus Augusti, & Valerianus nobilissimus Cæsar ad Sectam cæremoniarum suarum revocare potuerunt. Et ideò cùm sis nequissimorum criminum auctor & signifer deprehensus, eris ipse documento his, quos scelere tuo tecum aggregasti. Sanguine tuo sancietur disciplina. Et his dictis, decretum ex tabella recitavit: *Thascium Cyprianum gladio animadverti placet.* Cyprianus Episcopus dixit: *Deo gratias.*

XX. Auditâ hâc sententiâ Fratres nedum non territi sed alacriores effecti dicebant: Et nos cum illo decollemur. Propter hoc tumultus Fratrum exortus est, & multa Turba eum est prosecuta. Cyprianus ergo in agrum Sexti perductus, ibi se lacernâ byrro (vestis erat more Cappæ) expoliavit, & genu in terra flexo in orationem Deo se prostravit. Et cùm se Dalmatica expoliasset & Diaconibus tradidisset, in linea stetit & cœpit spiculatorem sustinere: cui cùm venisset, jussit suis, ut viginti quinque aureos darent. Linteamina verò & manualia à fratribus ante eum mittebantur: postea verò Beatus Cyprianus manu suâ oculos sibi texit. Qui cùm lacinias manuales ligare sibi non potuisset, Julianus Presbyter & Julianus Subdiaconus ei ligaverunt. Postea tremente carnificis dextrâ securi percussus spectantibus innumeris celebri Martyrio vitam coronavit. Ejus corpus propter Gentilium curiositatem in proximo positum est: inde per noctem sublatum cum cereis & scholacibus (faces erant ad arcen-

arcendas noctis tenebras) ad areas Macrobii Candidiani Procuratoris, quæ sunt in via Mappaliensi juxta piscinas cum voto & triumpho magno deductum est. Post paucos autem dies Galerius Maximus Proconsul decessit. Ita ex Actis Proconsularibus, quorum aliqua etiam ex Pontio desumsi.

XXI. Sic Beatus Cyprianus vivens ac moriens unus pro mille illustre testimonium Christo ejusque Religioni reliquit. Quem summis encomiis meritò celebrarunt Patres: inter quos Pacianus Epist. 2. ad Sympronianum: *Cyprianus*, inquit, *in concordia omnium, in pace communi, in Confessorum grege passus est; & sæpè confessus, iteratis persecutionibus & multâ laceratione vexatus, & novissimè salutari calice propinatus est*. Suis adhortationibus, & præsertim suæ exemplo fortitudinis, adeò ardens in collegis suis ac fratribus cæteris Martyrii desiderium inspiravit; ut nil aliud quàm pro Christo pati in votis haberent. Testantur Epist.78. Nemesianus, Dativus, Felix, & Victor, & Epist.79. Lucius, & alii ad metalla damnati, qui ei gratias agentes ajunt: *Tuis vocibus & quæ minùs in nobis instructa erant exornasti, & confirmasti ad sustentationem earumdem passionum, quas patienter ferimus securi de præmio cœlesti & de corona Martyrii & de Regno Dei.* Hinc ait Maximus Taurinensis homil.2.: *Nec immeritò tanto cum honore Cypriani nominis memoria per amplissima Mundi spatia celebratur, quia per universum Orbem ad firmamentum Fidei nostræ & passio ejus & doctrina profecit.*

XXII. Duplicem Basilicam sub Cypriani nomine ædificatam propè Carthaginem fuisse, testis est Victor Vitensis L.1. de Persecutione Vandalica: unam quidèm, ubi sanguinem fudit; alteram verò, ubi ejus Corpus sepultum est, in loco scilicet, qui *Mappalia* vocabatur. In priori erat celebris illa *Mensa*, ad quam toties Augustinus Sermonem ad Populum habuit, de qua Serm.310. sic loquitur: *In eodem loco mensa Deo constructa est; & tamen mensa dicitur Cypriani, non quia ibi unquam Cyprianus est epulatus, sed quia ibi est immolatus: & quia ipsâ immolatione suâ paravit hanc mensam, non in qua pascat sive pascatur, sed in qua Sacrificium Deo, cui & ipse oblatus est, offeratur*. Alteram verò Basilicam in Decimo sitam & à Vandalis violatam, miro modo fuisse sub Justiniani Imperio restitutam, refert Procopius L. 2. de Bello Vandalico. Sacrum verò ejus Corpus, quod devastatâ à Barbaris Africâ incultum prorsùs jacebat, Caroli Magni Imperatoris Legati ab Aarone Persarum Rege per Africam transeuntes obtinuere: quod Arelate primùm, deinde Lugduni depositum, Carolus Calvus Imperator in Monasterium Compen-

dii

dii (Compiegne) in suo Palatio erectum transferri curavit. Pamelius tamen vult, quòd ab ejus Monasterii Abbate S. Martyris Reliquias Rothnacenses in Belgio acceperint. Is locus situs est inter Tornacum & veteres Nervios, ubi adest Collegiata insignis. Hoc tamen an verum sit, discutere nostrum non est.

§. VII.

SS. Fructuosi & Sociorum Martyrum.

I. ANtiquior inter Martyres Hispanos, quorum certa notitia ad nos pervenit, creditur esse S. Fructuosus Tarraconensis Episcopus, qui unà cum Augurio & Eulogio Diaconibus anno 259. Martyrium passus fuit. De ejus gestis ante Martyrium nihil aliud dicere possumus, nisi quòd omnibus dotibus ornatus erat, & omnia ea implebat, quæ in Episcopo Sanctus Paulus requirit; ac propterea nedum Fidelium sed Infidelium etiam amorem sibi conciliaverat, ut in ejus morte apparuit. Visitur adhuc Tarraconæ domus, in qua S. Fructuosum habitasse, fert Traditio.

II. Igitur Valeriano & Gallieno Imperatoribus & Æmiliano Consulibus, 17. Kalend. Februarii idest 16. Januarii die Dominico, Fructuosus comprehensus fuit anno 259. ut dixi. Domi suæ tunc morabatur cum Augurio & Eulogio Diaconibus, & ecce beneficiarii (idest Milites veterani & exempti) missi ad domum ejus pervenientes, pedibus seu ut alii virgâ lictoriâ ad foràs pulsare cœperunt. Audito sonitu Fructuosus statim surgens prodiit foràs ad eos in soleis: cui Milites dixerunt: Veni, Præses te accersit cum Diaconibus tuis. Quibus Fructuosus dixit: Eamus, aut si vultis, calceo me. Cui Milites dixerunt: Calcea te ad animum tuum. Venientes ergo Fructuosus & Diacones in carcerem recepti sunt. Fructuosus autem certus & gaudens de corona Domini, ad quam vocatus erat, sine cessatione orabat. Fideles interim carceri assistebant refrigeria præbentes, & ut illos in mente haberet rogantes, & sequenti die in carcere baptizavit Catechumenum quemdam nomine Rogatianum.

III. Sex diebus in carcere detenti sunt, & producti sunt 12. Kalend. Februarii idest 21. Januarii feriâ sextâ, ut à Præside audirentur. Statim verò Æmilianus Præses, Fructuoso Augurio & Eulogio introductis, Fructuoso dixit: Audisti quid Impera-

peratores præceperunt? Respondit Fructuosus: *Nescio quid præceperunt. Ego verò Christianus sum*. Æmilianus dixit: Præceperunt, Deos coli. Tunc Fructuosus: *Ego*, inquit, *unum Deum colo, qui fecit cœlum & terram mare & omnia*. Æmilianus dixit: Scis esse Deos? Cui Fructuosus: *Nescio*, respondit. Æmilianus verò ait: Scies postea. Fructuosus autem respiciens ad Dominum orare cœpit intra se. Tum addidit Æmilianus: Qui ergo audiuntur, qui timentur, qui adorantur, si Dii non coluntur, nec Imperatorum effigies adoratur? Inde ad Augurium conversus, dixit ei: Noli verbis Fructuosi auscultare: Augurius autem: *Ego*, inquit, *Deum omnipotentem colo*. Postea ad Eulogium Æmilianus ait: Nunquid & tu Fructuosum colis? cui Eulogius respondit: *Ego Fructuosum non colo; sed & ipsum colo, quem & Fructuosus*. Post hæc Æmilianus à Fructuoso petiit: Episcopus es? & Fructuoso respondente *sum*, Æmilianus dixit: *Fuisti*. Et jussit eos suâ sententiâ vivos ardere.

IV. Dum ergo Fructuosus Episcopus cum Diaconibus suis ad amphitheatrum duceretur, universus Populus tam ex Fidelibus quàm ex ipsis Ethnicis, qui eum velut communem patrem speciali amore prosequebatur, condolere cœpit. Qui tamen ad quantam gloriam pergeret, sciebant, gaudebant potiùs, quàm dolebant. Cùmque multi ex fraterna caritate poculum liquore permixtum ei offerrent, ait: *Nondum est hora solvendi jejunii*, sextæ scilicet feriæ, quod in carcere inchoaverat, sperans se illud completurum cum Martyribus & Prophetis in Regno Cœlorum. Jamque ad amphitheatrum pervenerat, cùm quidam Augustalis nomine unus ex Lectoribus cum fletu eum deprecabatur, ut se excalceari permitteret, sed Beatus Martyr respondit: *Missum fac, fili, ego me excalceo, fortis & gaudens & certus Dominicæ promissionis*. Qui cùm se excalceasset, accessit ad eum Miles Christianus nomine Felix, qui apprehendens dexteram ejus, ut sui memor esset, rogavit. Cui Sanctus Episcopus audientibus omnibus dixit: *In mente mea habere necesse est Ecclesiam Catholicam ab Oriente usque ad Occidentem diffusam*. Quibus verbis S. Augustinus Serm.273. num.2. addit. *Tu si vis, ut pro te orem, noli recedere ab illa pro qua oro*.

V. Jam in porta amphitheatri constitutus proximè coronandus dolentes de sua amissione fratres, his verbis, audientibus etiam beneficiariis, eos consolatus est: *Jam non deerit vobis Pastor, nec deficere poterit caritas & repromissio Domini, tam hìc, quàm in futurum. Hoc enim quod cernitis, unius horæ videtur infirmitas*. Inde palis ligati tres fuere, & accensus ignis quo combure-

burerentur. Sed quemadmodùm Ananias Azarias & Misael missi in fornacem Babylonicam illæsi in medio ignis ambularunt; sic Fructuosi Augurii & Eulogii corpora flamma non læsit, solùmque fasciolas quibus manus eorum fuerant alligatæ exussit: unde manus jam liberas ad cœlum elevantes, solitæ consuetudinis memores, positis genibus, de resurrectione securi gaudentes Dominum deprecabantur, donec simul animas corporibus exutas ei reddiderunt.

VI. Ita gloriosi Martyres triumpharunt. Sed eorum triumphi cœlestia signa non defuere; statim enim apertum est Cœlum videntibus Babylâ, & Migdonio Christianis de familia Æmiliani Præfecti, qui etiam filiæ Æmiliani eorum Dominæ signum ostenderunt, nimirùm Fructuosum Episcopum cum Diaconibus, adhuc stipitibus quibus ligati fuerant permanentibus, in Cœlum ascendentes coronatos. Cùmque Æmilianum vocarent dicentes: Veni & vide quos hodie damnasti, quemadmodùm Cœlo secundùm spem suam restituti sunt: venit Æmilianus; sed videre eos dignus non fuit. Nocte autem fratres de amissione sui Pastoris dolentes, ad amphitheatrum cum vino venerunt, quo semiusta corpora perfunderent, unoquoque eorum partem sibi asservandam usurpante. Sed hoc Deo non probari ostendit Fructuosus ipse, qui fratribus apparens monuit, ut quod unusquisque per caritatem de ossibus seu cineribus distraxerat restituerent sine mora, & uno in loco simul recondendum curarent. Fertur etiam Æmiliano, qui eos damnarat, Fructuosum cum Diaconibus suis ostendisse se, eumque increpasse, nihil illi profuisse, quos frustra exutos à corpore in terra crederet, quos cerneret gloriosos. Hæc omnia sumta sunt ex Actis sinceris, quæ inter alia recenset P. Ruinart: eademque fuisse ac illa, quæ olim in Ecclesia Africana legebantur, apparet ex Sermone modò 273., quem S. Augustinus in eorumdem Sanctorum natali habuit, & ex Prudentio, qui Hymnum 6. de eisdem texuit.

Passi sunt ergo, ut dixi, præfati Martyres apud Tarraconam celebrem olim Hispaniæ citerioris Metropolim in hodierna Catalonia anno 259. feriâ sextâ vigesimâ primâ die Januarii, quâ die in veteribus Martyrologiis eorum memoria recolitur & præcipuè in Romano his verbis: *Tarracone in Hispania Sanctorum Martyrum Fructuosi Episcopi, Augurii & Eulogii Diaconorum, qui tempore Gallieni primò in carcerem trusi deinde flammis injecti, exustis vinculis, manibus in modum crucis expansis orantes Martyrium compleverunt: in quorum die natali Sanctus Augustinus sermonem ad Populum habuit*. Paulò post S. Fructuosi & Socio-

rum mortem Tarraconensis Civitas pœnas luit; imperante enim Gallieno, à Gallis direpta & devastata fuit.

§. VIII.

SS. Lucius, Montanus, Flavianus &c. Martyres.

I. HIspaniâ relictâ, in Africam, unde digressi sumus, revertamur; in ea enim sub Valeriani extremis annis atrocissimam fuisse Persecutionem, præter ea quæ de Beato Cypriano dixi, alia antiqua Monumenta produnt: Paulò post, & fortè paucis diebus post S. Cypriani mortem, Solon qui vices Maximi Proconsulis defuncti tanquam Procurator, donec Româ novus Consul adveniret, Provinciam gubernabat, circa mensem Octobris 258. octo Christianos majori ex parte Ecclesiasticos comprehendi jussit, nimirùm Lucium, Montanum, Flavianum, Julianum, Victoricum, Primolum, Renum, & Donatianum, qui omnes creduntur fuisse S. Cypriani Discipuli; eum enim *nostrum Episcopum* Flavianvs vocat. Flavianus Diaconus erat; Primolus tamen & Donatianus Catechumeni. Donatianus in carcere baptizatus obiit: Primolus similiter obiit, non alio tamen Baptismate præventus quàm flaminis, confessione scilicet Fidei, quam ante aliquot menses ediderat.

II. Statim ac capti à custode carceris intellexerunt, Procuratoris animum esse sequenti die vivos eos comburere. At illi fusis ad Deum precibus, ut eos à tali supplicio liberaret, voti compotes facti sunt: quare Solon animo mutatus in carcerem tenebrosum & valde incommodum eos detrudi mandavit. Interea Reno uno ex illis in somno ostensum est, singulos ex eis produci, quibus prodeuntibus lucernæ singulæ præferebantur, cujus autem lucerna non præcesserat nec ipse procedebat. Cùmque expergefactus narrasset, omnes qui ibi secum in carcere erant processisse, lætati sunt, fidentes se Christum, qui lucerna est pedibus nostris, habere ducem. Cùm igitur dies affulsisset, subitò catenis gravati rapti sunt ad Procuratorem, qui tunc defuncti Proconsulis partes administrabat. Incerti autem Milites, ubi nam eos audire vellet, catenis oneratos per totum forum circumduxerunt, donec ad secretum ejus cubiculum vocatos, & coram eo Christum liberè confessos remisit ad carcerem, ubi aliâ arte constantiam eorum frangere se putans, fame ac siti extremâ multis diebus eos tentavit, adeout vel ipsis ægrotantibus aqua denegaretur. Diaconus tamen Flavianus rigidè adeò jejunium ser-

ſervabat, ut nec minimum illud quod expenſis Fiſci ei miniſtrabatur acciperet.

III. Presbyter quidam nomine Victor in eodem carcere propter Chriſtum detentus hanc ſibi oſtenſam viſionem narravit: Videbam, inquit, puerum vultu decorum & perlucidum hunc carcerem introiſſe, qui nos deducebat per omnia loca ut exiremus, egredi tamen non potuimus: & ait mihi: Adhuc modicum laboratis, quia detinemini; ſed confidite, quia ego vobiſcum ſum: & adjecit: Dic illis quia coronam magis glorioſam habebitis. Quærenti autem mihi, ubi eſt paradiſus? reſpondit puer: Extra Mundum eſt. Oſtende ergo illum mihi, ego ſubjeci: at ille: Ubi ergo erit Fides? Cùmque ego adhuc infirmus repeterem, dic mihi ſignum quod eis dicam: dic, ait, illis ſignum Jacob. Hæc narravit Victor, qui ſtatim poſt hanc viſionem paſſus eſt.

IV. Eodem carcere quædam mulier Chriſtiana nomine Quartilloſa detinebatur, cujus & maritus & filius ante triduum paſſi erant, quos & ipſa paulò poſt intrepidè ſecuta eſt. Priùs tamen hoc ſibi in viſione oſtenſum narravit: Vidi, inquit, filium meum qui paſſus eſt veniſſe huc ad carcerem, qui ſedens ſuper labrum aquarum ait: Vidit Deus preſſuram veſtram. Et poſt hunc introivit Juvenis miræ magnitudinis portans phialas duas ſingulis in manibus lacte plenas, & ait: Bono animo eſtote, memoratus eſt veſtri Deus omnipotens. Et ex phialis, quas ferebat dedit omnibus bibere, quæ phialæ non deficiebant. Et ſubitò ablatus eſt lapis, qui feneſtram dividit medius; unde feneſtræ liberam Cœli faciem admiſerunt: indè Juvenis poſitis phialis unâ ad dexteram, ad ſiniſtram alterâ, ait: Ecce ſatiati eſtis & abundat, & tertia adhuc phiala ſuperveniet vobis; & abiit.

V. Cùm præcedente die Martyres nihil cibi ſumſiſſent, nec ſequenti aliquid quo reficerentur haberent, Lucianus tunc Presbyter, poſtea Carthaginenſis Epiſcopus, omnia obſtantia ſuperans, per Herennium Subdiaconum & Januarium Catechumenum cibos largiter eis miniſtravit, fortè per duas phialas, ut ſupra, indicatos: quibus captivi Martyres, & præcipuè, qui ob Solonis feritatem & aquam nimis frigidam in morbum inciderent, magnum levamen ab ægritudine reportarunt. Herennius iſte idem fuiſſe exiſtimatur, per quem Cyprianus miſerat ſubſidia ad Confeſſores ad metalla damnatos (ut Epiſt. 78. & 80.) Ex eo autem quod in Actis dicitur, Lucianum miſiſſe ad Sanctos Martyres *alimentum indeficiens*, inferunt aliqui, unà cum cibis uſualibus miſiſſe etiam Sacram Euchariſtiam.

VI. Accidit interea, ut quædam mulier à communione

Fidelium ſeparata ex improviſo ad eorum communionem obreperet, quam Montanus acriter objurgavit; cumque Julianus eam excuſaret, facta eſt inter illos contentio, adeo ut refriguiſſe caritas videretur. Ut hanc maculam Montanus elueret, fecit Deus, ut ſequenti nocte in ſomno ſibi videretur cum aliis Confeſſoribus in amœnam vaſtam planitiem perveniſſe, ubi obvios habuere Sanctos Cyprianum & Lucium (unum fortè ex Martyribus antea coronatis) caro omnium alba apparebat & adeò perlucida, ut quidquid intra corpus eſſet oculis penetraretur. Montanus ergo ad ſuum cor reſpiciens in eo quaſdam ſordes vidit. Inde expergefactus (ut falsò putabat) occurrenti ſibi Luciano dixit: Scis unde iſtæ ſordes in corde meo? Ah! Video eas me contraxiſſe, quia non ſtatim cum Juliano reconciliatus ſum. Et ſtatim verè evigilans Julianum corde complexus eſt. Hactenùs dicta Martyres ipſi in carcere ſcripſerunt. Sequentia monente Flaviano ab iis qui præſentes erant memoriæ tradita ſunt.

VII. Poſtquam igitur Beati Martyres pluribus uſque ad octo menſibus carcerem famem ſitim aliaque incommoda pro Chriſto invictè ſuſtinuerant, ad Judicem (cujus nomen tacetur) adducti ſunt; coràm quo Chriſtum omnes confeſſi ſunt, & inſuper ſinguli, quem gradum in Eccleſiaſtico miniſterio obtinerent, expoſuerunt; ſpecialiter enim Eccleſiæ Miniſtri quærebantur ad necem, ut ſæpè dixi. Porrò cùm Flavianus palàm ſe eſſe Diaconum pronuntiaſſet, quidam ejus falſi amici, ut ejus vitam temporalem ſervarent, conclamare cœperunt, hoc falſum eſſe, & Flavianum in hoc fuiſſe mentitum. Quare Judex Flaviano in carcerem remiſſo, cæteros quatuor Lucium, Montanum, Julianum, & Victoricum capitali ſententiâ damnavit; Primolus enim & Donatianus in carcere mortui fuerant, & probabiliter etiam Renus, cùm de eo nulla habeatur ampliùs mentio.

VIII. Hi ergo quatuor Martyres ad locum ſupplicii ducebantur: unde cùm multitudo tum Fidelium tum Gentilium conveniſſet, hilares vultu S. Cypriani exemplum imitantes ad ſimilia perferenda omnes adhortabantur. Lucius genio mitis, quamvis gravi preſſus infirmitate, paucis eum comitantibus, præcedebat ſollicitus, ne à fundendo pro Chriſto ſanguine vi morbi impediretur. Non ceſſabat, ut poterat, eos qui comitabantur alloqui; & dicentibus ei fratribus: Memento noſtri: *Vos*, inquit, *mei mementote*, tanta erat Martyris humilitas, ut de ſe nec ſub ipſa paſſione præſumeret. Julianus quoque & Victoricus, inſinuatâ diù fratribus pace & commendatis omnibus Clericis, maximè eis qui famem carceris paſſi erant, ad paſſionis

nis locum cum gaudio & fine pavore venerunt, ubi Martyrii gloriâ coronati fuere.

IX. Montanus verò corpore & fpiritu fortis Martyrio proximus fe fortiorem oftendit. Cœpit igitur altâ voce exclamare: *Qui immolat Diis, & non Domino foli, exterminabitur*: quod pluriès repetiit. Hæreticorum quoque fuperbiam & impiam contumaciam retundens dicebat: *Difcite faltem ex multitudine Martyrum, quæ fit vera Ecclefia, dignofcere*. Lapfos ad non feftinandum fed ad permanendum in pœnitentia hortabatur; cæteros Fideles ad conftantiam, Virgines quoque ad tuendam caftitatem, cæteros omnes ad honore profequendos Epifcopos, & Epifcopos ad concordiam admonebat: afferens nihil effe tutius ad Populum in pace & unitate Fidei continendum. Cùmque jam Carnificis gladius fuper caput ejus immineret, manus ad Deum extendens altâ voce, audientibus etiam Paganis, rogavit, ut Flavianus qui Populi fuffragio remanferat, tertiâ die fequeretur. Et ut precis fuæ fidem faceret, fudarium, quo fibi oculos texerant, in duas partes difcidit & juffit alteram refervari, quâ tertiâ die Flaviani oculi ligarentur, ac infuper locum in fuo fepulcro relinquit, ut ibi etiam eum focium haberet. Poft hæc fubmittens gladio caput gloriofo exitu vitam coronavit.

X. Interim Flavianus in carcere manebat, triftis quidèm, quòd à fratrum focietate & gloria fejunctus fuiffet: fed fefe totum Dei voluntati fubmittens, quid de fe ftatuiffet expectabat. Pia mater ejus, quæ ab eo divelli non poterat, de hac dilatione æquè dolebat. At ille eam confolabatur dicens, hanc effe dilationem coronæ, non privationem. Cùmque ad eum fama perveniffet de Montani prædictione, quòd tertiâ die cæteros & ipfe foret fecuturus, anxius hanc diem expectabat. Venit ergo tertia dies, nec Judex omifit quod prædictum erat implere. Mifit ad carcerem qui eum ad fe traherent. Vox ifta evulgata accivit omnes tam Fideles quàm Ethnicos, quorum pars maxima ejus falutem peroptabat. Ipfe autem conftantiâ ac fiduciâ repletus cum gaudio proteftabatur, fe nec clamoribus nec blanditiis ceffurum, quin focios fuos in agone fequeretur; Fidelibus coram eo plorantibus annuntians pacem. Pagani etiam quorum multi ejus condifcipuli fuerant, eum hortabantur cum lacrymis, ut tunc Diis immolaret, facturus poftea quod voluiffet. Quibus ille gratias agens repofuit, multò meliùs effe fibi pro vero Deo mori, quàm lapides adorare: vivere nos etiam cùm occidimur, & à mortali ad immortalem vitam tranfire; fi hoc & ipfi facerent, immortalitatis fore participes.

XI. Vo-

XI. Vocatus coram Judice fiſtitur, qui eum interrogans; cur, inquit, cùm Diaconus non ſis, Diaconum te eſſe mentiris? Judicis vocem totius Populi clamor ſubſecutus eſt Flavianum Diaconum eſſe negantis, pro quo ſcripta etiam nota allata eſt. At ſubridens Flavianus ait: Si mentirer, quid hoc mendacio lucrarer? imò Valeriani Edicto hâc confeſſione ducor ad mortem. Tunc Populus conclamare cœpit, ut pro exquirenda veritate quæſtioni ſubjiceretur, ut victus dolore tormentorum quæ dixerat, retractaret. Sed Deus qui ejus fidem & præparationem cordis noverat, fecit ut Judex ſtatim prolatâ ſententiâ morti eum addixerit.

XII. Lætus Flavianus, quòd Montani impleta fuit prædictio, ducitur ad ſupplicium multitudine Populi comitante, velut duceretur ad triumphum, Matre ejus ut olim Machabæorum Mater, præ cæteris exultante, quòd viſura eſſet filium ſuum pro Fidei confeſſione Martyrem fieri: & verè tripliciter Martyrem; nam ut Flavianus ipſe ſibi in viſione oſtenſum narravit, primò, cùm Chriſtum ſecretò fuit confeſſus; ſecundò, cùm publicè & reclamante Populo juſſus fuit recludi; & tertiò, cùm poſt confeſſiones duas tertiâ paſſionem perfecit. Sic enim in viſu ei dictum fuerat: *Contriſtaris? Bis Confeſſor es, tertiò Martyr eris per gladium*. Contigit autem, ut dum pergeret, imber largus & lenis temperato rore deſcenderet, nec ſine myſterio. Primò, ut Gentiles perniciter curioſi interventu pluviæ ſecederent: ſecundò, ut ad hoſpitium divertendi occaſio, & extremis ſanctæ pacis inter Fideles amplexibus nullus profanus arbiter intereſſet: tertiò, quòd Flavianus ipſe dixit: *adhuc pluebat, ut Dominicæ paſſionis exemplo, aqua ſanguini jungeretur*. Indè ad locum Martyrii perductus, habitâ Fidelibus brevi ad pacem hortatione, medietatem ſudarii ſibi à Montano relictam ante oculos aptavit, & fixis ad preces genibus cum oratione paſſionem gladii ictu finivit. Ita ex Actis horum SS. Martyrum apud Ruinart.

XIII. Vide Lector in tanta alacritate, quâ Sancti Viri properabant ad mortem, omnipotentem manum Dei ſupra humanas vires operantem: & hinc infer Religionem Chriſtianam Deum habere auctorem ac propugnatorem. Eccleſia Carthaginenſis Flaviani memoriam colit 25. Maii biduo poſt Montani & aliorum: Romanum tamen Martyrologium & alia aliqua 24. Februarii omnes ſimul commemorant cum ſociis Primulo Donatiano & Reno in carcere defunctis.

§. IX.

§. IX.

SS. Jacobus, Marianus, & alii Africani Martyres.

I. JAcobus Diaconus erat, Marianus verò Lector: hic matrem habebat pietate celebrem nomine Mariam, teste S. Augustino Serm. 284.; Jacobus verò vir constans titulo Confessoris in altera Persecutione, puta Decii, decoratus fuerat. Cujus Ecclesiæ aut Patriæ essent, ignoratur; ex Numidia certè non erant, ubi Deo placuit eos coronare. Quæ eorum itineris causa fuerit, qui eorum mandato historiam scripsit, eorumque comes in itinere erat, non dicit; sed solùm quòd in itinere Jacobus visionem habuit, quâ sibi & Mariano Martyrium prænuntiabatur.

II. Cùm ergo pervenissent Muguas locum vicinum Cirthæ Urbi Episcopali Numidiæ, postea Constantinæ dictæ, in qua Persecutio barbarè tunc sæviebat (inquirebantur enim ad necem illi quoque, qui antea solo exilio fuerant mulctati) contigit, ut duo Sancti Episcopi Agapius & Secundinus, qui ab exilio revocabantur ad gloriam Martyrii, Muguas adventantes ad idem hospitium, in quo Jacobus & Marianus erant, Deo sic disponente diverterent, quorum sermonibus confortati magis ad Martyrium subeundum accensi fuere. Biduo post Agapii & Secundini discessum Paganorum multitudo Muguas quasi ad asylum Christianorum convolavit. Unde Jacobus & Marianus comprehensi Cirtham ducti fuere. Sequebantur eos Fidelium non pauci, non quidèm lugentes, sed ad Martyrium excitantes, qui interrogati an essent Christiani, liberè affirmantes, comprehensi & in carcerem ducti, Jacobum & Marianum Martyrio præcesserunt.

III. Cirtham deducti diris cruciatibus ambo tentati fuere, quibus eorum constantia superior emicuit. Jacobus, qui se non Christianum tantùm sed & Diaconum confessus fuerat, & Marianus qui Lectorem se affirmaverat, suspensi non manibus sed pollicibus, appensis etiam ad pedes ponderibus, ut discordantibus pœnis utrimque distracta, & viscerum convulsione resoluta, de nervis suis totius corporis compago penderet, victores tandem ac de suo triumpho lætantes, in carcerem cum reliquis fratribus iterùm recluduntur. In eodem carcere fortè detinebantur Agapius & Secundinus Episcopi. Hoc certum est, jam ante Jacobum & Marianum Martyrio sacrificium fidei suæ consummasse,

maſſe, cùm Agapius poſtea Jacobo apparuerit, cœleſti gloriâ rutilans, eumque unà cum Mariano invitans ad convivium ipſis præparatum. De Agapio fertur, eum duas Virgines Tertullam & Antoniam ſanctâ dilectione proſecutum fuiſſe, ac ſibi ſocias in paſſione à Deo poſtulaſſe, ſed pro una tantùm gratiam obtinuiſſe. Martyrologia tamen & Romanum præcipuè die 29. Aprilis utramque Martyrem facit cum Agapio Secundino & Æmiliano (de quo ſtatim) ſic enim habet: *Cirthæ in Numidia natalis Sanctorum Martyrum Agapii & Secundini Epiſcoporum, qui poſt longum apud præfatam Urbem exilium, in Perſecutione Valeriani, in qua tunc maximè Gentilium rabies ad tentandam juſtorum Fidem inhiabat, ex illuſtri Sacerdotio effecti ſunt Martyres glorioſi. Paſſi ſunt in earum Collegio Æmilianus miles, Tertulla & Antonia ſacræ Virgines, & quædam mulier cum ſuis geminis.*

IV. Aliquot dies inter tenebras & ſquallorem Cirthani carceris, fame etiam ac ſiti laborantes Jacobus & Marianus tranſegerant, cùm viſione quadam eos conſolari Deus dignatus eſt. Mariano igitur S. Cyprianus apparuit ad dexteram cujuſdam magni Judicis ſedens, ad quem Confeſſorum ſingulæ claſſes admovebantur & ab eo mittebantur ad gladium. Cyprianus autem Marianum conſpiciens dixit ei: Veni, ſede mecum: & cùm aſcendiſſet, ſurrexit Judex eum per amœna prata, & viridantes campos cunctis Confeſſoribus comitantibus duxit; & ſtatim diſparuit. Tunc Cyprianus implens de aqua cujuſdam fontis phialam, prior de illa ipſe hauſit, deinde iterùm impletam Mariano porrexit, qui & ipſe lætus bibit, & hoc ſibi Martyrium prænuntiatum intellexit.

Hæc narrante Mariano, Jacobus alterius viſionis, quam dum Cirtham veherentur habuit, memoriam fecit, nimirùm quòd dùm ſopore gravaretur, apparuit ei Juvenis ſatis amplæ magnitudinis, veſtem habens diſciſſam, tantoque fulgore micans, ut oculi in eum non poſſent intendere: is cùm tranſcurreret, unam ſtolam purpuream in Marianum, alteram in ſe (ideſt Jacobum) jaculatus ait, *ſequimini me citò*. Quo utriuſque brevi ſecuturum Martyrium indicabatur.

Aliâ quoque viſione ſuam de eorum omnium ibi exiſtentium glorioſâ paſſione voluntatem Deus manifeſtavit. Erat cum illis in eodem carcere dudum detentus Æmilianus vir equeſtris Ordinis, qui tamen nedum fidem, ſed ad quinquageſimum prope annum continentiam ſervarat, & jejuniis ac orationibus ad Sacramentum (ideſt ad Martyrium) quod ſequenti die ſuſcepturus erat, ſe præferebat: huic ergo in ſomnum mediâ die reclinato, oſten-

ostensus fuit frater carnalis ejus gentilis, qui in Christianos insultans ab eo quærebat, quid post tot pœnas se habituros præmii sperarent, cùm eis si obstinatè perstiterint pœna capitalis immineat; addens se velle scire, an omnibus, qui vitam contemnunt, discreta an æqualia præmia in Cœlo rependantur. Cui Æmilianus, Non sum, inquit, idoneus tantæ rei proferre sententiam; attolle tamen paulisper ad Cœlum oculos & vide innumerabilem stellarum multitudinem, numquid stellæ omnes pari luminis honore refulgent, & tamen omnibus lumen est? At ille curiosus: si qua, inquit, discretio est, qui vestrum erunt in lumine potiores? Cùmque Æmiliano respondente, eos futuros gloriosiores quorum nomina Deus novit, ille molestiùs instaret, tandem dixit: hi sunt, quò difficiliùs & rariùs vincunt, gloriosiùs coronantur. Quo audito ille evanuit.

V. His animati ac læti visionibus ac pauculis diebus in carcere commorati, producuntur Jacobus & Marianus, & coram Magistratu Cirthæ sistuntur. Ibi unus Fidelium qui adstabat, zelo qui in facie ejus micabat, omnium in se oculos attraxit. Interrogatus an ipse ejusdem Sectæ esset, confessus est, ac statim aliis Martyribus junctus cum aliis ad Gubernatorem remissus fuit, ad quem longo ac difficili emenso itinere perducti in carcerem omnes conjecti sunt. Interim per dies plurimos ejus sævities in fundendo Christianorum Laicorum sanguine occupabatur. Nam ita inter se nostræ Religionis gradus artifex sævitia diviserat, ut Laicos à Clericis separatos tentationibus seculi & terroribus suis putaret esse cessuros. Hâc separatione, quia eorum victoriam differebat, Clerici torquebantur. Dum in carcere somnum caperet Jacobus, apparuit ei Episcopus Agapius recèns coronatus magna lætitiæ signa edens, ac se unà cum Mariano ad solemne convivium seu Agapen iuvitans, quò cùm raperentur adcurrit ei obvius puer, quem constabat esse alterum ex geminis ante triduum cum matre passis, coronâ roseâ collo circumdatus, & in manu dextera palmam viridissimam præferens, qui ait illis: *Quid properatis? gaudete & exultate; cras enim nobiscum & ipsi cœnabitis.*

VI. Hisce visionibus Divinâ dignatione de futura gloria præmuniti, judicet Lector, quantâ anxietate illum diem, qui futurus erat dies æterni triumphi, sollicitarent. Crastina tandem exoptata illuxit dies, quâ promissis Dei sententia Præsidis serviens Jacobum Marianum & cæteros Clericos capitis animadversione ad Cœlos emisit. Perducti ergo sunt ad coronæ locum, qui collibus hinc inde circumseptus mediâ fluminis valle subse-

derat, quæ tamen altitudine aggerum idonea erat spectaculo. Alveus ipse medio sinu fluorem beati sanguinis hauriebat. Nec proinde deerat utriusque Sacramenti genus, cùm & baptizarentur suo sanguine & lavarentur in flumine. Quia verò numerus Martyrum cædendorum ingens erat, hoc excogitavit artificiosa barbaries, ut omnibus ordine collocatis, pertransiens Carnificis gladius singulorum capita detruncaret. Nam si in uno loco percussurus ipse consisteret, tot cæsorum corpora nimium cumulum coacervarent, nec spatium alvei fluminis ea posset continere.

Tunc singulorum oculis de more velatis, splendor Divinæ lucis eis affulsit; nam plerique proximis atque adstantibus videre se quædam mira loquebantur, equos nimirùm nive candidiores, quibus candidati Juvenes insiderent. Nec defuerunt ex eorumdem Martyrum numero, qui à se auditos equorum fremitus ac sonitum attestarentur. Ibi verò Marianus prophetico spiritu jam repletus fidenter ac fortiter prædicabat proximam justi sanguinis ultionem, plagas nimirùm, quæ postea totum ferè Orbem afflixere, ut lues, captivitas, fames, terræmotus, Imperii scissiones, quæ omnia sigillatim evenere: inter quæ ipsius Valeriani captivitas, & bella quibus triginta Tyranni postea exorti Imperium & præcipuè Africam afflixerunt, & quæ Persecutioni adversùs Christianos excitatæ adscribit Constantinus Magnus in Orat. ad Sanctorum Cœtum cap.24., & in Epist. ad Saporem Regem Persarum apud Sozomen. L.2. hist. cap.15., de quo Lactantius de Mort. Persec. num.4.

VII. Ita Sanctis Martyribus anno 259. Cirthæ seu veriùs Lambesæ, quò ducti fuerant, coronatis, Mariani mater, quæ præsens aderat, gaudio exultans & jam secura de filio, ejus corpus tanquam suorum viscerum gloriam complectebatur, & in ipsa cervicis vulnera frequentia oscula religiosâ pietate figebat. Festum SS. Jacobi & Mariani plura Martyrologia antiqua & Romanum etiam diei 30. Aprilis consignant; verùm tamen eorum Martyrii diem fuisse sextam Maii, ex Kalendario Carthaginensi colligitur. Acta, ex quibus hæc omnia sumsi, scripta à Viro, qui huic Martyrio adfuit, indicant cum Jacobo & Mariano innumeram Fidelium multitudinem fuisse coronatam, & pro Christo ejusque Fide Gentilibus frementibus illustre testimonium sanguine suo dedisse.

VIII. Neque hic desiit victimas Christo in Africa immolare Valeriani sæva barbaries. Præfatos Martyres supponuntur præcessisse Paulus, Gerontius, Januarius, Saturninus, Successus, Julius, Catus, & duæ mulieres Pia & Germana, de quibus

bus Martyrol. 19. Januarii. Successus iste ille fuisse existimatur, ad quem S. Cyprianus dedit Epist. 82., quâ ipsum de sævo Valeriani Edicto, & de Sixti Papæ morte certiorem facit, & idem, qui anno 256. Magno Concilio Carthaginensi interfuit, ubi num. 16. appellatur Episcopus Abbir Germaniciæ in Africa Proconsulari. Paulus etiam, qui cum Successu passus fuit, fortè fuit Episcopus, qui in eodem Concilio num. 47. dicitur Paulus à Bobba in Provincia Mauritaniæ. Successus post Martyrium S. Flaviano rutilanti facie apparens dixit, se missum, ut ei suum pro Christo agonem nuntiaret. Kalendarium Carthaginense huic Luciano jungit 25. Maii quandam Sanctam Septimiam. S. Flavianus jam moriturus de quodam Luciano Presbytero encomium facit, ac si prophetico spiritu Episcopum eum designaret, quo putat Baron. ad ann. 262. num. 29. hunc fuisse S. Cypriano successorem, octavo tamen mense post ejus mortem electum: diuturnam hanc Ecclesiæ Carthaginensis adeò celebris viduitatem, non aliunde obtigisse par est credere, quâm ex Persecutionis violentia, quâ liberum non erat Clericis conventus facere. Sic etiam post Sixti mortem Romana Ecclesia uno anno sine Pastore fuit.

IX. His adjungi possunt Sanctæ Virgines Maxima Donatilla & Secunda, quæ sub Anolino Galerii Maximi Proconsulis successore anno 259. passionem invictè Tuburbi sustinuerunt. Harum in cruciatibus constantiam Martyrol. Rom. die 30. Julii his verbis celebrat: *Tuburbi Lucernariæ in Africa Sanctarum Virginum & Martyrum Maximæ Donatillæ & Secundæ: quarum duæ primæ in Persecutione Valeriani aceto & felle potatæ, deinde plagis acerrimis cæsæ & equulei extensione cruciatæ & cratibus etiam exustæ & calce perfricatæ, postmodùm cum Secunda Virgine duodecim annorum ad bestias simul projectæ, sed ab his intactæ, novissimè gladio jugulatæ sunt.*

X. Pagani ergo, & quicumque modò sint Infideles, Lactantio Lib. 5. Instit. cap. 13. ita arguenti si possunt respondeant: ibi enim probans, *non esse stultitiam, in quam tanta hominum millia per Orbem totum unâ & pari mente consentiunt*, sic discurrit: *Si enim Feminæ sexus imbecillitate labuntur.... Viri certè sapiunt; si pueri, si adolescentes improvidi sunt pet ætatem, maturi certè ac senes habent stabile judicium; si una Civitas desipit, cæteræ utique innumerabiles stultæ esse non possunt; si una Provincia, una Natio providentiâ caret, cæteras omnes habere intelligentiam recti necesse est. Cùm verò ab ortu Solis usque ad occasum Lex Divina suscepta sit, & omnis sexus omnis ætas & Gens & Regio unitis ac pa-*

 ribus

ribus animis Deo serviant, eadem sit ubique patientia, idem contemtus mortis, intelligere debuerant, aliquid in ea re esse rationis, quod non sine causa usque ad mortem defendatur: aliquid fundamenti & soliditatis, quod eam Religionem non tantùm injuriis ac vexatione non solvat, sed augeat semper & faciat firmiorem. Hæc pro præsenti argumento benè consideranda Lactantius.

§. X.

SS. Virgines Romæ & Pontius in Gallia Martyres.

I. QUia ex hactenùs à Lactantio dictis non una Provincia tantùm, sed totus Orbis pro Christiana Religione mortem contemsit; propterea Africâ relictâ alias Orbis partes percurramus. Roma ergo nobis occurrit exhibens plures Sanctas Virgines, quæ sub Valeriano, aut si velis, sub Gallieno passæ feruntur. Una est Eugenia nobilis Virgo, de qua Martyrol. 25. Decembris ait: *Romæ in Cœmeterio Aproniani Sanctæ Eugeniæ Virginis, quæ tempore Gallieni Imperatoris post plurima virtutum insignia, post sacros Virginum choros Christo aggregatos; sub Nicetio Urbis Præfecto diù agonizans, novissimè gladio jugulata est.* Hujus feruntur fuisse Eunuchi SS. Prothus & Hyacinthus, qui sub Valeriano Martyrii coronam accepere, de quibus Martyrol. Rom. 11. Septembris: *Romæ viâ Salariâ veteri in Cœmeterio Basillæ natalis Sanctorum Martyrum Prothi & Hyacinthi Eunuchorum Beatæ Eugeniæ, qui sub Gallieno Imperatore deprehensi quòd essent Christiani, sacrificare coguntur; sed non consentientes, primò durissimè verberati sunt, ac tandem pariter decollati.* Horum memoriam unà cum S. Eugenia Græci celebrant 24. Decembris.

II. Altera est S. Basilla Virgo, *quæ* (ut Martyrol. Rom. 20. Maii) *cùm esset ex Regio genere & illustrissimum Sponsum haberet illumque dimisisset, accusata ab eo, quòd esset Christiana, decretum est à Gallieno Augusto, ut aut Sponsum reciperet, aut gladio interiret; quæ conventa de hoc, cùm respondisset Regem Regum se habere sponsum, gladio transverberata est.* De hac simul cum S. Eugenia agunt Lippom. tom. 5. & Surius tom. 6., quæ summatim habet Petrus de Natal. in catal. L. 5. cap. 23. teste Baronio in Notis. Duas tamen Basillas seu Bassillas distinguit Papebrochius, unam die 11. Maii, alteram 11. Junii in Actis Sanctorum.

III. Tertio loco sunt Sanctæ Digna & Emerita & Lucilla & Flo-

& Flora, omnes ſub Valeriano glorioſè coronatæ. De duabus primis agit Martyrol. 22. Septembris his verbis: *Romæ paſſio Sanctarum Virginum & Martyrum Dignæ & Emeritæ ſub Valeriano & Gallieno: quarum Reliquiæ in Eccleſia S. Marcelli aſſervantur*. Paſſas fuiſſe ſub Gajo Judice, & eorum Corpora ſepulta in Cœmeterio Commodillæ viâ Oſtienſi ad Sanctos Felicem & Adauctum, earum Acta teſtantur, quæ apud ſe habere Baronius dicit ibi in Notis. Duæ verò poſteriores Lucilla & Flora deſcribuntur cum aliis pluribus in Martyrol. 29. Julii ſic: *Romæ Sanctorum Martyrum Lucillæ & Floræ Virginum, Eugenii, Antonini, Theodori & ſociorum decem & octo, qui ſub Gallieno Imperatore illuſtre Martyrium objerunt*. De his, notat Baronius, ſermonem habuit Petrus Damiani, dolendum tamen Actis ſinceris nos carere, cùm ea quæ ab aliquibus feruntur fabuloſa videantur.

IV. Sub Valeriano quoque S. Agrippinam Virginem & Martyrem Roma exhibet, de qua Martyrol. 23. Junii, & Græci in Menologio eâdem die hoc elogio: „ Sanctæ Martyris Agrippinæ, quæ in illuſtri Urbe Roma orta & educata, virginitate „ & fortitudine decorata & Deo ipſi deſponſata, forti & alacri „ animo ad Martyrii palmam cucurrit, & propter amorem „ & caritatem Sponſi ſui Chriſti multis cruciatibus ſe ipſam „ tradidit. Itaque virgis cæſa, vinculis carceribus & torturis „ afflicta, in tormentis ipſis animam Deo commendans Martyr „ exceſſit. Ejus Corpus Baſſa, Paula, & Agathonices clàm „ ſuſceptum ex Urbe Roma in Siciliam transferentes repoſuerunt. Cùm primùm verò Sicilia illud accepit, tenebricoſis „ Dæmonum erroribus liberata eſt. Cùmque Agareni auſi „ fuiſſent Caſtrum diripere, in quo Beatæ Martyris Corpus „ ſervabatur, repentino interitu perierunt „. Hæc in dicto Menologio: additurque quòd ad hanc uſque diem leproſi aliique infirmi ad ejus ſepulcrum accedentes Beatæ Martyris interceſſione liberantur.

V. Accedit S. Anaſtaſia Senior (ſic dicta reſpectu alterius, quæ ſub Diocletiano paſſa eſt) unà cùm Cyrillo. De his Martyrol. 28. Octobris ita loquitur: *Romæ Sanctæ Anaſtaſiæ Senioris Virginis & Cyrilli Martyrum. Illa in Perſecutione Valeriani ſub Probo Præfecto vinculis conſtricta, colaphis cæſa, igne & verberibus cruciata, cùm in confeſſione Chriſti immobilis permaneret, abſciſſis mammillis, evulſis unguibus, dentibus comminutis, manibus pedibuſque præciſis, truncata capite, tot paſſionum monilibus ornata migravit ad Sponſum. Cyrillus autem ei petenti aquam propinans,*

Mar-

Martyrium pro mercede accepit. De his agunt Græci etiam in Menologio die sequenti. Hactenùs suarum Virginum sub Valeriano pro Christo pugnantium fortitudinem verè mirabilem Roma exhibuit.

VI. His temporibus S. Pontius Cemelæ Urbe tunc illustri (cujus tamen modò in monte propè Niciam ad radices Alpium vestigia vix apparent) Martyr effectus fuit. De hoc Martyrol. Rom. 14. Maii hæc habet: *In Gallia Sancti Pontii Martyris, cujus prædicatione & industriâ, postquam duo Philippi Cæsares ad Fidem Christi conversi sunt, ipse sub Valeriano & Gallieno Principibus Martyrii palmam adeptus est*. De duobus Philippis Cæsaribus ad Fidem conversis, quorum hìc mentio fit, aliqua dixi supra Cap.9. §.1.

Ad sepulcrum hujus Martyris Dæmones fugati, multa miracula patrata feruntur. Cemelæ visitur lapis, supra quem Sanctum Pontium capite truncatum tradunt. Corpus Martyris Niciæ seu Nicææ in Provincia, veriùs tamen in Monasterio propè illam erecto asservatur. Aliqui tamen putant illud in Occitania in Abbatiam in ejus honorem extructam anno 636. fuisse inde translatum, & quæ modò est Sedes Episcopalis vulgò dicta *de S. Pons*. Gallia Christiana tom.3., & ex ea Ughellius tom.4. putant, S.Pontium Cemelæ Episcopum fuisse, sed hujus rei nullum veterem Scriptorem testem afferunt. Cave tamen, ne Pontium istum Martyrem cum Pontio Diacono S. Cypriani Discipulo ac Vitæ ipsius Scriptore confundas.

§. XI.

SS. Priscus Malchus &c. Nicephorus Martyres.

I. UT tandem pateat, Valeriani furorem toto Orbe Christum eliminare conatum fuisse, ab Occidente in Orientem parumper divertamus. Hìc Eusebius L.7. cap.12. ostendit nobis SS. Priscum, Malchum, & Alexandrum, qui Martyrii coronam sub Valeriano Cæsareæ in Palæstina reportarnnt. Hi furente Persecutione, ut evaderent, in Agrum suburbanum secesserant: verùm postea Divino fervore accensi, & quasi sibi segnitiem improperantes, quasi sibi ad confitendam Fidem & subeundam pro Christo passionem animus deesset, ultrò Cæsaream profecti Judici se præsentarunt, à quo statim damnati & à bestiis discerpti voti sui compotes effecti fuere. Ecclesia tamen, quæ in aliis zelum sese ultrò offerendi Tyrannis notâ præsumtionis solet inu-

inurere, in iftis ficut & in aliquibus aliis fpecialem Spiritus Sancti gratiam demiratur: eos enim inter Martyres honorat 28. Martii in Martyrol. Rom. his verbis: *Cæfareæ in Palæftina natalis Sanctorum Martyrum Prifci, Malchi, & Alexandri, qui in Perfecutione Valeriani cùm in fuburbano agello fupradictæ Urbis habitarent, atque in ea cœleftes Martyrii proponerentur coronæ, Divino Fidei calore fuccenfi, ultrò Judicem adeuntes, cur tantum in fanguinem piorum defæviret, objurgant, quos ille continuò pro Chrifti nomine beftiis tradidit devorandos.*

II. Eufebii verba citato loco placet fubjicere; ait ergo: *Porrò in hac Valeriani perfecutione tres Viri poft infignem Chrifti confeffionem apud Cæfaream Palæftinæ ad beftias damnati Divino Martyrio coronati funt. Horum unus dicebatur* Prifcus, *alter* Malchus, *tertius autem* Alexander. *Qui cùm in Agro degerent, primùm quidèm fe ipfos infimulaffe dicuntur, tanquam ignavos ac defides: quòd cùm occafio ipfa cœlefti amore flagrantibus præmia diftribueret, ipfi ceffarent, nec coronam Martyrii præriperent. Inito deinde inter fe confilio, Cæfaream profecti, Judicem ipfum adorti funt, eamque quam diximus fententiam exceperunt.* Eadem habet Ruffinus L.7. cap.11.; cum iftis paffam quoque fuiffe quandam Mulierem idem Eufebius refert; cum ipfis tamen coronata non fuit, erat enim de Marcionis Secta. Qui enim extra Ecclefiam & Catholicam Fidem eft, Martyr effe non poteft, juxta celebre S. Auguftini dictum, *Martyrem non facit pœna, fed caufa*, arguentis Donatiftas, qui cùm effent ab Ecclefia & Fide Catholica feparati, plures fe habere Martyres jactabant.

III. Quod verò regulariter Martyris non fit ultrò fe offerre & provocare Perfecutorem, fed ab eo interrogatum confiteri & propter Chriftum pati, præter ea quæ agens de Baptifmo fanguinis dixi, apertè monet S. Cyprianus Epift. 83. paulò ante fuam paffionem fcriptâ, dicens: *Ne quifquam veftrûm aliquem tumultum de fratribus moveat aut ultrò fe Gentilibus offerat: apprehenfus enim & traditus loqui debet: fiquidèm in nobis Dominus pofitus illâ horâ loquatur, qui nos confiteri magis voluit quam profiteri.* Et Lib. de Mortalitate caufam affert, quia non eft in noftra poteftate Martyrium, fed in Dei dignatione, qui tamen videns paratam apud fe fuiffe virtutem, reddet pro virtute mercedem. Sed hæc rei præfentis non funt.

IV. S. Nicephori Martyris hiftoria, quam hic fubteximus, quàm neceffaria fit fraternæ caritatis dilectio nobis oftendet, fine qua nec Martyrium nec amor Dei conftare poteft, Joanne tefte in Ep.1. c.4. v.20.: *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, &*

fra-

fratrem suum oderit, mendax est: quod in sequentibus heu nimis apparebit. Erat quidam Laicus nomine Nicephorus (locus ignoratur) adeò arctè amicitiæ vinculo junctus cum quodam Presbytero, cui nomen Sapritius, ut fratres germani esse communiter putarentur. Cùm verò longo tempore hâc mutuâ dilectione conjuncti vixissent, Diabolus infensus humanæ pacis inimicus eis invidens, talem inter eos peperit dissensionem, ut se invicem fugerent, nec in platea quidèm vellent sibi occurrere, tantum erat dæmoniacum odium, quod inter se mutuò conceperant.

V. Cùm autem longo satis tempore ita fuissent affecti, ad se rediens Nicephorus nexum hunc diabolicum rumpere conatus est. Rogavit ergo aliquos sui & Sapritii communes amicos, ut ab eo veniam impetrarent, & culpam ei condonans, ut ante exciperet. At Sapritius, qui utpotè Presbyter eum prævenire aut saltem præventum excusare debuisset, ei veniam dare recusavit. Nicephorus tamen alios & iterùm alios misit; sed Sapritius eos rejecit, nec pro venia deprecantes audire voluit. Tandem Nicephorus ipse ad ædes Sapritii currens, ad pedes ejus humiliter se projiciens: *Condona*, inquit, *mihi propter Dominum*. At ille nihil motus, suæ animæ magis inimicus quàm Nicephori, ei reconciliari obstinatè recusavit.

VI. Irruente, dum hæc fierent, Persecutione, Sapritius apprehenditur & traditur Præsidi, à quo interrogatus confessus est, se Christianum esse & Presbyterum. Cùmque Præses opponeret, esse Edictum Imperatorum Valeriani & Gallieni, ut qui se dicunt esse Christianos sacrificent Diis, alioquin si quis respuat, gravissimis cruciatibus & morte etiam esse plectendum, Sapritius respondit, Christianos adorare Christum Jesum solum verum Deum, qui omnia fecit, non Deos Gentium aut Simulacra ab hominibus facta, quæ non possunt alicui opem ferre. Quare iratus Præses Sapritium torqueri jussit; sed cùm in tormentis positus & diù vexatus fortem in confessione se ostenderet, Præses sententiam capitis in eum tulit: & jam ad supplicium ducebatur.

VII. Nicephorus, qui hoc audivit, currens obvium ei se fecit, & se ad pedes ejus projiciens ait: *Martyr Christi, ignosce mihi, quia peccavi in te*. Ille autem nihil ei respondit. Nicephorus autem per aliam viam præveniens iterùm Sapritium rogavit, ut ei veniam daret: ille autem odio habens cor obcæcatum, nec dedit ei veniam nec verbum voluit respondere. Hoc videntes Lictores Nicephoro dixerunt: stulte, vadit ipse ad supplicium capi-

capitis, & tu petis veniam ab eo qui jam est moriturus? Quibus Nicephorus: *Vos*, inquit, *quid petam nescitis, Deus autem scit*. Jam ergo pervenerunt ad locum, in quo interimendus erat Sapritius, cùm Nicephorus ad eum tertiò provolutus, enixiùs ut ei parceret rogavit. Sed quis non horreat? etsi supra cervicem jam gladium habens flecti noluit, sed ut aspis surda deprecantem audire noluit.

VIII. Quid ergo, mi Lector, expectas? videre Martyrem, non habentem imò nolentem admittere caritatem, à Deo coronari? falleris: ait enim S. Paulus 1. Cor. 13. v. 3.: *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Mors ista ut olim quorumdam Philosophorum esset Martyrium pro fastu non pro Christo, coram hominibus non coram Deo. Sed neque hoc Deus permisit. Audi ergo quid evenerit, & contremisce. Jam supra caput obdurati Sapritii gladius Carnificis imminebat, jam illi dicebatur: flecte genua, ut ictum excipias; cùm Sapritius, quare hoc? inquit: dicunt ei Lictores: quia noluisti Diis sacrificare & contemsisti Edictum Imperatorum propter hominem, qui dicitur Christus. Tunc infelix Sapritius à Deo in pœnam derelictus respondit: nolite me ferire, mandata Imperatorum facio & Diis sacrifico. Sic qui in tormentis positus fortiter confessus fuerat Christum, quia fratri Caritatem negavit, jam moriturus miserrimè negavit & Christo fidem.

IX. Hoc audito Nicephorus, dolore simul & caritate erga infelicem tractus, nil curans se in medio Persecutorum positum, ad miserum Sapritium accessit, eumque adhortari cœpit, ne coronam sibi proximam infelici prævaricatione amitteret. Sed qui Deum audire noluerat, minùs paratus erat audire hominem. Nicephorus ergo jacturam Sapritii reparare volens Divino Spiritu excitatus Lictoribus dixit: *Ego sum Christianus & credo in nomen Domini nostri Jesu Christi, quem iste negavit: me ergo jam pro ipso ferite*. Mirati sunt omnes, quòd ita se ad mortem tradiderit. Lictores tamen ausi non sunt eum ferire absque jussu Præsidis. Nicephorus verò liberè repetebat: Christianus sum & Diis vestris non sacrifico.

X. Unus ergo ex Lictoribus currens renuntiavit Præsidi, dicens: Sapritius quidèm pollicetur, se Diis sacrificaturum; est verò illic quidam alius, qui vult mori propter eum, qui dicitur Christus, clamans & dicens liberè: Christianus sum & Diis vestris non sacrifico, nec obedio Edictis Imperatorum. Postquam hæc audivit Præses, in eum tulit sententiam dicens: Si non sa-

crificat Diis immortalibus, prout jusserunt Imperatores, gladio moriatur. Tunc accipientes Sanctum Nicephorum, eum capite truncarunt. Sic iste coronam Martyrii, quam sibi jam imminentem Sapritius, quia sine caritate, indignus fuit accipere, Nicephorus caritate plenus capiti suo gloriosus imposuit: ideoque inter Martyres 9. Februarii celebratur, ubi ejus passio ponitur Antiochiæ Syriæ secuta ex Metaphraste, quamvis ut dixi Acta locum non indicent: secuta fuisse videtur anno 260.. Quid de Sapritio factum fuerit, eadem Acta omittunt, quasi de Apostata indignum esset in eis ampliùs sermonem facere: eum tamen fuisse dimissum sentiunt multi & quidèm probabiliter, cessaverat enim in eo causa supplicii temporalis; sed non perditionis æternæ.

§. XII.

S. Felix Nolanus & S. Cyrillus puer.

I. Licèt certus non sit annus, quo hi duo exitum suum coronarunt, circa tamen hæc tempora contigisse omnes consentiunt. Felix ergo Nolanus dictus, origine Orientalis fuit, Nolæ tamen in Campania natus: Pater enim ipsius Hermias nomine Militiam dudum & fortè etiam Paganismum professus, relictâ Syriâ ubi morabatur, in Italiam venit ac domicilium Nolæ fixit. Hìc duos filios suscepit, quos tandem valdè divites reliquit. Unus patrio nomine Hermias vocabatur, & hic in seculo mansit; Felix alter, & hic (de quo sermo erit) totum se Deo dedit. Primò ordinatus in Lectorem fuit, deinde in Exorcistam, tandem in Presbyterum sub Maximo Nolano Episcopo, qui diù eam Ecclesiam sanctissimè rexit, & Felicem ceu filium diligebat ac sibi successorem peroptabat.

II. Interim insurrexit Persecutio, fortè Decii anno 250., quæ Viros pietate insigniores maximè insectabatur. Unde Maximus Episcopus sciens se à Persecutoribus inquiri, non timore mortis, sed suæ Ecclesiæ se conservandi studio, in locum adeò desertum secessit, ut ibi omni alimento destitutus, in periculo fame pereundi proximè fuerit, nisi cœlitùs, ut dicam, subventum ei fuisset. Persecutores ergo quæsito diù Maximo sed non invento, Felicem, quem cæteris Fidelibus dignitate non solùm sed fervore fideli eminere conspexerant, comprehensum & catenis oneratum in carcerem detrudunt, ubi manibus & collo ligatis pedibusque trabi affixis, ne quietem capere posset, acutis testulis totum pavimentum spargunt.

III. Ma-

III. Maximus in deferto omni fubfidio deftitutus ad extrema redigebatur: cui potuiffet quidèm Deus ficut olim Eliæ aliis viis fubvenire, maluit tamen ut Felix hoc merito ornaretur. Mediâ itaque nocte Felici, ut olim Petro, aftitit Angelus dicens, ut eum fequeretur. Ille putans fomnium effe: quomodò, inquit, catenis vinctus, pedibus ligatis trabi, claufis januis, cuftodibus vigilantibus te fequi poffum? At Angelo præcipiente ut furgeret, illicò ceciderunt de manibus & collo catenæ, pedes extraxit è trabe, portæ apertæ funt, & cuftodibus fomno merfis egreffus, per vias incognitas Angelo duce ad deferti locum, ibi invenit fenem Maximum femianimem & in extremis laborantem. Statim ergo in amplexus & ofcula ruit, fed illum jam prorsùs frigidum fine voce, fine pulfu, fine motu, aliqualiter tamen refpirantem invenit. Sollicitus aliquo alimento eum reficere, ac videns fupra caput ejus pendentem uvæ racemum,fumtum labiis Senis applicat, exprimit, ac per dentes quafi jam claufos fuccum in guttur penetrare facit.

IV. Tunc infirmus revivifcere incipit ac verbum proferre: Felicem apertis oculis intuetur eique dicit: ferò nimis venifti: diù quidèm promittente Deo te expectavi; jam vides mei corporis extremum laborem; ad meum ergo ovile, oro te, me reporta. Itaque Felix humeris fuis fufceptum Senem ad pauperem ejus domum defert: quò appulfus ad oftium pulfavit. Audito fonitu, Vetula rei domefticæ cuftos ftatim evigilans accurrit, & cum timore oftium aperiens Dominum fuum læta recipit. Maximus autem Felicis liberatoris fui capiti dextram imponens, ei bona omnia à Deo precatus eft.

V. Redditâ Ecclefiæ pace (fortè ob mortem Decii circa finem anni 251.) Felix in publicum prodiit, omnes ad eum, ut Virum Dei confluebant, quos ille fuis fermonibus & maximè fuo exemplo ad omnia pro Chrifti nomine ferenda adhortabatur. Interea Perfecutio revixit, vel fub Gallo ut putat Tilmontius, vel fub Valeriano ut Fleury. Primi Perfecutorum conatus in Felicem directi funt. Ad ejus domum fe conferunt: fed ille jam abierat in agrum cum familiaribus fuis eos de more inftruens. Illuc ergo tranfeunt; & pervenientes, fingulos & Felicem ipfum ftrictis gladiis interrogant, ubi & quis effet Felix, interrogant. Sed Deo vel eos obcæcante, vel faciem Viri Dei immutante, quis effet cognofcere non potuerunt. Unde ad aliam partem digreffi, & ubi effet Felix continuè quærentes, moniti fortè illum ipfum fuiffe, quem antea fuerant allocuti, ad eundem locum pedes direxerunt. Verùm admonitus Felix intra diruti parietis

ibi exiſtentis foramen illicò ſe abſcondit, ſed qui eum perquirebant omnia rimantes profectò deprehendiſſent, ni eodem momento aranei tela foramen illud clauſiſſet, ut neminem illuc intraſſe evidenter appareret. Ideòque re deſperatâ abeuntes ab eo perquirendo ceſſarunt.

VI. Nocte igitur ſuperveniente è pariete egreſſus, locum magis ſecretum ac remotum Deo duce inquirens, veterem reperit ciſternam aridam, in qua ſe abſcondit. Ibi ſex menſibus novo miraculo nutritus delituit (ideſt uſque ad annum 253., quo Gallus obiit, ut Tilmontius autumat). Propè igitur ciſternam illam domus erat cujuſdam piæ ac Deo ſacratæ Mulieris: hæc prorsùs ignara, quòd ibi Felix vel quiſquam alius lateret, partem panis & ciborum, quos pro ſe paraverat, ad os ciſternæ ſingulis diebus appoſitam ibi relinquebat, neſciens tamen quid faceret, imò putans ſe ea domi ſuæ repoſuiſſe, penitùſque oblita, quò ſeu ad quid iviſſet aut rediiſſet. Hâc miraculosâ Dei providentiâ Felix in ciſterna ſex menſibus alitus fuit. Vicinus puteus ſitim explebat: quòd ſi interdum areſcebat, illicò nubes aderat; quæ pluviâ abundanter ſupplebat. Ita toto illo tempore Felix ab hominum conſortio ſejunctus, ſolius Dei colloquiis (ut ferunt) fruebatur. Poſt hæc, Perſecutione ceſſante, Felix mandante Deo in patriam reverſus eſt. De his, quæ hactenùs dixi, videri poteſt S. Paulinus Poemate quod de S. Felice inſcripſit.

VII. Circa hæc tempora S. Maximus Epiſcopus deceſſit, cujus obitus die 15. Januarii in Romano Martyrologio adnotatur. Nolanus Populus de Succeſſore eligendo ſollicitus Felicem omnibus votis poſtulabat, quem Fidei confeſſionis doctrinæ ac ſanctæ vitæ meritum ejus dignitatis dignum prædicabat. At ille magis meritis, quàm dignitate creſcere optans, alium Presbyterum nomine Quintum eligi curavit. Interea de totali Mundi hujus abdicatione unicè ſollicitus, poſt tormenta ſuperata & timorem mortis devictum, poſt amorem dignitatum calcatum; voluit etiam divitiarum ac terrenorum affectum exuere. Dives natus erat, ſed omnia in Perſecutione ei fuerant ablata; poterat pace redditâ (à Gallieno poſt ann. 260. Valeriano capto, ut infra) ea recuperare, ſed paupertatis amore contemſit: imò cùm quædam nobilis Mulier & dives, Archelaides nuncupata, eleemoſynis largiter ei ſubveniret, timens ne amitteret ea, quæ à Chriſto promiſſa fuerant iis, qui omnia propter ipſum relinquunt, exiguam agri partem ſibi ab ea oblatam elegit, ex qua in hortum redactâ, propriis manibus cultâ, quod ſibi ad victum

ſatis

satis erat comparabat; quòd si interdum duas vestes haberet, meliorem pauperibus retentâ pro se viliori dispensabat, & dum nisi unam haberet, hanc pauperi erogabat & veste pauperis lacerâ se induebat.

VIII. Hâc verè Evangelicâ formâ cùm merita simul & annos cumulasset, advenit tempus, quo vitam hanc temporalem in æternam transferret. Auditâ ejus morte universus Nolanus Populus cum lacrymis accurrit, certatim ejus Corpus tangere & osculari desiderans; quod in loco ferè mille passibus ab Urbe distante primò humatum fuit, postea tamen Nolam translatum. Dies mortis ejus 14. Januarii notatur, quo anno determinatè ignoratur. Ipsum dictâ die Martyrol. Rom. his verbis celebrat: *Nolæ in Campania natalis Sancti Felicis Presbyteri, qui, ut Sanctus Paulinus Episcopus scribit, cùm à Persecutoribus post tormenta in carcerem mitteretur, & cochleis ac testulis vinctus superpositus jaceret, nocte ab Angelo solutus atque eductus fuit: postmodùm verò cessante Persecutione, cùm vitæ exemplo ac doctrinâ multos ad Fidem Christi convertisset, miraculis clarus in pace quievit.* S. Paulinus frequenter eum *Confessorem* nominat: quo titulo ornabantur, qui publicè Christi nomen confessi carcerem aut exilium passi fuerant; interdum verò eum Martyrem appellat voluntate ac desiderio, licèt non opere.

IX. Deus, qui vitam S. Felicis miraculis supra narratis celebrem reddidit, æquè & magis celebre efficere voluit ejus sepulcrum, ut ab extremis Orbis finibus ad illud Fideles accurrerent, & quod optaverant impetrarent. Obstupuit S. Augustinus, & pluribus in locis hoc testatur: præcipuè autem Epist. modò 78. (aliàs 137.) ad Clerum & Plebem Hipponensem n.3. ubi ait: *Multis esse notam sanctitatem loci, ubi Beati Felicis Nolensis Corpus conditum est*, ad quem locum misit Bonifacium Presbyterum, ut coram hujus Beati Viri sepulcro se à crimine, quod ei imputabatur, juramento purgaret. Ejusdem Beati Felicis meminit in Libro oct. Quæst. ad Dulcitium qu. 2. & in L. de Cura pro Mortuis cap.1., quem Librum scripsit à Beato Paulino interrogatus, *utrùm prosit cuique post mortem, quòd corpus ejus apud Sancti alicujus memoriam sepeliatur.* Cui occasionem præbuerat Vidua quædam, quæ *materno ac pio affectu desideraverat*, ut ejus filii defuncti *cadaver in Beatissimi Felicis Confessoris Basilica poneretur.* Et ejusdem Libri cap.16. ex Beati Felicis miraculo probat, mortuos vivis adesse his verbis: *Hinc solvitur illa quæstio, quomodò Martyres ipsis beneficiis, quæ dantur orantibus, indicant se interesse rebus humanis, si nesciunt mortui quid agant vivi.*

vi. Non enim solis beneficiorum effectibus, verùm etiam ipsis hominum aspectibus Confessorem apparuisse Felicem, cujus inquilinatum piè diligis, cùm à Barbaris Nola oppugnaretur, audivimus non incertis rumoribus, sed testibus certis (notent hæc Protestantes); Plura ad intercessionem ejusdem Sancti operata miracula habentur passim in S. Paulini operibus, & Gregor. Turon. L. 1. de Gloria Mart. cap. 104., quæ apud Bollandum 14. Januarii reperire licet.

X. Valeriani temporibus proximum judico S. Cyrilli pueri gloriosum certamen. Puer iste Cæsareæ in Cappadocia natus celeberrimum etiam adultis constantiæ reliquit exemplum. Is continuè Jesu Christi nomen in ore habens, nec minis nec verberibus deterreri poterat, quin se Christianum fateretur. Plures propterea suæ ætatis pueri eum oderant ac se inimicos ejus declaraverant. Quin & pater ipsius domo eum ejecerat & alimenta ei denegabat. Cùm hæc publica essent, Judex contra Cyrillum accensus irâ, ad se illum per Milites adduci jussit, & coram se positum acerbè increpare cœpit, putans se metum puero incutere. At illum intrepidum reperit & nihil pro confessione Fidei formidantem. Tunc placido vultu, mi fili, inquit Judex, culpam tuam tibi condono, Pater tuus apud se peramanter te recipiet, illius bonis frui poteris; sis ergo sapiens & temetipsum recogita. Ad hæc animo plus quàm virili puer Cyrillus ait: Gaudeo pro his increpari & probra pati: Deus me recipiet: me domo meâ expulsum delector; habeo enim majorem & meliorem: spontè fio pauper, ut divitiis fruar æternis: mortem non timeo, quia vitam meliorem mihi provideo.

XI. Hæc alacri animo loquentem Judex publicè vinciri jussit, quasi ad mortem esset deducendus, secretò tamen monuit Milites, ne ultra terrorem procederent. Cùm autem ei renuntiassent, Cyrillum ad aspectum ignis ardentis, ad minas eum in flammas illicò injiciendi, aut gladio caput illi amputandi, nec commotum fuisse, nec signa ulla pavoris dedisse; ipsum iteratò ad se vocatum ita allocutus fuit: Fili vidisti ignem, vidisti gladium; estò sapiens, redi ad te ipsum, ne patris domum ac fortunam tuam amittas. Cui Cyrillus: „ Nocuisti, inquit,
„ o Tyranne, nocuisti me revocans, & mecum pessimè gessisti.
„ Frustrà succendisti ignem, frustrà gladium acuisti. Multò
„ major est domus, quam habitare festino, multò divitiæ præ-
„ stantiores: has accipere à Domino accelero; celeriùs me
„ consume, ut celeriùs fruar. Et hæc audientes qui adstabant
„ lacrymabantur. Quibus Cyrillus ait, debetis ridere, debetis
„ de-

„ delectari, debetis me producere gaudentes ad mortem: ne-„ scitis, quam Civitatem inhabitabo: nescitis qualem fiduciam „ habeo: concedite sic expendere vitam „. Hæc dicens ibat ad mortem seu veriùs ad æternam vitam. Et sic vultu spectabilis & jucundus supplicio se tradens, admirationi fuit omnibus, qui Cæsareæ habitabant. Hæc sumta sunt ex Epistola, à S. Firmiliano Cæsareæ Cappadociæ Episcopo, ut creditur, conscriptâ. Tantam in puero vix ab infantia egresso, nullâ spe humanæ gloriæ usque ad mortem promotam constantiam exhibeant Ethnici si possunt.

§. XIII.

Valeriani exitus infelix & Macriani.

I. MOriebantur, ut vidimus, in patientia Martyres, & interim Tyranni de Christo se triumphare putabant; sed nesciebant, viam sibi sternere ad exitium & Divinam ultionem super eos inopinatè venturam. Hoc monito deterrere conabatur Demetrianum Proconsulem à Christianis ultrà persequendis S. Cyprianus Libro ad ipsum scripto dicens: *Lædere Servos Dei & Christi persecutionibus tuis desine, quos læsos ultio Divina defendit. Indè est enim quòd nemo nostrûm, quando apprehenditur, reluctatur: nec se adversùs injustam violentiam vestram, quamvis nimius & copiosus noster sit Populus, ulciscitur. Patientes facit de secura ultione securitas. Innocentes nocentibus cedunt. Insontes pœnis & cruciatibus acquiescunt, certi & fidentes quòd inultum non remaneat quodcumque perpetimur, quantòque major fuerit persecutionis injuria, tantò & justior fiat & gravior pro persecutione vindicta. Nec unquam impiorum scelere in nostrum nomen exsurgitur, ut non statim divinitùs vindicta comitetur. Ut memorias taceamus antiquas, & ultiones pro cultoribus Dei repetitas nullo vocis præconio revolvamus; documentum recentis rei satis est, quod sic celeriter, quodque in tanta celeritate sic granditer nuper secuta defensio est, ruinis Regum, jacturis opum, dispendio Militum, diminutione castrorum. Nec hoc casu accidisse aliquis existimet aut fuisse fortuitum putet, cùm jam pridem Scriptura Divina posuerit & dixerit*: „ Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus &c. „. Loquitur hìc Cyprianus de Interfectione Gordianorum, Philipporum, Deciorum Imperatorum (quam etiam Orosius L.7. cap.31. persecutioni imputat Christianorum) & aliis malis quæ hominibus & toti Imperio antea recèns obvenerant.

II. Sed

II. Sed non leviora Valeriano ſævo Perſecutori vindicta Divina in futurum paraverat, quæ poſtea eveniſſe ſequentia demonſtrabunt. Valerianus igitur cum Gallieno filio ſex annos jam impleverat, cùm in Perſidem cum Exercitu tranſiens Macriano duce, poſt varios belli eventus videns Exercitum præteritis cædibus & maximè peſtilentiâ in dies diminui, Macriano etiam fraudulenter ſuadente, ſtatuit omnibus modis cum Sapore Perſarum tunc Rege pacem inire. Primò igitur oblatâ magnâ quantitate auri pacem redimere tentavit; ſed Sapor victoriis elatus nec Valeriani legatos admittere voluit, dicens, ſe cum Valeriano ipſo rem agere velle, & ſtatim eos cum Exercitu ſuo ſecutus fuit. Valerianus ſe ad reſiſtendum impotentem agnoſcens Macriani perfidi proditoris hortatu congreſſui cum Sapore conſenſit, & ad locum ubi conventum erat, paucis ſtipatus Militibus incautè ſe contulit, quò cùm perveniſſet illicò detentus & captivus ductus fuit anno 260.. Hoc facto Divina Juſtitia evidenter apparuit: quæ voluit ut Macrianus, qui perſequendi Chriſtianos Valeriano auctor fuerat, ſuâ proditione auctor eſſet etiam vindictæ, & undè venerat delictum, indè vindicta procederet.

III. Hæc tamen Divinæ ultionis initia fuere. Pudori quo certè ſuffundebatur, dum ſe Romanum Imperatorem videbat factum proditoriè captivum, alterius Regis & quidèm hoſtis accedebat ſævities, quà Sapor & verbis & factis in eum ſuperbè agebat tanquam in vile mancipium. Non ſolùm enim quòcumque iret, faciebat eum præcedere catenis oneratum, & ad ignominiæ augmentum purpurâ & aliis Imperialibus inſigniis indutum; ſed quotieſcumque equum vel currum aſcendere volebat, faciens illum in terra ſuper ventrem proſternere, ac ſuper dorſum aut collum pedem imponens eo veluti ſcamno ad aſcenſum utebatur. Pluribus, & ut aliqui volunt, novem annis aut decem in hoc ignominioſo ac infelici ſtatu miſer Valerianus vixit, nec quibuſcumque vicinorum Regum precibus Sapor flecti voluit. Tandem mortuus adhuc in ludibrium manſit; pellem enim ejus è corpore detractam, ſale conditam ac rubro colore tinctam in Templo appendi Sapor juſſit: ut tanquam Romanæ ignominiæ monumentum Legatis Romanis futuris temporibus illò advenientibus oſtenderetur. In hoc exitu, quo nemo Principum infeliciorem habuit, Dionyſius Alexandrinus, Lactantius, Imperator Conſtantinus, Oroſius & alii adorant terribilem Providentiæ Divinæ diſpoſitionem, quæ Saporis injuſtam crudelitatem in ſanguinis Servorum ſuorum juſtam vertit ultionem.

IV. In

IV. In hoc etiam Divina Justitia misero Valeriano auxit supplicium; quòd cùm totus ferè Orbis infelicem ejus casum lugeret, ac Principes ipsi cum Sapore amicitiâ ac viribus conjuncti eum enixè hortarentur, ut moderatiùs uteretur victoriâ, & captivum Imperatorem honestis conditionibus dimitteret, nec Romanos ad ultionem suo tempore sumendam provocaret: soli Valeriani filii, nempè Gallienus jam Imperator, & alii duo Cæsares, nedum de Patris ulciscenda injuria non cogitarint, sed nec filiali pietate moti pro ejus libertate operam ullam impenderint: imò accepto de Valeriani captivitate nuntio gavisus potiùs fuisse Gallienus fertur, quòd auctoritate Patris nimis gravis & severi liber evasisset: & solùm agens Philosophum dixisse: „ Nunc scio Patrem meum esse mortalem, & in hac re so-„ lamen habeo, quòd cecidit studio virtutis deceptus „. Hanc Gallieni indifferentiam & pro patre insensibilitatem Viri prudentes ac pii damnabant, & eò magis quòd Exercitus Duces & totus Populus de infelici sorte Valeriani tristabantur, & plures aliæ Nationes Ducibus Romanis auxilia ad liberandum à captivitate Valerianum spontè obtulerunt. Sed permisit Deus, ut qui ab ipso ad Imperium assumtus ei ingratus fuerat Servos suos occidendo, filii sui, quem Imperii socium evexerat, ingratitudine puniretur.

V. At Macriani horum omnium malorum artificis quis fuit exitus? nec ipsi Divina ultio defuit. Is qui omnia ambitione Imperii patraverat, prodito in manus Saporis Valeriano, illud invadit in Oriente anno 261.; sed cùm jam esset senex & altero crure impeditus, Fulvio Macriano filio Imperatoris titulum cedit. Sic post Valerianum parentem proditione captum, Exercitum contra Gallienum filium commovet, à quo ipse sociis filiis Imperator acclamatur. Usurpato Imperio in Oriente, illud ad Occidentem quoque extendere meditatur. Relicto itaque Quieto minori filio unà cum Ballisto Duce, ut Regionem contra Persas defenderet, ipse cum quadraginta quinque hominum millibus adversùs Gallienum & Aureolum Illyrii Regem procedit; sed inito in Illyrio prælio Macriani Exercitus non sine proditione cæditur: quare desperatus se unà cum filio, ne in hostium potestatem veniret, interfici jussit; quamvis utrumque in ipso furore prælii necatum alii existiment. Nec multò post Quieti alterius filii mors secuta est; cùm enim occiso Macriano & Quinto filio, Aureolus misisset, qui etiam Quietum occiderent, & iste ut militarem seditionem evaderet, Emesam se recepisset, ibi obsidione ab Aureolo cinctus ab Odenato Gallieni

Duce inrerfectus fuit, & corpus seu caput ejus è muris dejectum. Sic intra unius anni spatium Macriani evanuit Imperium, seu veriùs Tyrannis, & punitus ipse etiam in filiis debitas à Divina vindicta pœnas luit anno 262.

§. XIV.

Pax sub Gallieno. SS. Marinus & Asterius.

I. SAnguine Christianorum à Valeriano, instigatore Macriano, per totum Orbem fuso, per utriusque exitium Divinâ Justitiâ vindicato, aliqualis pax Ecclesiæ affulsit. Gallienus enim sive funesto Patris exemplo, sive quia pacato animó ac deliciis deditus esset, auditâ Patris captivitate, feralia ejus Edicta adversùs Christianos datis litteris revocavit, indulgens eis, ut liberè conventus agere possent, & Episcopi suas Ecclesias administrarent, imò & bona sive Ecclesiis sive particularibus Personis erepta & Fisco applicata, eis petentibus restitui jussit. Eusebius L.7. cap.13. hujus Principis litteras indicat, quibus Episcopis permittit locorum quæ Cœmeteria appellabant possessionem resumere. Plures tamen ex Fidelibus Evangelicæ paupertatis amatores bona sua repetendo hâc gratiâ uti non curarunt; indecorum esse cogitantes, ut qui exemplo Christi omnia temporalia propter cœlestia contemnebant, pro iis recuperandis semel amissis vel facerent verbum. Tantus erat in Christianis & præsertim Ecclesiasticis illius temporis amor paupertatis: adhuc enim corde retinebant S. Cypriani monita L. de Lapsis, qui causam, cur post pacem plures insurgente Persecutione sub Valeriano etiam ex Episcopis lapsi fuerint, non aliam fuisse, quàm nimiam temporalium rerum cupiditatem, asserebat: ibi enim post multa dicit: *Dissimulanda, Fratres, veritas non est, nec vulneris nostri materia & causa reticenda. Decepit multos patrimonii sui amor cæcus; nec ad recedendum parati aut expediti esse potuerunt, quos facultates suæ velut compedes ligaverunt. Illa fuerunt remanentibus vincula, illæ catenæ, quibus & virtus retardata est & Fides pressa & mens vincta & anima præclusa; ut serpenti terram secundùm Dei sententiam devoranti præda & cibus fierent, qui terrestribus cupiditatibus inhærerent* &c.. Ex horum numero certè non fuit S. Felix Nolanus Presbyter, qui ut supra dixi, cùm bona sua, quibus abundabat, recuperare posset, ea contemsit; imò & piæ mulieris larga subsidia recusavit, & suo labore dietim vivere elegit: ut *nec vinci à seculo posset, qui unde vincere-*

ceretur à seculo non haberet: sequeretur Christum solutus & liber, ut Apostoli & sub Apostolis multi & nonnulli sepè fuerunt, qui & rebus suis & parentibus derelictis, individuis Christi nexibus adhæserant. Hæc iterùm Cyprianus.

II. Omnes igitur Ecclesiæ, saltem Occidentis, fruebantur pace: quia tamen Macriano Christianorum adhuc Orientem tenente, nimirùm anno 261. vel 262. nondum pax illuc pervenerat, Cæsarea Palæstinæ illustrem Martyrem dedit Sanctum Marinum Militem, de quo Eusebius L.7. hist. cap.15. „ Fuit „ Marinus militari dignitate decoratus, ad hæc splendore ge„ neris atque opibus clarus & Christo nomen dederat. Cùm er„ go gradus Centurionis vacasset, Marinus ordine gradus sui „ ad eam promotionem vocabatur. Verùm cùm honore illo „ jamjam potiturus esset, quidam ad Tribunal accedens, Ma„ rinum accusare cœpit dicens, illi utpotè Christiano homini „ & Imperatoribus sacrificare renuenti Romanam dignitatem „ capessere Legibus non licere; sibi verò gradum illum compe„ tere. Eâ re commotus Judex Achæus nomine, primùm qui„ dèm Marinum interrogavit, cujusnam esset sententiæ; co„ gnito deinde quòd Christianum se esse constantissimè profite„ rerur, trium horarum ad deliberandum ei concessit spatium.

„ Vix è Prætorio egressus erat Marinus, cùm obvium ha„ buit Theotecnum Urbis Episcopum, qui eorum quæ gereban„ tur fortè conscius prehensâ manu sermocinando ad Ecclesiam „ illum perducit: cùmque interiùs ad ipsum Altare eum statuis„ set, reductâ tantisper ejus clamyde, gladium illi, quo præ„ cinctus erat ostendens, mox Sacrorum Evangeliorum Codi„ cem ex adverso locat jubens, ut ex duobus utrùm mallet eli„ geret. Marinus nihil cunctatus, protensâ dextrâ Codicem „ cùm apprehendisset, his eum verbis Theotecnus compellavit: „ Adhære igitur adhære Deo, ejusque virtute roboratus con„ sequere quod elegisti: vade in pace. Post hæc regredientem „ illum ab Ecclesia Præco pro foribus Prætorii evocare cœpit. „ Jam enim præstitutum tempus effluxerat. Admotus igitur „ Tribunali, cùm majorem quàm antea alacritatem Fidei „ ostendisset, statim ita ut erat ad supplicium abductus Marty„ rio capitis coronatus est.

Illius Martyrio præsens adfuit Asturius seu Asterius Senator Romanus Imperatoribus unicè carus, & tum ob splendorem generis tum propter divitias omnibus notus. Illustrior tamen pietate & Fidei alacritate apparuit; nam illicò Martytis Corpus, ut erat Senatoriâ veste indutus, suscepit, humeris suis

imposuit, & magnifico cultu ornatum decenti tradidit sepulturæ. Hæc Eusebius refert, qui addit cap. 16.

III. *De hoc Viro innumera quoque alia referri ab ejusdem familiaribus, qui ad nostram usque ætatem supervixerunt*. Unum quidèm extraordinarium narrat cap. 17., quo ejus fiducia resplenduit. Ad fontes fluvii Jordanis non procul Cæsareâ singulis annis Pagani miraculum patrari contendebant. In unum ex istis fontibus victimam quandam projiciebant, quæ vix tetigerat aquam, Dæmone operante disparebat: quod tanquam insigne prodigium apud omnes celebrabatur. Asterius cùm semel interfuisset, super horum infelicium cæcitatem pietate commotus, elatis ad Cœlum oculis cum fiducia Deum oravit, ut hanc amoveret illusionem, quâ eos Diabolus decipiebat; & statim super aquas prodire victima visa est; nec ampliùs vanum illud portentum eo in loco visum est: & sic unius Fidelis preces Dæmonis præstigias, quibus tot Populos deceperat, evanescere perpetuò fecerunt.

IV. Quod de hoc S. viro Asterio seu Asturio controvertitur est, an fuerit Martyrio coronatus. Sententiæ neganti videntur adhærere recentiores Critici, præcipuè moti ex silentio Eusebii, qui utpotè illis temporibus vicinus, & cum Asterii familiaribus qui adhuc superstites erant conversatus fuit, sicut alia ejus merita exactè describit, Martyrium si illud sustinuisset non omisisset. Affirmantem tamen sententiam primus prodidit Ruffinus L. 7. hist. cap. 13., ubi de Asturio, *Honorem*, inquit, *quem Martyri detulit continuò ipsum Martyrem assecutum esse*: quibus indicare videtur, eum statim post pietatis officia Marino persoluta, captum & Martyrio fuisse coronatum. Quanquam difficile creditu videatur, simplicem Urbis Gubernatorem propriâ auctoritate ausum fuisse Virum Senatoriâ dignitate ornatum, quæ in omnibus Imperii Romani Provinciis in honore habebatur, ad mortem damnasse. Si enim, ut in Actibus Apost. legitur cap. 22. & 25., nec Tribunus, nec Felix Præsës, audito quòd Paulus Civis esset Romanus, ausi non sunt de eo judicium ferre, multò minùs credendum est, id ausum fuisse Achæum Judicem in Asturium Romanum Senatorem.

Nihilominùs sub Martyris titulo celebratur à Græcis die 7. Augusti, & à Latinis cum Marino conjungitur die 3. Martii sub nomine Asterii in Martyrol. Rom., ubi hæc habentur: *Cæsareæ in Palæstina Sanctorum Martyrum Marini Militis & Asterii Senatoris in persecutione Valeriani: quorum prior accusatus à Commilitonibus, quòd esset Christianus, & interrogatus à Ju-*

à Judice, Christianum se esse voce clarissimâ testaretur, Martyrii coronam capitis abscissione suscepit: cùmque Asterius Corpus Martyris capite truncatum, subjectis humeris & substratâ veste, quâ induebatur, exciperet, honorem quem Martyri detulit continuò ipse Martyr accepit. Consentiunt Beda, Usuardus, Ado, & alii. Quare quid certò tenendum sit, alterius judicio lubens permitto.

§. XV.

Generalis Divina Ultio.

I. Valeriani Persecutoris, & Macriani Persecutionis Christianorum artificis punitio quantumvis sæva, ad explendam tamen Divinæ Justitiæ ultionem satis non erat ad mortem tot Justorum vindicandam. Innocens eorum sanguis per totum Orbem effusus generalem totius Orbis punitionem efflagitabat. *Animæ interfectorum propter Verbum Dei, & propter testimonium quod habebant*, subtus Altare *clamabant voce magnâ dicentes: Usquequò Domine Sanctus & verus non judicas & vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra?* (Apoc. 6. v. 10.) Omnes Provinciæ Sanctos fuerant persecuti, & æquum erat, ut omnes pœnam sentirent. Persecutionis auctor non solus culpabilis erat: ejus crimen involverat omnes suæ feritatis executores, delatores, accusatores, Magistratus, Gubernatores, Præsides, Judices, & quotquot tanto facinori manum vel animum apposuerant, quorum numerus erat propemodùm infinitus, sicut culpæ rei sic & pœnæ obnoxii esse debebant.

II. Nec defuit illis quod promeriti fuerant, ut Cyprianus Demetriano ante prædixerat. Pestis generalis, quæ Persecutionem Decii ulcisci cœperat adeò recruduit, Romæ præsertim & in Achajæ Urbibus, ut unâ die in eadem Civitate quinque millia hominum putrida tabes necaverit. Sed quia hæc mala indurati homines causis naturalibus potiùs, quàm Deo ultori tribuebant; terra ipsa horribilibus concussa motibus iram Dei testata est. Anno Christi 262. integrâ die terra motu contremuit, Cœlum tenebris obscuratum fuit, & subterranei vagitus auditi fuere, ut plures exterriti mortui fuerint. Hoc flagello concussæ fuerunt maximè plures Asiæ Urbes, Roma quoque, & Lybia. Pluribus in locis terra aperta horridas voragines àquâ salinâ repletas exhibuit; fluvii & mare ipsum plures Urbes inundarunt. Ubique luctus ubique clamor & plurima mortis imago: & ita implebatur in eis quod dictum est in Scripturis: Lætantur impii cùm

malè

malè fecerint, & ſtatim eis repentinus ſupervenit interitus.

III. Nec tamen ſola elementa ac res inſenſibiles in ultionem Servorum ſuorum armavit Deus, ſed & homines ipſos adversùs homines, Infideles contra Infideles bellis etiam civilibus concitavit, ut qui conſortes fuerant in crimine, fierent mutuò miniſtri & pœnæ. Hinc omnes barbaræ Nationes in Romanum Imperium inſurrexerunt, & Provincias etiam remotiores armis invaſerunt. Per totum Orientem ſe extenderunt Perſæ; Scythæ & Gothi penetrarunt Aſiam, Thraciam, & Græciam, Sarmatæ Illyrium; Germani in Gallias, & ſuperatis Alpibus Rhetiâ pertranſitâ in Italiam excurrerunt, inde retrocedentes ad Hiſpaniam proceſſerunt; Franci quoque Africam depopulati ſunt: adeout Aurelius Victor etſi Paganus (in Gallieno) hanc Barbarorum omni ex parte irruptionem aſſimilet tempeſtati, quâ venti omni ex parte furentes quidquid eis reſiſtit proſternunt aut mergunt. Et Oroſius L.7. cap.22. teſtatur, poſt 150. annos in aliquibus Provinciis extaſſe adhuc hujus ſtragis funeſtas reliquias, & magnas Urbes ad pauca vilia tuguria fuiſſe redactas.

IV. Porrò ne aliqua Imperii Romani pars ab hac Generali ultione eſſet immunis, plura civilia bella inter Romanos exarſerunt, atque tantus Tyrannorum numerus ſubitò apparuit, ut Hiſtorici uſque ad triginta aſcendiſſe referant, omnes Gallieni inimicos, quamvis invicem diſcordes. Inter alias Alexandriæ Urbem, etſi exteris hoſtibus non expoſitam, inteſtinis tamen bellis miſerè laceratam refert ejus Epiſcopus Dionyſius apud Euſeb. L.7. cap.21. & 22.. Ita Romanus ſanguis, qui ſanguine Chriſtiano ſe inebriaverat, & ab hoſtibus & à Romanis ipſis ubique fundebatur: & ſuperbum hoc Imperium, qui toto Orbi dominabatur, omnes ſuas Provincias brevi tempore ab hoſtibus vel uſurpatoribus occupatas & deſolatas demiſsâ fronte videre coactum fuit. Roma ipſa ſibi timens, ut ſe à quocumque periculo præmuniret, muros ſuos reparare curavit.

V. Hiſce preſſuris ulciſcebatur Deus offenſas ſibi in ſuis Fidelibus irrogatas, ſed etiam ſuæ Eccleſiæ incrementum diſponebat, ut etiam ultra terminos Romani Imperii protenderetur. Cùm Scythæ, Gothi, aliaque incredibilis barbararum Nationum multitudo Aſiam aliaſque Imperii partes invaſione percurriſſet, plureſque captivos ſecum adduxiſſet, contigit, ut inter iſtos plures etiam ex Chriſtianis & maximè ex Presbyteris & Epiſcopis aliquos aſportarint. Hi cùm ad eorum Regiones perveniſſent, in nomine Jeſu Chriſti ſanare infirmos, Dæmonia ejicere, ſuis ſermonibus & exemplo virtutem docere ac promovere cœperunt.

runt. Quare Gentes illæ signis ac prodigiis, doctrinis & exemplo eorum permoti, interiùs gratiâ Dei in illis operante, existimarunt, nil sapientius & quod in eos magis cœlestem benedictionem attraheret, facere se posse, quàm si eorum monita & exempla secuti eundem quem ipsi Deum adorarent. Atque ita eos tanquam Doctores susceperunt, ac in Fide Christi instructi ab eis Baptisma suscipientes, antiquâ feritate in vitam magis rationabilem & humanam conversâ, Ecclesias ibi efformarunt.

VI. Extraordinariâ hâc viâ Divina Providentia barbaras Nationes ad se primò traxit, ut dum Christi Fides ab eis captiva raperetur, ipsos sibi captivos efficeret, & suave Christi jugum suscipere eos doceret. Quare Sozomenus L.2. hist. cap.6. refert, quòd cùm Constantinus toti Imperio dominaretur, Gothi aliæque barbaræ Gentes, quæ tunc Danubii ripas incolebant, jamdiù Fidem Christi susceperant; & quod bella, quæ Romani cum exteris Gallieno imperante & Successoribus gesserant, earum conversioni occasionem præbuerant. Hoc Philostorgius L.2. hist. cap 5. confirmat asserens, Scytharum seu Gothorum rapinas, quas sub Valeriano & Gallieno (anno 264) in Asia Galatia & Cappadocia exercuerant, & quibus plures Christianos captivos duxerant, Fidem Christi in eas Regiones invexisse. Inter hos captivos è Cappadocia abductos fuisse Eutychen, indicat S. Basilius Epist. 338., ubi ait, semina Religionis Christianæ apud Gothos è Cappadocia venisse, ea jaciente Eutyche, Viro eminentis virtutis, qui potentiâ S. Spiritus & Charismatum donis, quibus repletus erat, Barbarorum corda emollivit.

Ita ad litteram impletum fuit quod vaticinatus fuerat Isaias cap.14. v.2.: Et tenebunt eos Populi, & adducent eos in locum suum: *Et possidebit eos domus Israel super terram Domini in servos & ancillas: & erunt capientes eos qui se ceperant, & subjicient exactores suos. Et erit in die illa, cùm requiem dederit tibi Deus à labore tuo & à concussione tua & à servitute dura, quâ ante servisti; sumes parabolam istam contra Regem Babylonis & dices: Quomodò cessavit exactor, quievit tributum? contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium* &c.. Hæc & sequentia, quibus Regi Babylonis suæ superbiæ ruinam Isaias prædixit, repetere Christiani possunt impleta in Persecutoribus suis, & in eos qui ipsos ut captivos tenebant.



CA-

Caput XII.

Perſecutio Aureliani.

§. I.

Ejus Geſta & Exitus.

I. GAllienus poſtquam quindecim annis rexit Imperium, ſeptem nimirùm cum Valeriano patre, & octo ſolus, patre in captivitate Regis Perſarum uſque ad mortem redacto, ut dictum eſt; quo tempore Imperium bellis Barbarorum incurſionibus & aliis innumeris malis, de quibus ſupra, jactatum fuit; tandem anno 268., dum Mediolanum obſidione cingeret, à conjuratis vel gladio vel ſagitta confixus interiit, & poſt ipſum occiſi fuerunt Romæ Senatus decreto Gallienus filius quem Cæſarem deſtinaverat, & Valerianus frater quem Auguſtum declaraverat,

Imperium igitur aſſumſit Marcus Aurelius Claudius II. univerſali acclamatione & probatione Senatus; erat quippè tum in guberniis tum in militia clariſſimus: vix tamen tribus annis imperavit: nam anno 270. vivere deſiit circa menſem Novembris, omnibus ejus mortem lugentibus. In ſtatu deplorabili reperit Imperium undique Barbarorum invaſione inundante, & bellis civilibus laceratum: quare ſub ipſo nil contra Chriſtianos actum legitur, gravioribus enim curis diſtractum, credibile eſt eos in pace reliquiſſe.

II. Circa finem anni 270. Claudio II. Aurelianus in Imperio ſucceſſit in Pannonia obſcuris parentibus natus, qui Militiam ſemper ſecutus in ea celebris evaſerat. Vir juſtus ſed æqvè ſeverus erat. Sui Imperii initiis favorabilem aut ſaltem æquum erga Chriſtianos ſe exhibuit: & in hoc animo perſtitiſſe uſque ad finem anni 272., demonſtrat id quod egit pro Eccleſia contra Paulum Samoſatenum. Cùm enim iſte non obſtante decreto Concilii, quo propter ſuam hæreſim Epiſcopatu privatus fuerat, adhuc violenter,nixus patrocinio Zenobiæ Palmirenorum Reginæ,Eccleſiam Antiochenam & domum Epiſcopalem occuparet; Zenobiâ per Aurelianum devictâ, Epiſcopi Orientis eum deprecati ſunt, ut Paulum vel ab Eccleſia vel ſaltem ab Epiſcopali domo auctoritate ſuâ ejiceret. Quibus Aurelianus humaniter annuens Paulum Antiochiâ expulit, ac inſuper mandavit, ut Sedes

des illi adjudicaretur, ad quem Episcopi Italiæ & Romæ litteras direxissent: adeò notorium erat etiam apud Paganos, quòd nota virorum Christianorum erat communio cum Romana Ecclesia, cujus etiam auctoritas ad Orientales Episcopatus extendebatur.

III. In hac tamen bona voluntate non semper perstitit. Propensionem in Christianos vertit in odium excitans adversùs eos persecutionem; & hoc sive perfidis quorumdam instigationibus, sive propriâ impietate motus. Quomodò enim Valerianus homo superbus & ferus pati poterat in suo Imperio adorari ut Deum illum, qui omnes alios Deos eorumque superstitiones è cultu, quo fruebantur, dejiciebat? Fama igitur ubique divulgabatur in Religionem Christianam exterminium iteratò parari; sed Deus de imminenti sui ruinâ Aurelianum præmonere voluit, nam cùm firmando contra Christianos Edicto calamum manu sumsisset, improviso gladii propè ipsum vibrati fragore manum ejus detinuit; quare tremens Edictum firmare ausus non fuit. Hoc fortè contigit non multò ante ejus mortem, puta anno 274., cùm occisus fuerit anno 275.; & hâc ratione, ut infra dicam, ejus Persecutio parùm duravit.

IV. Ex hoc Doduvellus, cujus studium est Martyres Christianæ Religioni pro viribus eripere, nullos omninò Martyres sub Aureliano admittit, quòd, inquit, Persecutio ab eo *intentata tantùm fuerit, non executioni demandata*. Probare autem conatur ex Eusebio, qui L.7. cap.30. dicit, Aurelianum erga Christianos benè affectum processu temporis aliter sensisse; & à consiliariis nonnullis adversùs eos fuisse excitatum, sed a Deo repressum his verbis: *Jam ea de re multus ubique rumor spargebatur, sed eum paratum jam, & compositis contra nos Edictis, ut ita dixerim, subscribentem, ulta est Divina Justitia, quasi constricto cubito conatum ejus reprimens* &c.: ex Lactantio etiam L. de Mort. Perf. cap. 6. dicente, Aureliano non licuisse quæ cogitaverat perficere, sed protinùs inter furoris sui initia esse extinctum. Ideòque Sulpitius Severus Aurelianum numero Persecutorum non accenset.

V. Verùm ex relatis locis inferri quidèm potest, Aureliani Persecutionem fuisse brevissimam, non tamen nullos omninò Martyres fecisse. Dicit quidèm Eusebius, Deum ejus conatum constricto cubito dum manum Edicto apponeret repressisse. Sed cùm effectus timoris parùm durent, cohibent enim manum sed voluntatem non mutant; valde credibile est, eum mox pravæ suæ voluntati à Deo derelictum, firmasse & publicasse contra Christianos Edictum. Unde in Chronico Eusebiano dicitur,

cùm adversùs nos Persecutionem movisset, occiditur. Et Lactantius ipse asserit, Aurelianum contra nos scripta cruenta & carnivora edidisse: dicit tamen, eum non potuisse implere quæ cogitaverat, non quia nullum prorsùs habuerit effectum, sed quia non perfecit quæ cogitaverat. Cogitaverat enim Christianam Religionem delere, quod & Nero & alii subsequentes crudeliores Tyranni ante ipsum cogitaverant: sed sicut illi morte seu veriùs Justitiâ Dei præventi perficere non potuerunt, ita nec Aurelianus, paulò post occisus. Negari tamen non potest, ferale illud Edictum in Provinciis, ad quas eo vivente pervenerat, barbaro ipsius genio promovente crudeliter sæviisse, & post ejus obitum etiam perseverasse, cùm vacante per sex menses Imperio, Judices quos Senatus aut Valerianus elegerat, Christianis infensi in Officio continuarint, & proinde in magis remotis locis, ad quæ solùm post Aureliani mortem Edicta pervenerant, Persecutionem adhuc viguisse.

VI. Sed quidquid sit, SS. Hieronymus in Chron., Augustinus L. 18. de Civit. Dei cap. 52., & Orosius L. 7. cap 23. inter persecutiones Ecclesiæ ordine nonam Persecutionem Aureliani recensent, & hanc designare voluit S. Leo Magnus Serm. 2. in Festo Pentecostes (ut eruditi Viri censent quam tamen ponit octavam) his verbis: *Manes.... eo tempore damnandus innotuit, quo post Resurrectionem Domini annus ducentesimus & sexagesimus impletus est, Probo Imperatore Paulinoque Consulibus, cùm octava jam in Christianos Persecutio ebulliret, & innumera Martyrum millia ipsis suis victoriis probavissent, impletum esse quod Dominus promiserat dicens*: *Cùm autem tradent vos* &c. Porrò cùm Probus Imperator & Paulinus Consules fuerint anno æræ vulgaris 276. vel 277., quo Persecutionis æstus sedatus jam fuerat, putat P. Ruinart loco *ebulliret*, legendum esse *ebullisset*; nam Probo imperante nulla fuit Persecutio, & Martyres jam sub Persecutione dederant testimonium pro Christo: nisi fortè dicatur, Persecutionem ab Aureliano excitatam post ejus mortem anno 275. etiam anno sequenti crudelitate Judicum continuasse. Cæterùm Martyrio plures fuisse sub Aureliano coronatos inferiùs ostendam.

VII. Dixi, Aurelianum Persecutionem, quâ Christianum nomen delere cogitaverat, perficere non potuisse; nam priusquam in Provincias saltem remotas ejus Edicta de Christianorum cæde pervenirent, Divinâ Justitiâ morte punitus fuit. Hoc ita contigit. Erat in Thracia Aurelianus cum potenti Exercitu contra Persas; suspicione conceptâ contra Mnestheum, qui illi à se-

à secretioribus erat, minis eum increpuit. Is probè sciens Aureliani minas absque effectu pœnæ non manere, Litteras Aureliani manu falsò conscriptas formavit, quibus proprio notabantur nomine Ministri omnes, etiam præcipui Exercitus Duces, nec se ipsum omittendo, ac si erga omnes Aurelianus malè affectus esset; quas singulis in eis notatis secretè communicavit. Timore igitur & simul indignatione commoti, secretâ conspiratione ipso etiam Mnesteo excitante, Aureliani nece in tuto sese ponere decreverunt. Quare inter Bizantium & Heracleam in loco dicto Cenofrurium dum paucis stipatus iter ageret, ipsum aggressi gladio necarunt anno 275. mense Aprilis, seu Januarii ut alii putant, cùm quatuor annis & solis aliquot mensibus rexisset Imperium. Hanc ejus necem fuisse sanguinis innocentis ab ipso fusi justam punitionem, vel ipsi Ethnici Scriptores, inter quos Julius Cæsar, arbitrati sunt.

§. II.

Martyres in Galliis.

I. MOdò detegenda est Doduvelli deceptio, dum ausus est asserere, sub Aureliano nullos extitisse Martyres: quod præstabimus ex pluribus aliquos referendo. Si vetera Martyrologia consulimus plurimos præsertim in Galliis reperiemus. Aurelianus bis in Gallias profectus fuisse fertur: semel quidèm anno Christi 272. contra Tetricum: iterùm anno 274. In altero ex his adventibus passa fuit Senonis B. Columba Virgo, cujus nomen tamquam Martyris sub Aureliano notatur in Martyrologiis B. Hieronymi, Bedæ, Usuardi, & aliorum, & in Romano die 31. Decembris his verbis: *Senonis S. Columbæ Virginis Martyris, quæ igne superato in Persecutione Aureliani Imperatoris gladio cæsa est*. De ea, ut notat Baronius ibi, in Breviario Toletano legitur sacer Hymnus, quo ejus Martyrium canitur, Acta tamen sincera desiderantur. Dum Aurelianus esset in Galliis passus fuisse creditur S. Sabinianus, de quo 29. Januarii hæc leguntur: *In territorio Tricassino Sancti Sabiniani Martyris, qui jubente Aureliano Imperatore pro Fide Christi decollatus est*. Sabinianus iste diversus fuisse creditur ab altero, qui 31. Decembris Senonis cum Pontiano passus his verbis: *Apud Senones Beatorum Sabiniani Episcopi & Potentiani, qui à Pontifice Romano illuc ad prædicandum directi eandem Metropolim Martyrio suo illustrarunt*: iste enim Episcopus fuisse dicitur, ille autem non, & sub

Aureliano Trecis passus: isti verò Senonis, nec sub quo passi sint indicatur.

II. Trecis quoque sub Aureliano Martyr effectus traditur 21. Januarii S. Patroclus, de quo his verbis: *Trecis Sancti Patrocli Martyris, qui sub Aureliano Imperatore Martyrii coronam promeruit*. Hunc celebrant Beda & alii cum Gregorio Turon. de Glor. Martyr. cap. 64. Trecis quoque ponitur Martyrium S. Juliæ Virginis, ac simul Sanctorum Claudii, Justi, Jucundini, & aliorum quinque, quos Martyrol. Rom. 21. Julii memorat: *Trecis Sanctæ Juliæ Virginis & Martyris. Ibidem passio Sanctorum Claudii, Justi, Jucundini, & sociorum quinque sub Aureliano Imperatore*. Ibidem quoque coronatus ponitur sub Aureliano 14. Novembris S. Venerandus, & 1. Junii S. Reverianus Episcopus cum sociis Augustoduni passis his verbis: *Augustoduni Sancti Reveriani Episcopi, & Pauli Presbyteri cum aliis decem, qui sub Aureliano Principe Martyrio coronati sunt*. Antisiodori etiam cum S. Prisco ingens Christianorum multitudo pro Fide cæsa asseritur 26. Maii hoc compendio: *In territorio Antisiodorensi passio Sancti Prisci Martyris cum ingenti multitudine Christi Fidelium*. Locus sepulcri horum Martyrum revelatus fuisse fertur S. Germano Antisiodorensi, qui in eorum honorem Monasterium erexit, quod usque ad Hunnorum rapinas substitit. Insuper cum caput S. Prisci eidem Germano miraculosè innotuisset, Ecclesiam sub ejus nomine non procul ab Urbe Antisiodorensi ædificavit, ex quo nomen locus ille accepit vulgò dictus *Saint Prix*. Ferunt quoque ejus Acta, quòd postquam S. Priscus decollatus fuit, Christianus quidam nomine Cottus sublato ejus capite aufugit ad triginta stadia, idest quatuor ferè milliaria, sed cùm Persecutores eum insecuti essent, deprehensum capite truncarunt. Istum eundem fuisse locum crediderim, in quo ut dixi sacrum caput à S. Germano fuit repertum.

§. III.

Martyres Romæ & Italiæ. S. Felix Papa, Agapitus, & Restituta.

I. MArtyrum, qui Romæ sub Aureliano passi sunt, agmen ducit S. Felix Romanus Pontifex, qui alios ad Martyrium hortatus & ipse secutus est. Romanus patriâ, filius cujusdam Constantii fuisse fertur. Mortuo Dionysio anno 269., qui per decennium Romanam Ecclesiam rexerat, post quinque dies

28. De-

28. Decembris electus & ordinatus fuit. Vix electus Felix litteras ad Prædecessorem directas à Concilio Antiocheno contra Paulum Samosatenum accepit, quarum occasione scripsit Epistolam ad Maximum Episcopum & Clerum Alexandriæ, cujus fragmentum habemus, in qua disertis ac perspicuis verbis, quid de Christi Divinitate & Humanitate credendum sit, ita declarat: *De Verbi autem Incarnatione & Fide, credimus in Dominum nostrum Jesum Christum ex Virgine Maria natum, quia ipse est sempiternus Dei Filius & Verbum: non autem homo à Deo assumtus, ut alius sit ab illo. Neque enim hominem assumsit Dei Filius, ut alius ab ipso existat. Sed cùm perfectus Deus esset, factus est simul homo perfectus ex Virgine incarnatus.* Hæc Felix anno Christi 270. quibus nedum Samosateni errorem confixit, sed & Nestorium antequam oriretur, ejusque hæresim præfocavit. Quare istud fragmeutum Petrus Presbyter Alexandrinus inter alia legit in Concilio Ephesino, illudque laudant S. Cyrillus in Apologia sua adversùs Orientales in ejusdem Concilii Actis inserta, & Vincentius Lirinensis in Commonitorio adv. Hæreses.

II. Quamvis ejus Pontificatus initia pacifica fuerint; nam sub ipso Aurelianus adhuc Christianis propitius dedit litteras ad Episcopum Romæ & Italiæ (de quibus supra) ut loco Pauli Samosateni, ut mos erat, aliud destinarent, unde Domnus electus fuit: attamen sub ejus Pontificatu anno 273. & 274. Aurelianus persequi cœpit Christianos. Inter alios ergo, quos Persecutio coronavit, honorantur 15. Julii SS. Eutropius, Bonosa, & Zosima sorores in Portu Romano Martyres. A Sancto Felice ad fortiter tolerandum pro Christo animatos fuisse, censet Baronius ex Actis: ex quibus habetur etiam, istos paucis diebus præventos fuisse Martyrio quinquaginta Militum, qui à Sancta Bonosa exemplo & adhortationibus fuerant conversi, & à S. Felice baptizati, quorum memoriam celebrat 8. Julii Martyrol. Rom. his verbis: *In Portu Romano Sanctorum quinquaginta Militum Martyrum, qui in confessione Sanctæ Bonosæ ad Fidem adducti, & à Beato Felice Papa baptizati, in Persecutione Aureliani occisi sunt.*

III. Martyrologia Bedæ, Usuardi, Adonis, & Romanum referunt die 10. Junii SS. Basilidem, Tripodem, Mandalem, & alios viginti sub Aureliano Martyres Romæ sic: *Romæ viâ Aureliâ natalis Sanctorum Basilidis, Tripolis, Mandalis, & aliorum viginti Martyrum sub Aureliano Imperatore & Platone Urbis Præfecto.* Item 12. Decembris S. Sinesium: *Romæ Sancti Sinesii Martyris, qui tempore Beati Xisti Papæ Lector ordinatus, cùm mul-*

multos convertisset ad Christum, apud Aurelianum Imperatorem accusatus gladio percussus Martyrii coronam accepit. De isto agunt hâc die etiam Græci in Menologio. Hermannus Contractus memorat de ejus translatione in Insulam Augiensem facta an. 830., ita Baronius in Notis ibi. Passum etiam Romæ S. Sabam cum aliis septuaginta Martyr. Rom. 24. Aprilis ita describit: *Romæ Sancti Sabæ ductoris Militum, qui accusatus quòd Christianos in carcere detentos visitaret coram Judice Christum liberè confessus est, à quo facibus adustus & in lebetem picis ferventis injectus, cùm evasisset illæsus, eo miraculo septuaginta Viros ad Christum convertit, qui omnes in confessione Fidei constanter permanentes gladio cæsi sunt: ipse autem demersus in flumen Martyrium consummavit*. De hoc (inquit Baronius in Notis) agunt hâc die etiam Græci in Menol., & Romæ passum tradunt temporibus Aureliani Imperatoris. Hìc ad intentum notandum velim, quòd qui videbant Sabam propter Christum facibus uri & in lebetem picis ardentis injici, naturali horrore debuissent à Christo confitendo retrahi. Sed videntes eum exire illæsum, & omnipotentem Dei manum Christianis adesse agnoscentes, liberè pro Christo statim se tradiderunt. His quæ in passionibus Martyrum non raró accidebant, nimirùm, quòd videntes eos in tormentis propter Christum, Christum confitebantur, & pro eo iisdem & atrocioribus tormentis se subjiciebant, quisque si sanus est, convinci debet, aliquod supra humanum, & Divinum extitisse. Quis enim videns aliquem propter furtum suspendi, ad furandum accenditur, & non potius à furando naturaliter deterretur?

IV. Sanctus Pontifex Felix, qui alios ad fortiter pugnandum pro Christo accendebat, pugnam & ipse aggressus gloriosè coronatur. Martyrem eum appellant Ephesinum Concilium, Cyrillus Alexandrinus, & Vincentius Lirinensis, ubi supra, & sub eodem titulo celebrat Martyrol. Rom. 30. Maii dicens: *Romæ viâ Aureliâ natalis Sancti Felicis Papæ & Martyris, qui sub Aureliano Principe Martyrio coronatus est*. Dubitatur tamen, an verè Martyr, idest violentiâ tormentorum, an verò Confessor, idest juxta idiomata illorum temporum, post multa pro Christo tolerata, in carcere seu alia naturali morte obierit: Nicephori enim Chronicon titulo Confessoris ipsum ornat. Cùm tamen Concilium Ephesinum, Cyrillus, & Lirinensis, & Ecclesia illum absolutè Martyrem vocent, vi cruciatuum obiisse tutius crederem. De die etiam mortis dubium est; nam antiqua Martyrologia obitum ejus consignant diei 22. Decembris anno 274.: cùmque Pontificatum assumserit anno 269. 28. Decembris, fiet

fiet ut quinque annis nondum expletis illum adminiſtraverit, & hoc veroſimilius judico. Quòd verò ejus Feſtum die 30. Maii in Romano & aliis Martyrologiis notetur, diem Translationis potiùs, quâ à Cœmeterio Callixti anno 354. in Eccleſiam eadem in via ſitam Corpus ejus delatum fuit, deſignari putarim; de facto enim Porta & Eccleſia, quæ modò S. Pancratii dicitur, olim Porta & Eccleſia S. Felicis vocabatur.

V. Præneſte Urbe propè Romam celebre fuit ſub Aureliano S. Agapiti Martyrium, quod, præter Bedam Uſuardum Adonem, Martyrol. Rom. 18. Auguſti ita deſcribit: *Præneſte natalis Sancti Agapiti Martyris, qui cùm eſſet annorum quindecim & amore Chriſti ferveret, juſſu Aureliani Imperatoris tentus eſt, ac primò nervis crudis diutiſſimè cæſus, deinde ſub Antiocho Præfecto graviora ſupplicia paſſus, exinde cùm ex præcepto Imperatoris leonibus objiceretur, & minimè læſus eſſet, gladio Miniſtrorum coronandus percutitur*. Quibus conciliantur duo Manuſcripta, quorum unum hunc Martyrem paſſum fuiſſe dicit ſub *impiiſſimo Aureliano*, alterum verò ſub Rege *Antiocho Pagano*: utrumque enim verum eſt; nam ſub Aureliano Imperatore, Antiocho, quem *Regem* vocat, Præfecto Martyrium ſubiit. Ejus Feſtum in Sacramentario S. Gregorii, in Kalendario P. Frontonis, & in Thomaſii Miſſali adnotatur.

VI. Sora quoque (Urbs in Terra Laboris ſita) S. Reſtitutam cum aliis Chriſto Martyrem obtulit. De hac Martyrol. Rom. 27. Maii ſic loquitur: *Soræ Sanctæ Reſtitutæ Virginis & Martyris, quæ ſub Aureliano Imperatore, & Agathio Proconſule Fidei certamine ſuſcepto, Dæmonum impetus, parentum blanditias, & tortorum ſævitias ſuperavit: demum cum aliis Chriſtianis capite truncata, Martyrio coronata eſt*. Aſſervari ejus Acta in Eccleſia Sorana, dicit Baronius in Notis ibi, quæ fuiſſe conſcripta autumat à Gregorio Monacho Caſſin. poſtea Tarracinæ Epiſcopo, motus auctoritate Petri Chartularii cap.32., qui ejus Gregorii ſcripta recenſens ait: *Scripſit paſſionem S. Virginis Reſtitutæ*. Notat etiam idem Baronius, quòd extat adhuc memoria in Inſula Fibreni fluminis, ubi Martyrio coronata eſt cum ſociis. Et quia locus erat, in quo carnificina Sanctorum Martyrum exercebatur, ideò fluvius ille antea Fibrenus dictus, poſtea vocari cœpit Carnellus, quaſi Carnarius ſeu carnium Vorator. Unde in Actis S. Placidi Martyris à Gordiano conſcriptis idem fluvius appellatur Carnellus, ut ſcias, non eſſe recentem nomenclaturam. Ita ex Baronio.

§.IV.

§. IV.

SS. Felix Presbyter, Irenæus, Mustiola, Narcissus &c.

I. HOrum Martyrum Acta ferunt, quòd, cùm Aurelianus motâ Persecutione rescivisset Sutrii in Etruria ingentem Christianorum esse numerum, illuc misit Turcium ut eos morte puniret. Inter omnes autem Fideles, qui Sutrii morabantur, eminebat quidam Presbyter nomine Felix, qui toto ardore pro Populi in agris degentis conversione laborabat, eisque bonis etiam, quibus abundabat, subveniebat. Cùm autem certior factus esset, Turcium advenisse, congregatâ Fidelium multitudine eos adhortari cœpit ad fortiter permanendum in Fide, & ne hâc tempestate concuterentur, quæ brevì esset transitura, & nil aliud operari poterat, quàm ipsos ab hujus seculi proceilis transferre ad portum felicitatis æternæ.

II. Quæ dixerat, exemplo confirmavit; nam captus & in carcerem conjectus, sequenti die coram Judice sistitur, qui ab eo petiit, cur tantâ insaniret audaciâ, ut Populos ad contemnendum Religionem Romanorum & mandata Principum instigaret: cui Felix respondens: Tota, inquit, nostra gloria, tota nostra felicitas in prædicando Jesum Christum, & vitam æternam Populis persuadendo & procurando consistit. Cùmque Judex reponeret: quænam est ista vita? hæc est, ait Felix, timere & adorare Deum Patrem, Dominum nostrum Jesum Christum, & Sanctum Spiritum. Post alias interrogationes videns Turcius eum flecti non posse, præcepit ut ei saxo os contunderetur; & ita in eo puniretur, quo Populum verbis præceperat: & in hoc cruciatu Sanctus Martyr emisit spiritum. Gloriosum ejus exitum Ecclesia celebrat 23. Junii in Martyrol. his verbis: *Sutrii in Tuscia Sancti Felicis Presbyteri, cujus os tamdiu jussit Turcius Præfectus lapide contundi, donec emitteret spiritum*.

III. Porrò cùm Sancti Martyris corpus Irenæus Diaconus sepulturæ tradidisset, Turcius eum comprendi, ac se Clusium proficiscentem, ante currum catenis oneratum ac pedibus nudis præcedere jussit; cùmque Clusium pervenisset, carceri mancipavit: deinde conquisitos per dies plures Christianos omnes in carcerem conjecit. Illuc mulier quædam nobilis Mustiola Claudio Imperatori, qui ante Aurelianum regnaverat, cognatione juncta, noctu & interdiù quoque accedens, omnigenâ assistentiâ eos confortabat & in Fide confirmabat. Monitus Turcius eam

ad

ad se adduci fecit: cùmque esset pulchra nimis, statim ac eam vidit, reduci cum honore jussit. Subinde ad eam invisendam amore captus & desiderio eam sibi desponsandi ipsemet processit, & de genere ac nobilitate sua magno studio ab ea perquisivit. Verùm illa fervore Sancti Spiritus plena respondit, se non aliam scire nobilitatem, quàm sanctam Christianorum humilitatem: cùmque Turcius plura dixisset, ut ad renuntiandum Christo eam induceret, omnia tanquam stultitias & blasphemias ipsa rejecit.

IV. Quare tantâ constantiâ Turcius irritatus, illicò Christianos omnes quos habebat detentos capite truncari imperavit; unico reservato Irenæo, quem coram Mustiola in equuleo extendi, costas ferreis ungulis lacerari, eisque flammas admoveri jussit; nec eum desiit sic torquere, nisi quando ille gratias agens Deo, quòd dignaretur eum admittere in cospectum suum, desiit vivere. Cùmque eum increparet Mustiola, quòd Sanctos Dei adeò indignè tractaret, Turcius furore percitus sententiam protulit, quâ nudata flagellis plumbo armatis tamdiù cæderetur, donec efflaret spiritum: sicque Mustiola Martyrii coronam accepit die 3. Julii. Ejus Corpus quidam Servus Dei nomine Marcus prope muros Clusii sepelivit. S. Mustiolam Virginem fuisse quidam putant, & ut Virgo alicubi colitur; sed eam jam fuisse nuptam & tunc Viduam, ostendit titulus *Matronæ*, quo ornatur in Martyrol. Rom. die 3. Julii, ubi de ipsa & S. Irenæo hæc leguntur: *Clusii in Etruria Sanctorum Martyrum Irenæi Diaconi, & Mustiolæ Matronæ, qui sub Aureliano Imperatore diversis atrocibusque suppliciis cruciati coronam Martyrii meruerunt*. Hâc die Ecclesiæ Clusina & Senensis, & aliquæ aliæ S. Mustiolæ Festum celebrant.

V. Priusqnam in Orientem transeamus, omittendum non est certamen SS. Narcissi Augustæ Episcopi, & Felicis Diaconi, qui sub Aureliano Gerundæ pro Christo fortiter pugnarunt: de quibus Martyrol. Rom. 18. Martii ita loquitur: *Augustæ Sancti Narcissi Episcopi, qui primus in Rhætia Evangelium prædicavit, deinde in Hispaniam profectus, cùm Gerundæ multos ad Christi Fidem convertisset, ibidem in Persecutione Aureliani cum Felice Diacono Martyrii palmam accepit*. Hunc Narcissum non pauci confundunt cum Narcisso Jerosolymitano Episcopo, de quo 29. Octobris: cum aliis tamen diversum esse censeo; tum quia unus Episcopus Jerosolymitanus ponitur, alter Augustanus; tum quia hìc Gerundæ Martyrio coronatus dicitur, ille autem in ætate decrepita Jerosolymis quievisse narrat Martyrol. 28. Octobris sic: *Jerosolymis natalis Beati Narcissi Episcopi, sanctitate pa-*

tientiâ ac fide laudabilis, qui centum & sexdecim annorum migravit ad Dominum. Nec obstat quòd Augustæ de S. Narcisso eâdem die 29. Octobris Festum agatur; nam hoc contingere potuit, vel quia eâ die ejus Ecclesia fuit dedicata, vel quia ejus ibi facta fuit in Episcopum Ordinatio: & demum quia Narcissus iste Augustanus multis annis posterior fuit Narcisso Jerosolymitano.

VI. Difficultas non levis mihi oritur, quomodò S. Narcissus Augustanus poni possit Gerundæ sub Aureliano passus; nam cum idem Martyrol. 5. Augusti dicat, S. Afram cùm esset Pagana à S. Narcisso fuisse Augustæ conversam, & cum tota domo sua baptizatam & tandem igni traditam; & S. Afræ Martyrium ad annum Christi 304., ut infra dicam cap. 13. §. 27. num 1. &c., protrahatur, quo tempore Diocletianus vel Maximianus regnabat, non videtur componi posse cum Martyrio S. Narcissi; quod si sub Aureliano ponatur; anno 274. jam contigerat: nisi fortè dicatur, S. Afram adhuc adolescentulam à S. Narcisso Augustæ baptizatam, plus triginta annis superstitem fuisse, & tandem Martyrio coronatam. Sed quidquid sit; argumentum præsentis operis non est de anno & tempore, quo quisque Martyrum pro Christo testimonium dederit; sed solùm statuere veritatem Martyrii pro confessione Fidei, præscindendo à tempore & anno, quo illud subiit.

Redeundo igitur ad S. Narcissum Augustæ Episcopum, præterire nolo quod refert Baronius in Notis ad 18. Martii, nempè quòd tumulus ejus multis miraculis illustratur: quorum illud est celeberrimum sub Petro Aragonum Rege, quando captâ Gerundâ per Carolum Siciliæ & Philippum Francorum Reges, ex sepulcro S. Narcissi, quod violare attentarunt Milites, muscarum examen egressum in exercitum infesto agmine irruens, ingentem cladem intulit & in fugam egit à cœptisque desistere coegit. Contigerunt hæc 8. Septembris anno Domini 1286.; unde apud eos in proverbium abierunt Muscæ S. Narcissi.

§. V.

S. Conon cum Filio & alii in Oriente.

I. AB Occidente in Orientem transeuntibus, etsi ibi minùs violenta fuisse Persecutio videatur, non pauci tamen iique celebres Martyres occurrunt. Anno 274. Iconium in Isauria quidam Præses nomine Domitianus missus fuerat, in mandatis habens ut omnes ad sacrificandum Idolis obligaret, & recusan-

ſantes diverſis & atrocibus ſuppliciis puniret. Erat Iconii quidam fidelis Chriſti Servus nomine Conon, qui ex uxore Chriſtiana filium ſuſceperat: ſed uxore paulò poſt defunctâ, ipſe cum filio in locum particularem ſe recepit; ibique tali pietate vivebat, ut factus eſſet Deo & Angelis amabilis & Dæmonibus terribilis; ut dominio ſupra totam naturam donatus eſſe videretur. Aquæ cujuſdam rivi parvo ejus ſolitario hoſpitio vicini adeò excreverant, ut multis illuc adventantibus tranſitum impedirent: Conon ad eorum preces aquarum curſum ad tempus ſolo verbo ſuſpendit, donec illi iter perſequerentur; ſed cùm inundatio poſtea augeretur & diverſa loca pervaderet, Conon iterùm præcepit aquis, ut recederent; & illæ paruerunt. Quamvis autem adhuc regnaret ibi Paganiſmus, erat tamen in Oriente magnus Chriſtianorum numerus; & Pagani ipſi hominem tantæ virtutis admirati ad eum pro talibus gratiis obtinendis accurrere poterant.

II. In hoc vivendi genere ad ætatem valde provectam perſeveravit, ſe ut indignum peccatorem reſpiciens, & præ humilitate in ſtatu Laici manens, & ſatis ſibi honoris eſſe reputans Chriſtianæ Religionis ſpiritum imbuiſſe; ſtatum Eccleſiaſticum venerabatur, ſed ad illum aſcendere ceu nimis elevatum non audebat. Non deſtitit tamen filium ſuum offerre Eccleſiæ, qui ætatem habens duodecim annorum in Lectorem admiſſus fuit; & ſucceſſivè omnibus ſecularibus officiis abdicatis, ad ætatem debitam perveniens ad Diaconatum elevatus fuit. Hunc aliqui appellant Conellum diminutivo nomine, quaſi parvum Cononem; Monumenta vetera tamen illius nomen tacent.

III. Cononis & filii ſingularis virtus abſque remuneratione per coronam Martyrii eſſe non poterat. Domitianus ergo ad perſequendum Chriſtianos (ut ſupra) miſſus, cùm perveniſſet Iconium, Cononem cum filio fortè jam detentum ad ſe adduci jubet. Eum intuitus Domitianus veluti pietate motus ſuper ejus venerabili ſenectute, ab eo petiit, cur vitam duceret adeò auſteram & triſtem, eo maximè tempore, quo totus Mundus in gaudiis exultaret (fortè propter Barbaros è Vindelicia ab Aureliano ejectos anno 274., ſeu alias victorias tunc reportatas) cui Conon ait: Qui ſecundùm hominem vivunt, hìc in gaudiis choræis ludis & pompis ſunt: at illi qui vivunt ſecundùm Deum, ita vivere non poſſunt; oportet enim per multas tribulationes intrare in Regnum Dei: ac proinde potiùs opto cum pœnis & Cruce Jeſu Chriſti partem habere, quàm deliciis peccati parvo tempore frui. Hanc ergo gratiam à te peto: ne mihi momenta-

neo ac brevi fupplicio vitam adimas, fed cruciatibus cruciatus, eofque atrociores, fuccedere facias, ut fic majus gaudium experiar. Hæc Conon.

IV. Quid ergo dicent hìc Ethnici? Invenientne evolutis fuis Annalibus, ab aliquo Virorum, quos fortiffimos prædicant, fimiles voces unquam prodiiffe? Non certè: quia cruciatus & mortem natura pavet & refugit; contemtum verò cruciatuum & mortis pro Religione tuenda fola Sancti Spiritus efficacia, quam ignorabant, infpirat: & propterea videntes noftros nedum cruciatus non fugere, fed ultrò eis occurrere, ftultos eos putabant, ut fupra dixi: quos ex Lactantio L.5. Inft. cap.13. confutavi. Hoc igitur Divino Spiritu repletus Conon loquebatur: nec folus ipfe, fed alii multi ex omni ætate ac fexu: fic Potamiæna Virgo rogavit tortores, ut fe paulatim demitterent in lebetem igne ac pice ardentem, ut diutiùs patientia ejus pro Chrifti nomine exerceretur: fic Flavianus Martyr celebris Africæ longo Martyrio vitam claudere exoptabat, ut ejus dulcedinem guftaret: fic Laurentius è craticula in uno latere affatus petebat, ut affaretur in altero: fic alii.

V. Domitianus itaque generofum hunc loquendi modum admiratus ait Cononi: num ergo paratus es mori? cui Conon, ego, inquit, paratus fum definere vitam agere cum hominibus, ut in æternum cum Jefu Chrifto vivam. Cùmque Præfes de diverfis fuper ejus ftatu & conditione eum interrogaffet, quæfivit an filios haberet: cui Conon, fe unicum habere filium refpondit: & hunc, inquit, exopto coram te fiftere, ut mecum & ipfe Jefum Chriftum confiteri poffit; quare ftatim eum adduci juffit. Quid autem Domitianus ad eum dixerit, Acta non referunt; hoc certum eft, quòd ea quæ Pater tormenta pari alacritate & ipfe fuperavit: nimirùm ferreum lectum igne inflammatum, carbones oleo fuperinfufo accenfos, in quorum medio utrumque fuperimpofuit, addito fuper ventrem vafe ebullientis olei pleno. His in tormentis pofitus Domitiani debilitatem irridebat Conon; afferens, fe nihil ab igne pati, ignem non benè accenfum, ac fibi à Miniftris illudi: quærerent proinde nova fupplicia, ut magis Jefu Chrifti potentiam fplendefcere faceret.

Tandem cùm irâ percitus Domitianus juffiffet, eos pedibus fufpendi fuper fumum denfum & ad eos fuffocandos capacem, Conon quafi irridens dixit: quos invincibiles ad tuos ignes probafti, fumo vincere modò conaris? Tunc amborum manus ligneo malleo concuti ac conteri imperavit; cùm uterque oculis ad Cœlum elatis in precibus aliquantifper moratus, præmiffo

fupra

ſupra ſe ut poterat Sanctæ Crucis ſigno, vitam glorioſè conſummavit. Fertur, eorum mortem terribili è Cœlo voce delapsâ ſociatam fuiſſe, & hâc perterritum Domitianum illicò receſſiſſe: quò Fidelibus ibi exiſtentibus aperta fuit via eorum Corpora elevandi & ea ſepeliendi laudando Deum, quòd talem victoriam contra Dæmones Servis ſuis largitus eſſet. Paſſi creduntur anno 275. ineunte, publicatis Aureliani Edictis, & antequam ejus mortis notitia illuc perveniſſet. Eorum memoria in Martyrol. Rom. die 29. Maii his verbis celebratur: *Apud Iconium Iſauriæ Civitatem paſſio Sanctorum Cononis, & filii ejus annorum duodecim, qui ſub Aureliano Imperatore craticulæ prunis ſuppoſitis & oleo ſuperinfuſo, ſuſpenſionis in equuleo, atque ignis pœnam conſtanter paſſi, malleo ad extremum ligneo manibus eorum contritis, ſpiritum emiſerunt.* Adverto tamen, quòd ſi ut dixi Cononis filius jam ordinatus fuerat Diaconus, dici debebit, quòd cùm paſſus eſt, duodecimum annum ætatis duplò ad minus exceſſerit.

VI. Iconii quoque ſub Aureliano paſſum fuiſſe S. Charitonem, tradunt Græci in Menologio 28. Septembris; quem dicunt poſtea è carcere liberatum Taciti Aureliani ſucceſſoris mandato plura Monaſteria in Palæſtina fundaſſe. Sed Charitonem, qui in Palæſtina Monaſteria fundavit, poſteriorem Aureliano & Tacito fuiſſe tenentur aſſerere; cùm, S. Hieronymo teſte, primus qui ibi Monaſticæ vitæ exemplar præbuit fuerit S. Hilarion, qui poſt Aureliani tempora vixit. Duos ergo alios iidem Græci Charitones celebrant: unum 3. Septembris vivâ calce conſumtum; & hic fortè ſub Aureliano paſſus eſt, de quo Martyrol. Rom. eâdem die cum Zenone: alterum 9. Septembris, & hunc fuiſſe capite truncatum dicunt; qui fortè ille fuit, qui ut ſupra dixi cum S. Juſtino ſeculo ante gladio cæſus fuit.

Ptolemaide quoque in Palæſtina paſſi ponuntur SS. Paulus & Juliana ejus ſoror: quos licèt Martyrol. Rom. 17. Auguſti dicat ſub Valeriano fuiſſe paſſos his verbis: *Ptolemaide in Palæſtina Sanctorum Martyrum Pauli & Julianæ ſororis ejus, qui ſub Valeriano paſſi ſunt*: Baronius tamen eos ſub Aureliano Martyrio coronatos fuiſſe colligit ad ann. 275. num. 11. ex eorum Actis. De his agunt & Græci in Menol.



§. VI.

§. VI.

S. Mamas & alii.

I. SAnctum Mamantem Cæsareæ in Cappadocia Martyrem celeberrimum reddunt elogia, quibus SS. Gregorius Nazianzenus & Basilius eum ornarunt. Hoc tamen de eo dici potest, quòd si nominis celebritatem spectes, nullus ferè inter Græcos Martyres sit illustrior; si verò gesta investigare volueris vix aliquis eo obscurior reperietur. Ejus antiqua & sincera Acta desiderantur, & solùm aliqua ex præfatis duobus Patribus decerpi possunt: nimirùm eum fuisse conditione vilem habitantem in agris oves pascendo: additque Nazianzenus cervas ad illum proprio lacte pascendum accurrisse; sic enim Orat. 43. de eo loquitur: *Mamas ille insignis & pastor & Martyr, qui priùs quidèm cervas mulgebat, ad sanctum Virum novo & inusitato lacte alendum certatim properantes; nunc autem Metropolis Plebem pascit, hodieque multis hominum millibus undecumque accurrentibus ver innovat, tum ob virtutis pulchritudinem varium & pastoribus dignum, tum ob sermones triumphales.* Vocat eum Pastorem Metropolis idest Cæsareæ, ubi ejus corpus quiescebat, & Populorum pietatem alebat gratiis, quas per eum à Deo consequebantur.

S. Basilius autem tom. 1. homil. 26. de Martyre Mamante eum laudat his verbis: *Hic Martyr non accepit aliunde quem habet splendorem, sed ipse per vitæ conversationem gloriæ faculam accendit. A Mamante reliqui, non ab aliis Mamas gloriam habet... Celebremus Virum non alieno sed proprio ornamento decoratum... Ad Martyris memoriam & tota Regio mota est, & ad illius festum diem Vrbs universa immutata gestit... Vides honorem constare ex virtute non ex divitiis... Si quisquam igitur pastoris memor est, ne admiretur divitias. Convenimus enim, non ut divitem laudemus, ne divitem admiratus domum abeas, sed ut paupertatem cum pietate conjunctam extollamus. Pastorem esse nihil habet magnificum, nihil quod sapientiæ & industriæ referat exercitium.*

II. Ex his de S. Mamante nihil aliud colligere possumus, nisi eum agrestem pastorem fuisse, genere & parentibus ignobilem, nihil nec gloriæ nec splendoris ex stirpe sua traxisse, sed unicè fuisse propriis meritis non alienis ornatum, & suâ virtute commendabilem non divitiis aut gloriâ vel sapientiâ Mundi: uno verbo, eum fuisse simplicem pastorem non alias habentem divitias quàm alimentum quotidianum, aliud non possidentem præ-

præter baculum & peram, & habitaculum cui cœlum pro tecto erat; virtute tamen & signis adeò clarum, ut ad ejus solemnitatem ex toto ferè Orbe Populi venerabundi confluerent Cæsaream, & gratiis per eum à Deo obtentis inde lætabundi recederent.

Gratiæ ad ejus sepulcrum accurrentibus concessæ erant, visiones in somno habitæ, aberrantes ad viam reducti, infirmi sanati, mortui suscitati. Ita S. Basilius ibi: *Memores estote Martyris quotquot illo per somnia potiti estis, quotquot in hoc loco constituti adjutorem ipsum ad precandum habuistis, quibuscumque ex nomine advocatus ipsis adfuit operibus, quotquot aberrantes in viam reduxit, quoscumque sanitati restituit, quibuscumque filios jam mortuos ad vitam reductos reddidit, quotquot vitæ terminos prorogavit. Collectis in unum his omnibus ex communi symbolo Martyri encomium construite. Conferte inter vos mutuò quæ quisque novit..; ista namque demum sunt Martyris encomia spiritualium Charismatum divitiæ*. Ita S. Basilius.

III. Sicut verò virtutum, quibus tantum coram Deo meritum S. Mamas dum viveret comparavit, Veteres nullam distinctam posteris reliquerunt; ita de ejus morte loquentes Martyrem quidèm dicunt; sed à quo & quo Marryrii genere fuerit coronatus tacent: solùm ex quadam ejus apparitione traditum accepimus, sibi caput amputatum testatum ipsum fuisse; cujus autem mandato? Aureliani vel eo imperante anno 274. sentiunt communiter Auctores, & quidèm Cæsareæ in Cappadocia. His consentit Martyrol. Rom. 27. Augusti his verbis: *Cæsareæ in Cappadocia natalis Sancti Mamantis Martyris, qui à pueritia ad senectutem usque longum Martyrium duxit, & tandem imperante Aureliano sub Alexandro Præside illud feliciter consummavit*.

IV. Græci tamen de eo agunt 2. Septembris his verbis: *Mamas celeberrimus Martyr Aureliano Romanorum Cæsare claruit. Cùm autem orphanus relictus fuisset, parentibus in carcere ob Christianam Fidem extinctis, à quadam Religiosa Senatorii Ordinis Matrona educatus est. Cùm verò ad ætatis maturitatem pervenisset cogereturque ab Idolorum cultoribus sacrificare Idolis, nullâ unquam ratione ad id adduci potuit: sed à Divino Angelo in montem deportatus, ibi cervæ lacte alebatur, solusque continuis ad Deum precibus vitam traducebat. Post autem aliquantò cum illius fama longè latèque emanaret, iterùm comprehensus à Præside Cæsareæ compellitur Idola adorare. Id aversatus ille in ignem conjicitur, atque inde egressus illæsus ad bestias damnatur; à quibus cùm nullam noxam accepisset, tandem hastili transverberatur, & viscera ejus in terram ob gra-*

graviſſimum vulnus effunduntur: quæ ipſe propriis manibus præferens, ex Urbe Cæſarea egreditur, & cum gratiarum actione ſanctam beatamque animam ſuam Deo tradidit, & in eadem Urbe ſepultus eſt. Ita Græci ejus Martyrium deſcribunt. Hàc die celebrari conſuevit Conſtautinopoli etiam tempore Leonis Imperatoris. Alia quoque ejuſdem Martyrii ſolemnitas celebrabatur, nempè Dominica in octava Paſchæ: quâ die Orationem prælaudatam habuit Nazianzi in ejus Eccleſia S. Gregorius Nazianzenus, teſte Niceta. Celebrem quoque fuiſſe hujus Martyris memoriam Romæ colligitur, quia in ejus Baſilica homiliam habuit S. Gregorius Papa in die natali ipſius, quæ eſt 35. in Evangelia.

V. Inſigne præ cæteris fuit prodigium, quod ſeculo quarto accidiſſe Auctores Græci poſt Sozomenum commemorant, nempè Gallum & Julianum Imperatoris Conſtantini ex fratre nepotes Lectores jam ordinatos, in honorem Sancti Mamantis Eccleſiam conſtruere molitos fuiſſe; ſed eam partem, quam Julianus erigendam ſuſceperat, nunquam ſtare potuiſſe. Hoc factum, ut à Viris fide dignis acceperat, refert Sozomenus L. 5. Hiſt. Eccleſ. cap. 2. his verbis: *Eo tempore ajunt, illos ſepulcrum Mamæ Martyris ampliſſimâ Baſilicâ circumdare ſtudentes, opus inter ſe partitos eſſe: dumque alter alterum magnificentiâ & cultu ſuperare contenderet, rem admirabilem prorsùsque incredibilem accidiſſe, niſi multi adhuc noſtrâ ætate ſupereſſent, qui rem ipſam ab iis qui eam viderant, acceperunt: nam pars quidèm Operis quæ Gallo obvenerat attollebatur, & ex animi procedebat ſententia; ex operibus autem Juliani, alia corruebant, alia ex fundamentis ſursùm propellebantur, alia ne ſolo quidèm cohærere ab initio ſuſtinebant; non ſecùs ac ſi contrariâ quâdam vi deorsùm obſiſtente retruderentur. Et omnibus quidèm ea res prodigio ſimilis viſa eſt: multi verò quid portenderet ex eventu judicaverunt*: nam ipſe Julianus cùm Imperium adeptus fuit, Chriſtianâ Religione ejuratâ Paganiſmum amplexus, ob id *Julianus Apoſtata* meritò appellatus eſt. Hanc eandem hiſtoriam refert S. Gregorius Nazianzenus Orat. 3. adversùs Julianum; nomen tamen Martyris non exprimit. Porrò Templum iſtud, in cujus erectione prænarratum contigit prodigium, fuiſſe non Conſtantinopoli ſed Cæſareæ, indicant prælaudata Sozomenis verba dicentis, Gallum & Julianum *ſepulcrum Mamæ Martyris ampliſſimâ Baſilicâ circumdare* ſtuduiſſe: nemo autem inficiari poteſt S. Mamantis ſeu Mamæ ſepulcrum Cæſareæ extitiſſe.

VI. Præfatis Martyribus ſub Aureliano paſſis addi poſſunt ex Martyrol. Romano S. Porphyrius, de quo 4. Novembris dicitur:

citur: *Ephesi Sancti Porphyrii Martyris sub Aureliano Imperatore.* Hunc memorant Græci in Menol. Basil., ejusque Martyrium describunt die 4. Novembris sic: *Porphyrius Martyr Aureliano Imperatore fuit ex Urbe Epheso, egregius scenicorum ludorum actor, cujus ludicrâ arte delectatus Alexander Cæsareensium Comes secum Cæsaream illum adduxit. Agebatur fortè festus Dæmonum dies summâ ludorum celebritate, in quibus & Christianorum ritus per jocum repræsentabantur. Productus igitur Porphyrius, ut ab eo, qui scilicet Episcopi personam indueret, baptizaretur, allatâ aquâ nudus illam ingreditur, falsò interim Episcopo Christianorum ritu dicente: In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti baptizatur Porphyrius. Quo facto adfuere Angeli, qui induto stolâ albâ Porphyrio, cum facibus psallebant dicentes: Quicumque in Christo baptizati estis Christum induistis, Alleluja. Eo miraculo commoti plurimi, in Dominum crediderunt; Comes verò rubore suffusus discessit: & sequenti die Porphyrium prætento magicæ artis crimine decollari jussit.* Simile contigit in S. Genesio Mimo sub Diocletiano, de quo Martyrol 25. Augusti: & in S. Ardalione pariter Mimo sub Maximiano (de quo Martyrol. 14. Aprilis, & Menol. Basil. die 17. ejusdem mensis), qui fingens se in scena Martyrem pro Christo tormentis subjectum repentè mutatus & conversus verus Martyr effectus fuit: ut verè de istis dici possit: *Hæc mutatio dexteræ Excelsi.* Psalm. 26. v. 11.

VII. S. Symphorianus, de quo 22. Augusti legitur: *Augustoduni S. Symphoriani Martyris, qui tempore Aureliani Imperatoris cum Idolis sacrificare nollet, primò verberibus afflictus deinde carceri mancipatus, ad ultimum cæso capite Martyrium consummavit.* Agunt de eodem Beda, Usuardus, Ado. Extant ejus Acta apud Surium. Gregorius Turon. de Gloria Confess. agens de Simulacro Berecinthiæ plura dicit cap. 77. & hist. L. 2. cap. 15. Alios omitto; nam hactenùs recensiti sufficiunt, imò abundant ad probandam Christianæ Religionis Veritatem ex constantia & victoria Martyrum regnante Aureliano, & ad detegendum Doduvelli mendacium dicentis, sub hoc Principe nullum Martyrem extitisse.

§. VII.

De Probo Imperatore & Martyribus sub ipso.

I. AUreliano ut dixi occiso, sex mensibus vacavit Imperium: cùm enim Milites nullum ex iis, qui in nece Aureliani partem habuerant, Imperatorem vellent; quamvis multi ex iis

id ambirent, electio ad Senatum delata est. Senatus autem probè sciens, Milites libenter non accepturos, quem Senatus elegisset, electionem remisit ad eos. Militibus tamen constanter renuentibus, factum est, ut ultrò citròque electio remitteretur. Senatus tandem 25. Septembris ejusdem anni 275. Tacitum Imperatorem declaravit, qui tamen Tyane mortuus mense Aprilis anni 276. solis sex mensibus imperavit. Mortuo Tacito Florianus ejus frater propriâ auctoritate Imperium occupavit, quod tamen solis duobus mensibus tenuit, à Militibus enim Tarsi necatus fuit. Interea fama tulit, Milites in Oriente Imperatorem salutasse illum, quem Senatus vota & Populi acclamationes postulabant, nimirùm Marcum Aurelium Valerium Probum Sirmii in Pannonia natum Maximi Tribuni Plebis filium, & rebus præclarè gestis maximè pluribus victoriis contra Barbaros reportatis insignem. Is tamen solis sex annis imperavit: nam anno 282. à Militibus propè Sirmium interfectus fuit.

II. Sub hisce tribus Imperatoribus, maximè sub Probo & Successoribus usque ad Diocletianum nulla in Christianos excitata fuit Persecutio. Quòd si aliqui Martyres sub his Principibus leguntur in Martyrologiis & alibi, hoc non fuisse speciali eorumdem Edicto, sed potiùs vi Edictorum præcedentium Imperatorum & Legum Imperialium, vel privato Præsidum in Christianos odio, credendum est. Ita exponi debet S. Leo supra relatus, dum ait Serm. 2. in Festo Pentec., quòd *Probo Imperatore Persecutio ebulliret*: nisi fortè loco *ebulliret*, legatur *ebullisset*, ut ibi notavi. Ita quoque exponendus est auctor Chronici Paschalis, dum Cari Persecutionem commemorat, *in qua multi Martyrio vitam finierunt*: tanto enim odio Christianos Pagani prosequebantur, ut quâcumque arreptâ occasione eos tanquam Imperii hostes & Deorum eversores ad Tribunalia traducerent; Magistratus autem ac Præsides hoc titulo eos ad supplicia & mortem damnarent.

III. Hâc ratione Martyrol. Romanum & Menol. Græcorum die 19. Septembris sub Probo ponunt passionem SS. Trophimi, Sabbatii, & Dorymedontis. Horum hæc est historia. Trophimus & Sabbatius comprehensi fuere Antiochiæ Pisidiæ, eò quòd Trophimus Paganorum cultus tanquam stultitias contemsisset, ac statim delatus fuit ad Heliodorum Vicarium, seu si mavis, Magistratus Principem (nam Vicarii nomen solùm sub Diocletiano usurpari cœpisse testatur Lactantius de Mort. Persecutorum cap. 7.): quia verò Magistratus Urbium poterant quidèm reos quæstioni subjicere, non tamen morti addicere; Heliodorus

Tro-

Trophimum & Sabbatium quæstioni eos torquendo exposuit. Cùm verò Sabbatius inter tormenta ploraret, Judex ejus lacrymis insultare non destitit. Cui Sanctus Martyr respondit: „ Ego „ sentio quidèm, fateor, dolorum violentiam, adeò ut lacry- „ mas continere non possim: sed magis quoque amo hæc omnia „ pati, quàm Domino meo Jesu Christo renuntiare. Disce ergo „ ex meis lacrymis quanti illum existimem, quantâ amoris „ abundantiâ illum diligam, dum dolores magis sensibiles ce- „ dunt amori „. Inde vi tormenti corporis vires superante, Sabbatius spiritum emisit.

IV. Mortuo igitur in tormentis Sabbatio, Heliodorus ad Dionysium Perennium tunc Phrygiæ Gubernatorem Trophimum misit. Erat Perennius tunc Synnade tridui itinere Antiochiâ distante. Illuc ergo Trophimus transmissus fuit constrictos habens pedes ferreo compede ferreis ungulis armato, ut Græci in Menologio asserunt: Perennius autem post diversa tormenta eum in carcerem detrusit.

Contigit autem, ut in carcere reclusum Trophimum Dorymedon Urbis Senator adiret, sive cùm jam Christianus esset ut ei subveniret, ut Acta apertè dicunt; sive, ut alii putant, cùm pietate humanâ motus eum visitasset, ab ipso ad Fidem tunc conversus fuit. Ut ut res fuerit, Dorymedon post ejusmodi præstita caritatis officia, & ipse comprehensus eadem cum ipso tormenta pertulit, ut effossis oculis ambo bestiis expositi fuerint, sed cùm ab istis nullum nocumentum paterentur, gladio tandem ambo capite percussi vitam gloriosè pro Christo dederunt. Quod Martyrol. Rom. 19. Septembris ita describit: *Eâdem die Sanctorum Martyrum Trophimi, Sabbatii, & Dorymedontis sub Probo Imperatore, quorum Sabbatius Antiochiæ jussu Attici* (non Heliodori) *Præsidis tamdiù flagris cæsus est, donec emitteret spiritum: Trophimus verò Synnadam ad Perennium Præsidem missus, post multos cruciatus cum Dorymedonte Senatore capitis decollatione Martyrium consummavit.*



CAPUT XIII.

Persecutio Diocletiani & Maximiani.

§. I.

Horum Imperii Initia.

I. ATtigimus tandem Diocletiani & Maximiani tempora; infausta quidèm, si tot justorum neces & barbara tormenta, quibus impiè ad mortem usque cruciabantur; faustissima tamen, si spectemus admirabilem constantiam, quâ pro Religione Christianâ tormenta superantes invictum pro Veritate Christianæ Religionis argumentum reliquerunt. Et quidèm tot Ecclesiæ Martyres hæc tempora Ecclesiæ pepererunt, ut licèt antea nullus coronatus fuisset, ex horum tamen ingenti ac propè infinita multitudine, Ecclesia contra Paganos se triumphasse jure merito sibi gratulari posset. Unde Sulpitius Severus L.2. hist. num.47. ait: *Nullis unquam magis bellis Mundus exhaustus est: neque majore unquam triumpho vicimus, qui cum decem annorum stragibus vinci non potuimus*: ubi loquitur de Generali Persecutione, quæ ab anno 303. decem ultimis horum Imperatorum annis toto Orbe grassata est, ut dicemus.

II. Occiso ut supra dixi Probo anno 282., Milites in ejus locum elevarunt Marcum Aurelium Carum Præfectum Prætorii, qui Carinum & Numerianum filios Cæsares creavit. Carus patriâ Narbonensis erat, vix tamen duobus annis Imperium rexit; cùm in bello contra Persas interemtus fuit. In Imperio duo ejus filii continuarunt Numerianus scilicet in Oriente, Carinus in Occidente. Numerianus paternæ mortis mœrore in morbum incidit, sed post aliquot menses in suo loco occisus fuit, mandante Apro Imperium ambiente. Infirmitatis specie ejus mors aliquandiù celata mansit, sed fœtore corporis tandem manifestata, Exercitus declaravit Imperatorem Cajum Aurelium Valerium Dioclem, qui nomen postea Diocletiani & Jovis cognomen assumsit. Die 27. Septembris anni 284. imperare cœpit. Natione Dalmata ac vilis conditionis fuit. Cùm ergo interea in Occidente adhuc imperaret Carinus, ut ei adversarium opponeret, Diocletianus Cæsarem declaravit Marcum Valerium Maximianum Sirmii in Pannonia natum, qui assumto cognomine Herculis regnare cœpit 20. Novembris ejusdem anni 284. Hi duo

duo non magis Imperio, quàm feritate & crudelitate conjuncti, viginti annorum spatio, quibus regnarunt, totum Orbem præcipuè Christianum tragicis eventibus funestarunt, seu veriùs tot insignium Martyrum triumphis illustrarunt. Horum aliquos in sequentibus ad majorem Dei, Christi, & Ecclesiæ suæ gloriam proponemus: omnes enim simul colligere foret opus in immensum augere.

III. Primum Imperii annum in debellandis domesticis hostibus Diocletianus insumsit. Carinus infamibus suis moribus & arrogantiâ Senatus & Exercitus odium in se concitaverat. Galliæ rebellaverant, & quidam dicti Bagaudi Eliano & Amando ducibus factionem excitarunt. Julianus in Illyrio ambiebat. Contra istum castra movit Carinus eumque occidit: at dum paulò post victoriam adeptus adversùs Diocletianum eam prosequitur, à suis necatur anno 285.. Anno autem sequenti 286. prima Aprilis Diocletianus titulo Augusti ornavit Maximianum Nicomediæ; unde pari auctoritate viginti annis imperarunt: Deo regnum præter solitum adeò diuturnum eis concedente, ut eorum crudelitate Christianorum patientia diutiùs exerceretur, & magis appareret gloria Christi, qui è suorum mortibus Ecclesiam mirabili propagatione dilatavit.

IV. Primis tamen Imperii temporibus favorabiles Christianis, vel saltem eis non infensi apparuerunt; nulla enim adversùs eos Edicta promulgarunt, nec tunc Christiani maximè iis in locis, quæ sub speciali Diocletiani cura erant, inquirebantur, ut ex Eusebii hist. L.8. cap.1.. Non defuere tamen etiam iis temporibus variis in locis Martyria, & quidèm plura, ut statim referam: sed hæc contigere, aut veterum legum auctoritate, aut ex Præsidum genio, aut aliâ quâvis occasione absque specialibus Imperatorum Edictis.

§. II.

SS. Claudius Asterius, Neon &c. & Genesius Martyres.

I. PRimi, qui initio Imperii Diocletiani, nempè anno Christi 285. 10. Kalend.Septembris, Diocletiano & Aristobulo Consulibus, vitam pro Christo dedere, fuere Claudius, Asterius, & Neon fratres, & duæ mulieres Domnina, & Theonilla. Hi delati sunt à noverca eorum bonis inhiante, Claudius nempè Asterius & Neon fratres, quòd essent Christiani & Deos injuriâ afficerent; atque etiam Domnina & Theonilla ejusdem criminis

reæ

reæ ſunt conſtitutæ; omneſque mandato Judicis vincti in carcerem truſi ſunt Ægeæ in Cilicia, donec Lyſias Proconſul illuc perveniret. Cùm ergo Provinciam viſitans Ægeam adveniſſet, ſedens pro Tribunali dixit, ut ante ſe traherentur Chriſtiani à Curiæ officialibus detenti, qui ab Eulalio Commentarienſi (ideſt, cujus erat reorum nomina Commentariis inſcribere) illicò ducti ſunt. Dixitque Eulalius Lyſiæ: Hi ſunt, Domine, quos hujus Civitatis Curiales potuerunt Chriſtianos tibi offerre, tres pueros fratres, & duas mulieres cum infantulo.

II. Ex his primò præſentatus fuit Claudius, qui fortè alios ætate præibat. Interrogatus à Lyſia de nomine, ſe Claudium appellari reſpondit. Et rursùs quæſitus, cur ſuam juventutem perdere vellet ob ſuam ſtultitiam? Accederet & Diis ſacrificaret juxta Imperatorum mandatum, ut ſic effugeret tormenta, quæ illi jam parata erant: reſpondit: Deus meus talia Sacrificia non vult, ſed eleemoſynas & converſationes juſtas. Dii enim veſtri Dæmones immundi ſunt: ideò hujuſmodi Sacrificiis delectantur perdentes animas in æternum; & hos vis ut ego colam? Tunc Lyſias aptari eum ad virgas præcepit dicens: alio genere inſaniam non vincam. Sed Claudio reſpondente: etſi graviora tormenta adhibeas, in nullo me lædis, animæ verò tuæ provides æterna tormenta: Lyſias comminatus iterùm pœnas Imperatorum mandato, & ſimul munera & honores pollicitus, ſi obediret, videns ſe nihil proficere, in equuleo eum ſuſpendi juſſit, & flammam pedibus ejus adhiberi & de calcaneis partes abſcindi: rursùs ungulis eum vexari, teſtam aſperrimam lateribus ei incumbi & candelas ardentes ei applicari. Sed in omnibus intrepidus Claudius cùm dixiſſet: mihi ignis & tormenta tua ſalvam facient animam, quoniam quæ patior propter Deum mihi lucrum magnum, & pro Chriſto mori divitiæ ſunt. Quare iratus Lyſias eum ex equuleo deponi & in cuſtodiam dari præcepit.

III. Aſterius alter frater ſecundo loco ſiſtitur; cui Lyſias vel tu, inquit, ſacrifica Diis, vel tormenta tibi parata ante oculos habe. Cùmque Aſterius reſpondiſſet, ſe adorare Deum unum, qui eſt venturus ſolus in Cœlo habitans & humilia reſpiciens, & ut hunc coleret ac diligeret ſe fuiſſe à parentibus edoctum: illos autem, quos Lyſias colit, ſe Deos eſſe neſcire, ſed eſſe adinventionem perditionis, non veritatem. Lyſias eum in equuleo ſuſpendi juſſit, & latera ejus torqueri. Inter hæc Aſterius dixit: „ Ego ſum frater illius, qui paulò ante interrogationibus „ tuis reſpondit: mihi & illi unus eſt animus, una confeſſio. „ Age quæ potes: meum corpus in poteſtate habes, animam

„ non

„ non habes „ . Quibus iratus Lysias jussit carbones pedibus ejus substerni ac dorsum ventremque virgis ac durissimis nervis contundi. Sed Asterius cùm infracto animo peteret, ut nullam sui corporis partem sine plaga dimitteret, ut cum cæteris custodiretur dimissus fuit.

IV. Inde Neon frater tertius adducitur, qui à Lysia quæsitus, ut Diis sacrificaret, & sic tormenta evaderet, respondit: „ Dii „ tui, si quid virtutis habent, defendant se ipsos ab his, qui eos „ negant, & tuam defensionem non requirant. Si verò malitiæ „ eorum es socius, multò melior sum Diis tuis & te, quia vobis „ non obaudio habens Deum verum, qui fecit Cœlum & ter- „ ram „. Cùmque Lysias præciperet, ut frangerent cervicem ejus, quia Deos blasphemasset; Neon dixit „ Blasphemus tibi „ esse videor dicens veritatem „ ? Tunc pedibus eum extendi fecit, carbones ei superponi & nervis dorsum contundi. Sed videns, eum ut cæteros immobilem in sententia persistere, tandem pronuntiavit, ut tres fratres foràs extra Civitatem ducerentur, ac ibi Cruci affixi relinquerentur, ut aves eorum corpora lacerarent. Quod impletum fuit.

V. Deinde ei oblata Domnina, eique comminatis tormentis ut Diis sacrificaret, animo plus quàm virili Lysiæ dixit: „ Ne in „ ignem æternum incidam & tormenta perpetua, Deum colo „ & Christum ejus, qui fecit Cœlum & terram & universa quæ „ in eis sunt; nam Dii vestri lapidei sunt & lignei facti hominum „ manibus „. Hæc ferre non valens Lysias jussit eam depositis vestibus nudam extendi & omnia membra ejus virgis concidi. Quo in cruciatu cùm spiritum emisisset, corpus ejus dejici in profundum fluminis imperavit.

VI. Supererat Theonilla. Hæc natalibus ingenua & à 23. annis vidua, olim Paganismo fuerat irretita, sed postea soluta & à Viro & ab errore vigintitres suæ viduitatis annos Deo sacraverat in jejuniis vigiliis & precibus. Adstans igitur hæc coram Lysia tantum abfuit, ut aliorum tormentis territa esset, quin potiùs responderit, se non timere ignem ac tormenta, quæ solum corpus possunt occidere, sed timere ea, quæ animam & corpus possunt in æternum perdere, & quæ parata sunt illis, qui dereliquerunt Deum & adoraverunt Idola & Dæmones. Quare Lysias alapis tundi faciem ejus jussit, eam projici in terram & ligatis pedibus fortiter torqueri. Cùmque illa conquereretur, Feminam ingenuam ita indignè tractari, Deum tamen videre quod agitur; Lysias capillis suspendi, in faciem cædi & toto corpore verberari præcepit. Cùm verò se vestibus denudari aspe-

aspexit pudore suffusa : „ Non sufficit, inquit, quòd me nudam „ statuisti ? Non autem me solam, sed & matrem tuam confu- „ sione induisti per me. Omnes enim Mulieres unius naturæ „ sumus „. His tamen nihil motus Lysias caput illi novaculâ acutâ radi ac spineâ coronâ cingi, corpus ejus per quatuor extendi palos, loro non solùm dorsum sed totum corpus concidi, demum carbones etiam ventri supermitti, ut sic moreretur, imperavit. Cùm verò jam mortuam audisset, corpus in sacco ligari & in mare projici mandavit. Quod factum fuit.

VII. Ita uterque sexus, immanibus pari constantiâ tormentis superatis; illustre pro Christiana Religione testimonium dedit anno 285.: quod celebrat Martyrol. Rom. die 23. Augusti his verbis: *Ægeæ in Cilicia Sanctorum Martyrum Claudii, Asterii, & Neonis fratrum, qui Christianæ Religionis à noverca accusati, sub Diocletiano Imperatore & Lysia Præside post acerba tormenta Cruci affixi victores cum Christo triumpharunt. Passæ sunt post eos Domnina & Theonilla.*

VIII. Hoc eodem anno 285. probabiliùs creditur Romæ contigisse mirabilis Genesii ex Mimo in Christianum & Martyrem conversio; in qua admirari debemus incomprehensibilia judicia Dei; qui sicut alios multos post præclaras confessiones & immania superata tormenta, in ipso penè mortis articulo deficere ac miserè perire permisit: ita istum nostræ Religionis Sacramenta irridentem tali gratiâ donavit, ut Baptismo quem irridebat repentè suscepto, non solùm graviora tormenta sed mortem ipsam pro Christi nominis confessione illicò superarit.

Genesius ergo Religione Paganus,& Christianis adeò infensus erat, ut ne nomen quidèm audire vellet, Gesticulatoris seu Mimi ludicram artem publicè profitebatur. Quâdam ergo die ut rem gratam Diocletiano faceret, quem sciebat Christianos odio habere, ludum de mysteriis Christianæ Religionis ipsi Imperatori præsenti exhibere cogitavit. Re itaque cum sociis dispositâ, conscenso theatro fingens graviter decumbentem in lecto ibi parato se prostravit & clamare cœpit modo tamen ridiculo se baptizatum mori velle: sociis autem respondentibus, cur hoc vellet, post multa de Baptismo irrisoria mutuò prolata, evocatur ex condicto fictus Presbyter & Exorcista; qui cùm juxta lectum ipsius resedissent, dixerunt: Quid ad nos misisti filiole? Tum (oh mira Divinæ Gratiæ vis!) Genesius subitò mutatus, jam non simulatè ac fictè, sed ex puro corde respondit: „ quia „ accipere cupio gratiam Christi, per quam renatus liberor „ à ruina iniquitatum mearum „. Tunc qui ad jocum venerant om-

omnia Baptifmi myfteria & cæremonias feriò compleverunt, præmiffis nempè folitis interrogationibus Genefius fincero corde refpondens aquâ falutari lotus fuit.

IX. His peractis indutus veftibus albis, ad ludum continuandum à Militibus rapitur, & ad fimilitudinem Martyrum Imperatori exhibetur de Chrifti nomine ab eo interrogandus: coram quo pofitus contra omnium expectationem ex editiori loco fequentia ex Actis defumta Genefius affatus eft: „ Audi Imperator „ & omnis Exercitus, Sapientes & Populi hujus Urbis. Ego „ quotiefcumque Chriftianum vel nominatum audivi, exhorrui; „ & in confeffione permanentibus infultavi. Ego etiam parentes „ meos & affines causâ nominis Chriftiani exfecratus fum, & in „ tanta derifione habui Chriftianos, ut myfteria eorum diligenti examinatione perquirerem, ut ex eorum fanctificatione ludum vobis exhibere vellem. At ubi me aqua nudum tetigit, „ & interrogatus credere me refpondi, vidi fuper me manum „ cœlitùs venientem & Angelos radiantes fuper me ftetiffe, „ qui omnia peccata quæ ab infantia feci recitaverunt de libro, „ quæ mox in aqua laverunt; in qua in confpectu veftro perfufus, & mihi candidiorem nive poftmodùm oftenderunt. Nunc „ igitur, inclyte Imperator & vos omnes Populi, qui de his „ myfteriis rififtis, mecum credite verum Dominum effe Chriftum, hunc effe lumen hunc effe veritatem hunc effe pietatem, „ & per ipfum vos ad indulgentiam poffe pervenire.

X. Hæc Genefius omnibus ftupore fufpenfis. Sed Diocletianus tum odio, quo ardebat contra Chriftianos, tum adeò apertâ & publicâ Chrifti coram fe & toto Populo factâ confeffione vehementi indignatione percitus, ftatim Genefium fuftibus crudeliffimè cæfum Plautiano Præfecto tradidit, ut eum ad Sacrificia compelleret: à quo in equuleo fufpenfus & ungularum diutiffimâ laceratione vexatus, lampadibus etiam inflammatus cùm in Fide conftans diceret: „ Non eft Rex præter eum quem vidi, & „ adoro & colo eum; & pro ejus cultura fi millies occidar, „ ipfius ero ut cœpi. Chriftum mihi de ore, Chriftum mihi de „ corde auferre tormenta non poterunt; valdè enim pœniteo „ me erraffe, quòd ante Nomen fanctum in hominibus fanctis „ exhorrui, & fatis tardiùs ad adorandum verum Regem fuperbus Miles acceffi „. Tum Plautianus hæc audiens, juffit eum illicò decollari. Et decollatus eft Beatus Martyr Genefius 8. Kalend. Septembris. Quâ die ejus memoria in Martyrol. Rom. colitur, nimirùm 25. Augufti.

XI. S. Genefii paffionem ad ann. 303. protrahit Cardinalis

Baronius cum aliis, quo anno indicta fuit generalis atrocissima Persecutio, maximè quia Acta appellant Diocletianum *sævissimum Tyrannum, cui Christiani exosi erant*. Sed obstare videtur, quia eo anno Diocletianus Nicomediæ cum Maximiano erat, non Romæ: quòd si eodem anno Romam venit fortè ut vicesimum sui Imperii annum triumphali more celebraret, hoc non potuit esse nisi 17. vel 20. Novembris; passio autem S. Genesii jam 25. Augusti secuta fuerat. Verisimilius ergo censent Ruinart Tilmontius & alii, S. Genesium passum fuisse anno 285. vel 286., cùm Diocletianus Carino devicto Romam venit, ut Imperii possessionem caperet. Quòd si in Actis sævissimus Tyrannus nuncupatur, hoc vel exscriptoris additamentum fuit, vel qui estò in Christianos Edicta nondum protulisset, eos tamen tanto odio prosequebatur, ut datâ occasione in eos desæviret, quod in S. Genesio manifestavit. Quocumque tamen tempore contigerit, cùm reverà contigerit, S. Genesii mirabilis conversio & passio, maximum præbet pro Christiana veritate argumentum.

XII. Porrò idem quod Romæ Genesio, Heliopoli Gelasio seu Gelasino contigit, ut refertur in Chronico Paschali ad ann. 13. Diocletiani. Is quippè alter Mimus Christianorum Baptismo illudens, ab aliis Mimis in balneum, ut Christianorum cæremonias imitarentur, immissus & albâ veste indutus, repentè ita mutatus est, ut se Christianum inclamans, è theatro ejectus & à Populo lapidibus obrutus mortem fortiter pertulerit: *Cujus corpus*, inquit Chronici concinnator, *in vicum Mariamnem dictum, unde erat oriundus, extra Heliopolim propinqui detulerunt, ibique ei Oratorium construxerunt*. Hujus Martyris memoriam celebrant Græci die 27. Februarii, & Bollandus eâdem die.

XIII. Aliud quid simile sub Juliano Apostata accidit in Sancto Porphyrio, quem 15. Septembris Græci colunt: qui etiam 14. Aprilis de S. Ardaleone dicunt, quòd Maximiani temporibus illudere volens constantiæ Christianorum in Martyrio, in equuleo se extendi fecit, ac si Diis sacrificare recusasset. Sed repentè in tale deliquium incidit, ut quasi mortuus appareret: quod Pagani simulatè factum putantes, ei acclamabant quasi Personam quam gerebat arte perfectâ repræsentaret. At ille ad se rediens, facto silentio, rem ut contigerat narravit, & se Christianum professus est. Cùmque in Christi confessione persisteret, Martyr effectus est. De quo Martyrol. Rom. 14. Aprilis hæc habet: *S. Ardalionis Mimi, qui cùm Sacris Christianorum in theatro illuderet, de repentè mutatus, ea non solùm verbis sed & testimonio sui sanguinis comprobavit*. „ Consueverant Gentiles in de-

„ ri-

„ risum Christianæ Religionis Personas in theatrum introduce-
„ re quæ Sacra Christianorum repræsentarent: sed Deus, qui illusores irridet, jocos in rem seriam, fabulam in historiam, & „ Mimum convertebat in Martyrem „. Ita Baronius in Notis ibi, de his superiùs cap. 12. §. 6. num. 6.. Ut omnis æquivocationis tollatur occasio, distinguendus est à nostro Genesio Mimo alter Genesius pariter Martyr fortè sub iisdem Imperatoribus anno 303. Arelate passus eâdem die 25. Augusti, ut in Martyrol. Rom., de quo inferiùs cap. 15. §. 2.

§. III.

SS. Mauritius & Socii.

I. SAnctus Mauritius primarius Dux erat Legionis Romanæ Thebææ seu Thebæorum nuncupatæ, fortè quia ex Thebaide initia habuerat. Hanc Gregorius Turonensis de Glor. Martyr. cap. 75. vocat etiam Legionem felicem, hoc illi ex aliquo felici eventu cognomine tributo; Fortunatus quoque L. 8. cap. 4. eam felicem vocat: ita tamen ut eam felicem nominet ex felicitate moriendi pro Christo. Apud Romanos Legio referente Vegetio L. 2. cap. 2. sex mille & ultra peditibus & septingentis equitibus constare solebat. S. Eucherius tamen 6600. militibus eam compositam tunc fuisse asserit: ideoque totidem socios in Martyrio S. Mauritio assignat. Res ergo ut S. Eucherius Lugdunensis Episcopus refert, ita evenit.

II. Diocletianus, qui anno 284. electus fuerat Imperator, propter tumultus ab Arnando & Eliano in Galliis excitatos, ubi rusticæ Gentes sub nomine Bagaudorum rebellaverant, ad eos comprimendos anno 286. æquum duxit Maximianum Herculium collegam in Imperio assumere. Ad augendas itaque copias, quas Maximianus ad istud bellum secum adduceret, Legionem de qua loquimur ab Oriente accersit, quam Maximiano in auxilium tradidit. Qui in ea militabant unà cum Mauritio duce omnes Christiani erant, & dum Româ transirent, à Cajo tunc Papa animati fuisse feruntur ad constanter perseverandum in Fide, quam Christo promiserant. Hi ergo virtute nobiles sed nobiliores Fide, erga Imperatorem fortitudine, erga Christum devotione certare, & Evangelici præcepti etiam sub armis non immemores, reddere quæ Dei erant Deo, & quæ Cæsaris Cæsari restituere decreverunt.

III. Quapropter cùm se sicut cæteros Militum, etiam ad di-

laniandam Christianorum multitudinem destinatos vidissent, soli ipsi crudelitatis hoc ministerium detrectare ausi sunt, atque ejusmodi præceptis se obtemperaturos negarunt, Maximianus non longè aberat, nam se circa Orthodorum (oppidum Valesiæ in Helvetiis propè Sedunum & Agaunum, modò *Martigni*) itinere fessus tenebat: ubi cùm per nuntios accepisset, Legionem hanc adversùs mandata Regia rebellem in Agaunensibus angustiis substitisse, uti impietatem suam ad extinguendum Christianum nomen totam armaverat, furore accensus decimum quemque ex eadem Legione gladio feriri jubet, quò faciliùs cæteri Regiis præceptis metu territi cederent: ac reintegratis mandatis edicit, ut reliqui ad Christianos persequendos cogantur. Ubi verò ad Thebæos denuntiatio iterata pervenit, vociferati omnes sunt & protestati, se sacrilegium adeò immane non patraturos, se Christianos esse, Idola detestari, & paratos esse omnia pati magis, quàm contra suam Fidem quidquam operari. Hujus nuntio perlato, Maximianus majori rabie accensus, eos iterùm decimari, nimirùm ex decem unum quem sors obtulerit occidi imperavit, quod secundò factum est, nemine Sanctorum Militum, quamvis gladios manibus tenentium, obsistente; imò quolibet, ut sors pro Christo præmoriendi contingeret, exoptante.

IV. Tantam alacritatem in omnibus maximè inspirarunt Mauritius Exuperius & Candidus, dum sociorum qui jam præcesserant exemplo cæteros, ut eos ad Cœlum sequerentur, adhortari non cessabant. Unde his primoribus suis atque auctoribus animati Maximiano insaniâ adhuc æstuanti mandata mittunt, sicut pia ita & fortia, quæ ut refert Eucherius in hunc modum fuere.

Milites sumus, Imperator, tui: sed tamen servi, quod liberè confitemur, Dei: tibi militiam debemus, illi innocentiam: à te stipendium laboris accepimus, ab illo vitæ exordium sumsimus. Sequi te Imperatorem in hoc nequaquam possumus, ut auctorem negemus Deum, utique auctorem nostrum, Dominum auctorem velis nolis & tuum. Si non ad tam funesta compellimur, ut hunc offendamus; tibi ut fecimus hactenùs, adhuc parebimus: sin aliter, illi parebimus potiùs quàm tibi. Offerimus nostras in quemlibet hostem manus, quas sanguine innocentium cruentare nefas ducimus. Dexteræ istæ pugnare adversùs impios atque inimicos sciunt, laniare pios & cives nesciunt. Meminimus, nos pro civibus potiùs quàm adversùs cives arma sumsisse. Pugnavimus semper pro justitia, pro pietate, pro innocentium salute: hæc fuerunt hactenùs nobis pretia periculorum. Pugnavimus pro Fide, quam quo pacto conservabimus tibi, si hanc

Deo

Deo nostro non exhibemus? Juravimus primùm in Sacramenta Divina, juravimus deinde in sacramenta Regia: nihil nobis de secundis credas necesse est, si prima perrumpimus. Christianos ad pœnam per nos requiri jubes; jam tibi ex hoc alii requirendi non sunt: habes hìc nos confitentes Deum Patrem auctorem omnium & Filium ejus Jesum Christum & Spiritum Sanctum Deum credentes. Vidimus laborum periculorumque nostrorum socios, nobis quoque eorum sanguine aspersis, trucidari ferro: & tamen sanctissimorum Commilitonum mortes & fratrum funera non flevimus, non doluimus, sed potiùs laudavimus & gaudio prosecuti sumus, quia digni habiti essent pati pro Domino Deo nostro. Et nunc non nos vel hæc ultima vitæ necessitas in rebellionem coegit; non nos adversùm te, Imperator, armavit ipsa saltem, quæ fortissima est in periculis, desperatio. Tenemus ecce arma & non resistimus: quia mori quàm occidere satis malumus & innocentes interire, quàm noxii vivere peroptamus. Si quid in nos ultra statueris si quid adhuc jusseris si quid admoveris, ignes tormenta ferrum subire parati sumus. Christianos nos fatemur, persequi Christianos non possumus.

V. Hæc adeò pia discreta & justa expositio, quæ cujusque rationis compotis animum, si non vincere, movere saltem debuisset, ad Maximianum perlata, in furias eum adegit. Quare desperans gloriosam eorum constantiam posse revocari, unâ sententiâ interfici omnes decrevit: at rem confici circumfusis Militum agminibus jubet. Qui cùm missi ad beatissimam Legionem venissent, stringunt in Sanctos impii ferrum, mori non recusantes vitæ amore. Cædebantur itaque passim gladiis, non reclamantes saltem aut repugnantes, sed depositis armis cervices Persecutoribus præbentes, & jugulum Persecutoribus, vel intectum corpus offerentes. Non vel ipsâ suorum multitudine, non armorum munitione elati sunt, ut ferro conarentur asserere justitiæ causam: sed hoc solùm reminiscentes, se illum confiteri, qui nec reclamando ad occisionem ductus est, & tamquam agnus non aperuit os suum; ipsi quoque tamquam grex Dominicarum ovium, laniari se tanquam ab irruentibus lupis passi sunt. Operta est terra illic procumbentibus in mortem corporibus piorum, sed apertum est Cœlum ad victrices animas excipiendas. Quæ unquam rabies absque bello tantam humanorum corporum stragem dedit? sed quod unquam illustrius pro Christo testimonium Fides obtulit? Quodnam fortius pro Christianæ veritate Religionis argumentum?

VI. Hoc permotus quidam nomine Victor, qui nec Legionis ejusdem fuit, neque miles, sed emeritæ jam militiæ veteranus,

cùm illuc adveniens, videret ex una parte Martyrum ſtragem, & ex alia occiſores lætos epulantes ſuper eorum ſpoliis, atque ab his ad conveſcendum invitatus, auditâ ab exultantibus per ordinem causâ, illicò deteſtatus convivas & convivium recuſabat. Interrogatus autem ab eis, num & ipſe forſitan Chriſtianus eſſet, Chriſtianum ſe eſſe & ſemper futurum eſſe reſpondit. Quare ſtatim ab irruentibus interfectus, cæteris Martyribus in eodem loco, ſicut morte, ita etiam honore (veluti eorum triumphi appendix) conjunctus eſt.

VII. Præfatorum Thebææ Legionis ſicut certus eſt triumphus, ita ſingulorum ignota nobis ſunt nomina, ſed in libro vitæ deſcripta. Solos ſcimus Mauritium, Exuperium, Candidum, atque Victorem, quibus Martyrol. Rom. addit 22. Septembris Innocentium & Vitalem. Et S. Eucherius ex eadem Legione fuiſſe putat Urſum & Victorem, quos Salodori paſſos fama confirmat. Solodorum verò (hodie unius Helvetiorum pagi Catholici caput vulgo *le Canton de Soleurre* ſeu *Solothurn*) Caſtrum eſt ſupra Arulam flumen, neque longè à Rheno poſitum. Cùm enim ex illa Legione aliqui in alias partes fortè miſſi eſſent, Maximiani furor omnes delere volens, creditur, ad unum omnes ubicumque eſſent, juſſiſſe interfici. Ideòque ex Thebæa Legione fuiſſe creduntur, S. Thyrſus Dux cum aliis, quos Rictius Varus Treviri interfecit cum S. Bonifacio. Item alii Coloniæ paſſi, de quibus Martyrol. Rom. 10. Octobris ait: Coloniæ Agrippinæ S. Gereonis Martyris cum aliis trecentis decem & octo, qui in Perſecutione Maximiani pro vera pietate gladiis patienter colla ſubdiderunt. In territorio ejuſdem Urbis Sanctorum Victoris & Sociorum Martyrum. Veronæ in Gallia Sanctorum Martyrum Caſſii & Florentii: qui tamen, ſi non omnes de Thebæa Legione erant, certum eſt, quòd à Maximiano, dum iter haberet per Gallias, pro Chriſto necati fuerunt.

VIII. At quæ Maximiano pœna, & quæ Sanctis Martyribus gloria conſecuta ſit Eucherius ſubjicit. *Cùm*, inquit Maximianus, *diſpoſitis inſidiis genero ſuo Conſtantino tunc Regnum tenenti mortem moliretur, deprehenſo dolo ejus, apud Maſſiliam captus, nec multò poſt ſtrangulatus, teterrimoque hoc ſupplicio affectus impiam vitam dignâ morte finivit.* Confirmant Euſebius L.8. hiſt. cap.13. & L.1. de Vita Conſtantini cap. 47., Oroſius L.7. cap. 28., Lactantius L. de Mort. Perſec. num. 29. & 30.: quod anno 311, contigiſſe probat Pagi ad ann. 307. & 310.

At verò Beatiſſimorum Agaunenſium Martyrum corpora poſt multos paſſionis annos Sancto Theodoro ejuſdem loci Epiſcopo revela-

ta

ta traduntur; in quorum honorem cùm extrueretur Basilica, quæ vastæ adjuncta rupi, non tantùm latere acclinis jacet, quid miraculi tunc apparuerit, nequaquam tacendum putavi. Accidit, ut inter reliquos artifices, qui invitati convenisse ad illud opus videbantur, quidam adesset faber, quem adhuc Gentilem esse constaret. Hic cùm Dominico die, quo cæteri ad expectanda diei illius Festa abscesserant, in fabrica solus substitisset, in illo secreto se subitò clarâ luce manifestantibus Sanctis hic idem faber rapitur, atque ad pœnam vel ad supplicium distenditur: & visibiliter turbam Martyrum cernens, verberatus etiam & increpatus, quòd vel die Dominico Ecclesiæ solus deesset, vel illud fabricæ opus sanctum suscipere Gentilis auderet. Quod adeò misericorditer à Sanctis factum constitit, ut faber ille consternatus & deterritus, salutare sibi nomen poposcerit, statimque Christianus effectus sit. Ita Eucherius, qui prosequitur.

Neque illud in Sanctorum miraculis prætermittam, quod perinde clarum atque omnibus notum est. Mater familias Quincii egregii atque honorati viri, cùm ita paralysi fuisset obstricta, ut ei etiam pedum usus negaretur, à Viro suo, ut Acaunum per multum itineris spatium deferretur, poposcit, quò cùm pervenisset Sanctorum Martyrum Basilicæ famulantium manibus inlata, pedibus ad diversorium rediit; ac sanitati de præmortuis restituta membris, nunc miraculum suum ipsa circumfert. Hæc duo tantùm mira passioni Sanctorum inserenda credidi. Cæterum satis multa sunt, quæ vel in purgatione Dæmonum, vel in reliquis curationibus illic per Sanctos suos Domini virtus operatur. Hactenùs Eucherius. Quibus alia addit Gregorius Turonensis L. de Glor. Mart. cap. 76., Surius tom. 5. & alii.

IX. Cùm præfati Martyres passi sint Acauni seu Agauni, non abs re erit ab eodem Eucherio audire, ubi locus iste situs sit. *Acaunus ergo sexaginta ferè millibus à Genevensi Urbe abest, quatuordecim verò millibus à capite Lemanni lacus, quem influit Rhodanus. Locus ipse inter alpina juga in valle situs est: ad quem pergentibus difficili transitu asperum atque arctum iter panditur. Infestus namque Rhodanus saxosi montis radicibus vix pervium viantibus aggerem relinquit. Evictis transmissisque angustiarum faucibus, subitò nec exiguus inter montium rupes campus aperitur. In hoc Legio sancta consederat.* Agauni locus sub Diœcesi Sedunensi continetur: unde Martyrol. Rom. 22. Septembris dicit Sanctos Martyres fuisse passos *Seduni in Gallia in loco Agauno*.

X. Pro complemento notandum, Græcos etiam 21. Februarii suum celebrare Mauritium cum sociis Apameæ in Syria passum sub Diocletiano & Maximiano, de quo Metaphrastes. Sed hunc

hunc Mauritium & socios diversos esse à nostris certo certius est. Nam illi Apamææ in Syria, nostri Agauni in Gallia passi sunt. Mauritius ille cum septuaginta Militibus Martyrium subiit: noster cum integra Legione. Ille præmisso ad Martyrii palmam filio suo Photino, postquam decem diebus ac noctibus intolerabilia tormenta cum sociis pertulisset, simul cum iisdem inter preces finem vivendi fecit: noster & socii gladio percussi vitam pro Christo dederunt. Quare Baronius, qui antea unum ac eundem esse Mauritium, de quo nos & Græci, existimaverat, in Notis ad 22. Septembris fatetur opinionem præteritam se retractasse.

§. IV.

SS. Donatianus & Rogatianus & Quinctinus Martyres.

I. DUm per Gallias iter ageret Maximianus, ubicumque Christianum sanguinem, dum eos deprehenderet, suæ feritati litabat. Celebres fuere Donatianus & Rogatianus germani fratres, qui Namnetis (vulgò Nantes) in Armoricorum Provincia, hodie Britannia Minori, illustre Martyrium consummarunt. Istorum passionèm refert Baronius ad ann. 303., quo Diocletianus & Maximianus generalem publicis Edictis Persecutionem indixerunt: alii tamen ad hæc anteriora tempora præmittunt, quibus etsi non generaliter perquirerentur, deprehensi tamen & ad Præsides delati Christiani ultimo supplicio, si Christum constanter tenerent, afficiebantur.

II. Donatianus ergo & Rogatianus genere nobiles erant & fratres, Donatianus quidèm natu minor, sed renatus in Baptismo prior, & regenerationis Rogatiani auctor. Ipse enim suscepto jam Baptismate, fratri ut idem faceret institit, qui Donatiani suasionibus & magis gratiâ Dei victus, anxiè petere cœpit, ut antequam Persecutionis colluctatio ferveret, Baptismo & ipse muniretur, ne tam felix certamen eum adhuc Paganum inveniret. Sed absentia Episcopi, qui fugâ declinaverat, ne Baptismo ablueretur, impedivit; sed quod de fonte defuit, cruor in Martyrio fusus impendit.

Interea cum Persecutor in Namnetensem Civitatem intrasset, ab uno ex Gentilium turba ei delatum fuit, Donatianum quemdam Diis contemtis nedum Christianum se profiteri, sed & fratrem suum à Diis ad suum Christum abstraxisse. Tunc Præses sine mora Donatianum ad se trahi jussit: qui coram eo liberè Christum confessus, in carcerem vinctus compedibus detrusus fuit.

fuit. Vocatum deinde Rogatianum fratrem blandè monere cœpit, ne confessione unius Dei, plurimorum Deorum iram in sui perniciem incurreret, eique nondum Baptismate infecto faciliorem Deorum indulgentiam, si ad se rediret, & Imperatorum gratiam spopondit. Sed cùm invenisset eum vanam Deorum potentiam deridentem, & Dei sui, quàm Imperatorum gratiam pluris facientem, iratus Præses imperavit Ministris, ut & istum detruderent in carcerem, sequenti die illatam Diis ac Principibus ab utroque injuriam vindicaturus.

III. Reclusus in Carcere Rogatianus, sinè Baptismatis gratia se præventum esse contristabatur. Sed Donatianus frater aderat consolans eum, ac pro lavacro fidem ejus accipiendam fore promittens; unde ambo in preces effusi rogabant Jesum, ut apud ipsum promta Rogatiani vota idem obtinerent quod facta; et si sequenti die contingeret gladio interire, sanguinis effusio fieret Rogatiano Baptismi Sacramentum. In hac oratione totâ nocte transactâ crastinus dies illuxit: quo à Præside pro Tribunali sedente vocati, Populi spectante multitudine, & iterùm interrogati, cùm constantes ac omnia contemnentes tormenta reperti fuissent, Præses jussit eos in equulei catasta suspendi, ut pœnam corpus sentiret, & ut si post expensa adhuc persisterent capite truncarentur: quod impletum est; nam Lictor, ut Judicis crudelitati magis sacrificaret, lanceâ militari priùs perfossos gladio vibrante utrique cervices præcidit. Horum gloriosam memoriam celebrant Martyrologia 24. Maii, & Romanum præcipuè sic: *Nannete in Britannia Minori Beatorum Martyrum Donatiani & Rogatiani fratrum, qui sub Diocletiano Imperatore pro constantia Fidei in carcerem missi & in equuleo suspensi ac laniati, deinde lanceâ militari confossi, novissimè capita eorum præcisa sunt.*

IV. Inter Martyres sub Maximiano in Galliis morante cæsus memoratur S. Quintinus. Ejus Acta ferunt, quòd Senatoris filius fuerit, & cum S. Luciano Bellovacensi in Gallias venerit; cum quo Ambianum usque Picardiæ Urbem progressus, ibi substitit Verbi Dei prædicandi causâ. Prædicationem miraculis confirmavit, seque ad Martyrium jejuniis ac precibus præparabat: quod tandem sorte ei contigit Diocletiano & Maximiano imperantibus sub Rictio Varo Præside, cujus nomen Christianorum sanguine fuso celebre evasit, ut putatur, anno 287.

V. Rictius ergo Varus antea de S. Quintini fama audierat, & priusquam Ambianum perveniret, ejus mortem statuerat. Illuc ergo appulsus, vidensque in Fide progressus, quos viri sancti operâ Deus operabatur, statim eum comprehendi & cate-

nis oneratum in carcerem trudi jussit. Die sequenti eum coram se statuit; sed videns se nec sermone nec promissis nec minis eum flectere posse, crudeliter cædi ac deinde in profundum obscurumque carcerem dejici jussit, mandans; ne quiquam Chistianorum ad eum confortandum accedere permitteretur. Verùm (ut Acta ferunt) sequenti nocte apparuit ei Angelus, qui eum è carcere educens, ad prædicandum Populo mittit: adeòque efficax fuit animata ejus passionibus prædicatio, ut ferè sexcentos Paganos ad Fidem converterit: imò ipsimet custodes, audito quod evenerat, Fidem amplexi publicè coram Rictio Varo eam professi sunt; qui tamen officio eos privasse contentus, totum suum furorem in S. Quintinum convertit.

VI. Hunc itaque coram se adductum postquam falsâ suavitate verborum inutiliter tentavit, extendi usque ad membrorum distractionem jussit, ac ferreis resticulis flagellari; dein supra dorsum ejus oleo pice adipe ardentibus effusis, lampades etiam accensas ei applicari: sed potentior erat Spiritus Sancti flamma, quæ intùs ardebat, quàm ignis qui foris urebat. Cùm autem exsaturandæ iræ Tyranni hæc satis non essent, ei os calce & aceto repleri & obturari præcepit, ut cui non poterat eripere Fidem, eriperet verbum.

Tandem minatur, se illum Romam ad Imperatores transmissurum: cui Sanctus Martyr respondit, se nihil Romam ire formidare; nam æquè atque hìc, ibi est Deus suus; sperare tamen, se cursum suum in ea Provincia in qua manebat consummaturum. Et ita reverà contigit; cùm enim Præses quibusdam Militibus mandasset, ut S. Martyrem catenis oneratum præcedere facerent, donec ipse adventaret, pervenerunt ad quandam Urbem (seu ut volunt aliqui Pagum) dictam *Augustam Veromanduorum*: quò appulsi à Rictio Varo mandatum acceperunt, ut ibi eum expectarent. Qui cum sequenti die pervenisset, novis artibus ac atrociorum suppliciorum minis constantiam Sancti Viri expugnare conatus est, frustra tamen. Unde & virgis ferreis collum ejus cædi & acutos clavos figi inter ungues & carnem, ac in aliis corporis partibus, ac in ipso etiam cerebro imperavit. (In hoc enim statu repertum ejus corpus fuit, quando è terra primò fuit effossum) sed cùm nec in tantis tormentis, quod valdè mirum est, interiisset, caput ei amputari præcepit. Quod 31. Octobris impletum fuit.

VII. Porrò S. Martyris corpus, ne à Christianis debito honore sepulturæ traderetur, jubente Præside, ingenti mole plumbi ligatum in Somonam fluvium, ne amplius appareret, noctu

pro-

projectum fuit. Ibi quinquaginta quinque annis ignotum prorsùs mansit, donec imperantibus Constantio & Constantino ac Constante fratribus, quædam nobilis Matrona Romana Eusebia nomine sed cæca, admonita ab Angelo quòd illo invento & Populis ostenso visum recuperaret, ad illud perquirendum in loco sibi ab Angelo designato venit: ad quem cùm pervenisset & preces fudisset, ecce locus ille agitari cœpit, & illicò visum fuit S. Martyris Corpus è fundo ad summum aquarum ascendere & natando ad ripam usque pervenire, in qua stabant qui illud exciperent. Eodem autem tempore visum fuit ejusdem Martyris caput ascendere & super aquas natare, donec suo trunco unitum mansit. Pro certo etiam asseritur, sacrum illud Corpus absque ullo corruptionis signo repertum fuisse, extraordinariè candidum, & suavem spirans odorem. Quid ad hæc & similia? Fabulas non compono, sed Acta eaque sincera ac probata & ab Antiquis accepta refero. Admirare ergo quisquis sis Dei nostri potentiam, qui sicut Servis vires dat ad quæcumque supra naturam superandum, ita post mortem eos inglorios non relinquit, sed miraculis ac portentis eorum etiam victricia corpora illustrat.

VIII. Sed hic portenta non desinunt. Sacrum Corpus Veromanduam asportare, ibique illud honorificè recondere Eusebia cogitabat: sed cùm proximum montem jam ascendissent, illud adeò gravitare cœpit, ut oneri ultra ferendo se impares agnoscentes, statim intellexerint, Beatum Martyrem eo in loco requiescere velle. Ibi ergo Eusebia illud sepelivit, ac supra ejus tumulum Oratorium erexit. Quo pietatis opere completo, statim illa visum recepit, & quotquot aderant aliquâ ægritudine gravati perfectæ sanitati restituti sunt. Porrò Eusebia Romam reversa secum attulit ferreas virgas, quæ Martyrio inservierant. Clavi tamen fixi remanserunt in membris, prout Carnifices illos immiserant. Quare in revelatione ejusdem Corporis S. Elygio Episcopo facta anno 641. clavi membris ejus adhuc infixi reperti sunt. De præfatis videri potest inter alios Gregorius Turon. de Glor. Mart. cap.73.. Hunc Beatum Martyrem die 31. Octobris omnia Martyrologia celebrant: Romanum verò his verbis: *In Gallia apud Augustam Veromanduorum Sancti Quintini Civis Romani Ordinis Senatorii, qui sub Maximiano Imperatore Martyrium passus est: cujus corpus post annos quinquaginta quinque revelante Angelo inventum est incorruptum.*

***

§. V.

SS. Victoricus Fuscianus Gentianus &c. Ruffinus &c. Crispinus & Crispinianus, Macra Virgo, Justus, Piaton, Jonas.

I. MAximiano Gallias percurrente Ambiani passi sunt Fuscianus Victoricus & Gentianus: ita enim eorum Acta incipiunt: *Eodem tempore quo Maximianus truculentissimus Augustus per arva Galliæ præsidebat* &c. Fuscianus ergo & Victoricus, dum Rictius Varus anno 286. à Maximiano Præfectus declaratus sævam Persecutionem in Christianos exerceret, ad invisendum Sanctum Quinctinum Ambianum venerunt; sed cùm non repperissent, iter versùs Parisios suscepere. Vix Ambiano egressi, à quodam sene cui nomen Gentianus adhuc Pagano, qui tamen Christianus fieri exoptabat, detenti didicerunt S. Quinctinum sex aut septem septimanas ante 31. Octobris Martyrio coronatum fuisse, eosque etiam detinendi mandatum habere: nihilominùs ut apud se hospitarentur eos adegit. At Rictius Varus eodem fere tempore superveniens præcipit, ut Fuscianus & Victoricus comprehendantur. At Gentianus tunc zelo abreptus evaginat gladium, ac si præsidem interficere vellet: qui causam tantæ temeritatis exquirit; cui ille se Christianum esse respondet, nec aliud optare nisi pro Jesu Christo & Servis suis mori. Votis ejus illicò satisfit; nam jubente Præside caput ei amputatur.

II. Varus tunc Fuscianum & Victoricum juridicè interrogavit; cùmque suam Fidem liberè confiterentur, eos catenis vinctos Ambianum ad carcerem trahi imperavit; ubi post horribilia tormenta (de quibus statim) capitis abscissione eos damnavit: quod 11. Decembris impletum fuisse ferunt Martyrologia, & inter ea Romanum eâdem die his verbis: *Ambiani Sanctorum Martyrum Victorici & Fusciani sub eodem Imperatore* (Maximiano) *in quorum naribus & auribus jussit Rictius Varus Præses immitti tarinchas* (idest tenuia ferri tela) *& clavis ardentibus tempora transfigi, deinde oculos evelli, & postmodùm eorum corpora jaculari, sicque unà cum Sancto Gratiano* (alias Gentiano) *eorum hospite capitibus amputatis migraverint ad Dominum*. Nemo certè in excogitandis pro Servorum Dei torquendâ patientiâ tormentis Rictio Varo subtilior ac truculentior. Quis non horreat? at illi mirabili alacritate pro Christo omnia hæc contemnebant.

III. Ho-

III. Horum Sanctorum Acta ferunt, Rictium Varum priusquam Picardiæ præesset, ingentem Christianorum multitudinem Christo Treviris immolasse; adeo ut Mosa fluvius, in quem cæsorum corpora projiciebantur, sanguine rubicundus flueret. Hujus tamen cruentæ carnificinæ aliud monumentum non habemus, nisi Ecclesiæ Trevirensis tabulas, & Sigebertum in Chronico; ubi ait, anno 1071. Treviris in Ecclesia S. Paulini repertum fuisse ingentem Martyrum numerum, ex quibus tresdecim solùm litteris aureis suis nominibus exprimebantur, nimirùm Palmatius Consul & Trevirensis Patricius, Thyrsus unus ex Legionis Thebææ Ducibus, Maxentius, Constantius, Crescentius & Justinus ejusdem Urbis Senatores, tres fratres ejusdem dignitatis Leander Alexander & Soter, & alii quatuor, Hormisdas, Papirus, Constans, & Jovianus. Hoc idem in Ecclesia S. Paulini Treviris exhibet quædam inscriptio adhuc extans: quâ habetur, quòd Rictius Varus 4. Octobris Trevirim ingressus à Maximiano in mandatis habens exterminandi Legionem Thebæam, cujus aliqui à Trevirensibus Civibus benignè suscepti fuerant, propter hoc etiam Civium ingentem numerum trucidavit: quod non multò post S. Mauritii Martyrium anno 286. contigisse putandum est.

IV. Martyrologia tantæ stragis mentionem faciunt, sed tamquam diversis diebus peractæ; Palmatii enim 5. Octobris in Rom. Martyrol. memoria cum aliquibus Sociis hisce verbis colitur: *Treviris Sanctorum Martyrum Palmatii & Sociorum, qui in Persecutione Diocletiani sub Rictio Varo Præside Martyrium subierunt*. Die 6. Octobris *Treviris commemoratio innumerabilium penè Martyrum, qui in Persecutione Diocletiani sub Rictio Varo Præside vario mortis genere necati sunt*. De SS. verò Maxentio Constantio Crescentio & Justino solùm 12. Decembris hæc habentur: *Treviris Sanctorum Martyrum Maxentii Constantii Justini & Sociorum, qui in Persecutione Diocletiani sub Rictio Varo Præside passi sunt*. Ex his colligitur, non unâ sed diversis diebus & mensibus Rictium Varum lanienam hanc consummasse.

V. Sub eodem Rictio Varo immani Christianorum Tyranno Svessione passi sunt Ruffinus & Valerius. Hos volunt aliqui cum asserto S. Dionysio Parisiensi Româ ad prædicandum Evangelium in Gallias venisse; veriùs tamen creditur, fuisse simplices Laicos in Galliis morantes in aliquo civili ministerio occupatos, viros tamen fide & pietate singulares. Rictius Varus Christianorum sanguine, quem Rhemis fuderat, adhuc madens dum

dum illàc transiret, auditâ eorum pietatis famâ, jussit eos inquiri: qui in quodam antro inventi & ad eum adducti, Christi Fidem intrepidè confitentes, onerati catenis in carcerem detrusi sunt. Sequenti die eos in equuleo suspendi ac plumbatis diu cædi jussit: postea autem iter Svessionas dirigens, eos secum per tres leucas traxit, & tandem in via decollari jussit 14. Junii, ut in Martyrol. his verbis: *Apud Svessiones Sanctorum Martyrum Valerii & Ruffini, qui in Persecutione Diocletiani à Præside Rictio Varo post multa tormenta jussi sunt decollari*. Aliqui tamen, ut Ado & Martyrol. S. Hieronymi volunt, eos in ipsa Urbe Svessionensi fuisse capite cæsos. Fertur etiam, quòd cùm post eorum Martyrium eorum corpora ad Urbem Rhemensem solemniter deferrentur & pervenissent ad locum, in quo dum viverent morabantur, corpora adeò gravitare cœperunt, ut qui ea portabant putantes SS. Martyres ibi suas exuvias quiescere velle, ubi Deo viventes servierant, eas ibi reliquerint. Sed præter alia, hæc solemnis translatio Persecutionis tempore verisimilis non est.

VI. Circa hæc tempora sub eodem Rictio Varo passi sunt Svessione SS. Crispinus & Crispinianus. Hos etiam unà cum aliis Socios S. Dionysio Parisiensi quidam Recentiores affingunt, & Româ cum eo ad prædicandum in Galliis missos. Sed eos Româ venisse, erant enim nobiles Romani, & in Galliis Evangelii prædicandi munus suscepisse non inficior; at eos socios S. Dionysii, quem supponunt, meliori judicio statuendum relinquo. Erant ergo & naturâ & gratiâ Crispinus & Crispinianus fratres, & ad Gallias appulsi Svessione fixerunt sedem, ubi vias omnes pertentabant, quibus Populum illum ad Christum traherent: & hâc occasione etsi genere nobiles sutoriæ arti quam didicerant operam dare non erubuerunt exemplo Pauli, qui artem scenofactoriam prædicationis officio conjungebat. Cùmque ea in arte eximii evasissent, nec ab ullo mercedem præsertim pauperibus requirerent, innumeri ad eos confluebant, quos illi occasionem nacti de mysteriis Christianæ Fidei erudiebant, & sic Christo multos lucrabantur.

Maximianus ergo illuc adveniens eos comprehendi jussit, cùmque eorum constantiam frangere inaniter tentasset, Rictio Varo eos tradidit. Hic suam sævitiem de more exercens, ad trochleas jussit extendi, fustibus crudeliter cædi, inter digitorum ungues & carnem sudes præacutas defigi, ex dorsi cute singulas corrigias exscindi, appensis ad collum ingentibus molis in flumen sub gelu demergi, deinde in liquefactum ac fervens

plum-

plumbum immitti: cùmque hæc Divinâ virtute superassent, gladio caput amputari præcepit, & sic victores ad Cœlos evolarunt anno 287. vel 288.

Eorum festus dies die 25. Octobris in Martyrol. celebratur: ubi additur, eorum corpora fuisse Romam translata, atque in Ecclesia S. Laurentii in Pane & Perna honorificè tumulata. Sed cùm ex Gregorio Turonensi L. 5. hist. cap. 34. Svessione primò sepulta dicantur, & in eorum honorem Ecclesia erecta; non pauci sunt, qui de hac delatione Romam certiora desiderent monumenta. Fertur post Martyrium eos Papæ apparuisse, monentes eum, ut in vineam quam propriis laboribus coluerant, & sanguine suo irrigaverant, novos operarios mitteret: quod ille præstitit mittens in Gallias SS. Sixtum & Sinicium primos Rhemenses Antistites.

VII. Rhemis sub eodem Rictio Varo passa quoque fuit Sancta Macra Virgo. Quædam de ea feruntur Acta, pulchra quidem sed in aliquibus suspecta. Dicam quod de ea Martyrol. Rom. affert 6. Januarii, nimirùm: *In territorio Rhemensi passio Sanctæ Macræ Virginis, quæ in Persecutione Diocletiani jubente Rictio Varo Præside, cùm in ignem esset præcipitata & permansisset illæsa, dehinc mammillis abscissis & squallore carceris afflicta, super testas etiam acutissimas ac prunas volutata, orans migravit ad Dominum*, ut putatur, anno 287.

In territorio etiam Beluacensi 18. Octobris refertur passio *S. Justi* (seu Justini) *Martyris, qui adhuc puer in Persecutione Diocletiani sub Rictio Varo Præside cæsus est*. Hunc alii volunt propè Parisios passum in loco dicto *Loure*: cùm enim Ambianum pergeret cum patre & fratre, nec detegere Persecutoribus voluisset quinam ejus comites essent, capite cæsus fuit.

His adjungendus est S. Piato seu Piaton Presbyter, Tornaci passus, quem ferunt cum S. Quinctino & aliis Româ in Gallias missum, & demum amputato capite migrasse ad Dominum. De hoc Martyrol. Rom. 2. Octobris ait: *Tornaci Sancti Piatonis Presbyteri & Martyris, qui cum Beato Quinctino ejusque Sociis ab Urbe Roma in Galliam prædicationis causâ perrexit, ac postea in Persecutione Maximiani consummato Martyrio migravit ad Dominum*.

Inter S. Dionysii Socios Martyrol. refert 22. Septembris etiam S. Jonam seu Yonem Presbyterum & Martyrem in Pago Castrensi Parisiensis Diœcesis sub Juliano Præfecto: qui cum in ætate admodùm provecta Martyrium consummarit, creditur post alios Socios coronatum fuisse. Ferunt (sed sinè funda-

men-

mento) eum caput suum jam abscissum propriis manibus gestasse.

§. VI.

SS. Fides Virgo, Caprasius, Vincentius & Victor &c. Martyres.

I. Pluribus aliis, quos in Galliis hisce temporibus passos Martyrologia referunt, prætermissis, aliquos subjiciam. S. Fidei Virginis celebre in Gallia nomen est. Agenni in Gallia Aquitaniæ Provinciæ honesto genere nata, ab infantia in Christiana pietate educata fuit & illibatam virginitatem servavit. Adhuc juvenis vitam Jesu Christo consecrasse per Martyrium dicitur, Daciano Præside (antequam in Hispanias mitteretur) eo tempore quo Maximianus in Galliis versaretur, ab anno scilicet 286. ad 292.. Audito Daciani hominis famâ valde trucis Agennum adventu, Christiani sese occultarunt: sed cùm ille jussisset Sanctam Virginem Fidem præ cæteris comprehendi, illa spontè se præsentavit, orans Deum, ut sibi, quid Præsidi respondendum esset, inspiraret. Dacianus autem eam sive promissis sive minis inflexibilem inveniens, in ferrea crate extendi ac subtùs violentum ignem accendi imperavit: quæ cùm illa invictâ constantiâ superaret, plures qui aderant Divinâ gratiâ permoti, Christianos se velle esse protestati, Martyrium quoque pertulerunt.

II. Inter Christianos, qui se abdiderant unus erat nomine Caprasius Agennensis origine ac suâ pietate omnibus amabilis. Is in quadam vicini ac imminentis montis caverna, unde videre poterat quidquid in Urbe ageretur, ac etiam Martyrium quod Sancta Fides patiebatur, sese absconderat. Itaque ad terram prostratus precibus Deum exorabat, ut Sanctæ Virgini in certamine assisteret. Cùm repentè animatum se sentit ad ejus imitandum exemplum. Ut tamen de Dei voluntate certior fieret, apprehensâ manu petrâ ex qua caverna illa constabat, rogavit Deum, ut si eum Martyrio dignum judicaret, ex illa petra aquam manare faceret. Cùmque vix oratione completâ aqua effluere inciperet fontem efformans perennem, & sanandis morbis hisce etiam temporibus salutarem, ille statim abscessit & Urbem ingressus se Christianum esse publicè declaravit.

Quapropter Dacianus eum comprehendi jussit, ac promissis eum allicere nec non minis terrere incassùm conatus, variis ac diris

diris cruciatibus eum subjecit. Ejus constantiam admirati Primus & Felicianus fratres, pluresque alii adstantes, altâ voce se Christianos esse conclamaverunt. Judex ergo confusus & victus omnes simul cum S. Caprasio & S. Fide capite detruncari mandavit: quod illicò impletum fuit. Christiani autem eorum corpora, ut tempus permittebat, noctu sepelierunt. Horum Martyrium diversis tamen temporibus Martyrol. Rom. celebrat: Sanctæ Fidei quidèm 6. Octobris his verbis: *Agenni in Gallia natalis Sanctæ Fidei Virginis & Martyris, cujus exemplo Beatus Caprasius ad Martyrium animatus agonem suum feliciter consummavit.* S. Caprasii verò 20. Octobris sic: *Agenni in Gallia Sancti Caprasii Martyris, qui cùm rabiem Persecutionis declinans lateret in spelunca, tandem audiens, qualiter Beata Fides Virgo pro Christo agonizaret, animatus ad tolerantiam passionum, oravit ad Dominum, ut si eum gloriâ Martyrii dignum judicaret ex lapide speluncæ limpidissima aqua manaret: quod cùm Dominus præstitisset, securus ad arenam certaminis properavit & palmam Martyrii sub Maximiano fortiter dimicando promeruit.* Cur autem cùm certum sit, utrumque eâdem die cum sociis fuisse passum, diversis tamen diebus Festum notetur, ignoratur; nec meum est hìc quærere.

III. Agenni quoque sub Maximiano passus fuisse creditur S. Vincentius Martyr & Levita, de quo in Martyrol. 9. Junii (diversus tamen à celebri S. Vincentio Levita, qui 22. Januarii Valentiæ in Hispania Martyrio coronatus fuit). Hunc quidam volunt ordinatum fuisse Diaconum à S. Caprasio, quem sine ullo fundamento Agennensem Episcopum fuisse putant. Aliqui etiam & hunc S. Vincentium opinantur Hispanum fuisse, & ex Hispania Tarraconensi in Gallias venisse. Quidquid autem sit; eum Agenni in Gallia extitisse, ibique Martyrium subiisse, atque hac de causa contigisse narratur.

Consueverant illius Urbis & Territorii Incolæ quotannis statutâ die solemne Festum Dæmoni celebrare, ad quod ex omni parte Populi confluebant. Dæmon ut miseros illos magis obcæcaret, eâ die è suo Fano in monte posito igneum torrentem effluere faciebat, qui per totum montem usque ad ima percurrens, ad cacumen unde effluxerat iterùm ascendens, ibi in Templo sistebat. Vincentius ergo videns tantæ multitudinis cœtum, causam quæsivit; quâ cognitâ, & subinde viso igneo effluvio egrediente de Templo, manum elevavit, & signo Crucis facto tota illa Dæmonis illusio evanuit. Præses qui aderat, & totum quod acciderat propriis oculis fuerat intuitus, pari stupore ac indignatione commotus Vincentium detineri & ad se trahi jussum, de

nomine patria & familia interrogat. Vincentius autem nomen quidèm & qualitatem Servi Jesu Christi, sed nihil aliud prodit. Hoc silentium velut sui contemtum interpretatus Judex, Sancti Martyris pedes super clavos in terra fixos extendi, & sic fustibus diù cædi imperat. Timens autem, ne Templum quoque dirueret, sententiam capitis in eum protulit: qui dum iret ad supplicium, precibus & signo Crucis se muniens, & sui cordis gaudium vultu hilari exprimens, omnes in admirationem traxit.

IV. Sancti Martyris corpus pietate Fidelium in profundissima fovea tumulatum plus quinquaginta supra centum annis mansit occultum, hominibus quidèm at non Dæmonibus; cujus virtute permissi ampliùs non fuerunt talibus illusionibus homines decipere, aut ab illis ullum cultum exigere. Elapso tempore S. Martyr cuidam Christiano apparuit, suumque nomen edicens, locum in quo suum corpus jacebat indicavit, eique præcepit, ut indè extractum in alium locum dictum Pompejacum non procul distantem illud transferret. Corpus ejus adhuc integrum & absque ullo corruptionis signo repertum Pompejaci in S. Basilica eidem erecta reconditum fuit. Dixi hunc Martyrem sub Maximiano coronatum fuisse: aliqui tamen censent ejus Martyrium præcessisse circa medium seculi tertii ante ann. 257. sed hoc discutere meum non est: sufficit enim meo argumento, ut veri Martyrii substantia quocumque tempore evenerit.

V. Sancti Victoris Massiliensis nobile pro Christo certamen ac triumphum aggredior, qui sub Maximiano, imò præsente certavit, unà cum Alexandro Feliciano & Longino anno circa 290. Victor genere nobilis, professione Miles, Religione Christianus erat, adeò fervens, ut per noctes singulas Fidelium domos circumiret, eos ad contemtum præsentis vitæ & ad amorem æternæ inflammando. Tandem captus ad Præfectos adductus fuit; quibus eum adhortantibus, ne famulatum & favorem Principis projiceret propter cultum unius hominis mortui (sic enim per contemtum Jesum Christum Infideles appellabant) tantâ libertate respondit, ut ad clamores & injurias quotquot ibi aderant fuerint concitati. At quia erat Vir conditione æstimabilis, ad Imperatorem Præfecti eum remiserunt. Sed cùm coram ipso pari constantiâ intrepidus loqueretur, irritatus Imperator Sanctum Martyrem funibus coarctatum per totam Urbem præcepit volutari; ut ex ignominiosa Viri pœna, & Deorum suorum vindicaret injurias, & Christianorum simul animos territaret. Ad hoc spectaculum insanientis Populi ruit multitudo; dumque per totam Civitatem manibus pedibusque ligatis Christi

Athle-

Athleta ſanguine ſuo cruentatus pertrahitur, impiis manibus vel maledico ſaltem ore cruciatus adaugent, ita ut quiſque pro reatu non minimo ſibi duceret, qui ad ejus injurias non aliquid adjeciſſet.

VI. Tali ludibrio Vulgi nefandiſſimi oculis ſatiatis, adhuc cruentus ad Præfectorum Tribunalia Sanctus Martyr verè Victor rapitur. Hi hoc ludibrio & ſimul pœnâ eum dejectum putantes, iteratò eum adhortari, & ut tandem reſipiſceret monere aggreſſi ſunt. At Sanctus Vir de primo jam impetu plenè victor, animo Spiritus Sancti gratiâ magis roborato, prolixâ oratione eos affatus, æquè ſuam fidelitatem erga Imperatorem, ac Deorum ſuorum contemtum atteſtatur, eorum infamiam elevans; & è contra veram Jeſu Chriſti excellentiam opponens, ut in ejuſdem Actis apud Ruinart videre licet. Cùm ergo peroraſſet Martyr, Præſides rationum pondere oppreſſi; „ Adhuc, inquiunt, „ Victor philoſophari non deſinis? Unum tibi elige, aut placa- „ re Deos, aut infeliciter deperire. Quibus Victor: ſi ſic, in- „ quit, proponitis, quod docui verbis, exemplo firmandum „ eſt. Deos ſperno, fateor Chriſtum. Quæcumque poteſtis date „ ſupplicia, cumulate ſupplicia.

VII. Exaſperati ergo reſponſis ſuis Præfecti, dum inter ſe de eo magis laniando diſſentiunt, & unus eorum nempè Euricius recedit; alter ſolus nomine Aſterius de eo torquendo ſortem obtinet, qui Sanctum Martyrem ſtatim jubet affigi: cùmque diù torqueretur, attollens in Cœlum lumina, tolerantiæ donum à Deo precabatur. Tunc miſericors Jeſus ei apparuit Crucem manibus tenens, eique dixit: „ Pax tibi, Victor, ego ſum Jeſus, „ qui in Sanctis meis patior. Confortare: tecum ſum in certamine „. His verbis tormentorum ſenſus & dolor ſtatim evanuit. Unde Victor alacri ac læto vultu viſitatori ac confortatori ſuo laudes canere cœpit. Lictores autem cùm jam laſſi deficerent, nihil autem ſe profeciſſe jubilante Martyre cernerent, depoſitum patibulo juſſu Præſidis ſub cuſtodia Militum in obſcuriſſimum omnium carcerem trudunt.

VIII. At ecce in medio noctis benigniſſimus Jeſus ad conſolandum Servum ſuum Angelos ſuos mittit. Continuò igitur ſolutis carceris clauſtris, depulsâ nocte totus carcer luce diurnâ clariore irradiatur, & Sanctus Martyr laudes Domino cum Angelis cantat. Tres Milites qui ad cuſtodiam carceris excubabant, tanto fulgore permoti ad Sancti Martyris pedes proſtrati veniam petunt & Baptiſmum efflagitant, quos pro tempore diligenter inſtructos adſcitis Sacerdotibus, ipsâ nocte ad mare duxit, ibique ba-

baptizatos propriis manibus de fonte levavit. Eorum nomina erant Alexander Longinus & Felicianus. Mane facto, & horum trium conversione evulgatâ, quanto furore accensus sit Maximianus, Lector perpendat. Missis apparitoribus tres præfatos Milites unà cum Victore ad publicum forum, quò innumera multitudo convenerat, trahi jubet. Ibi interrogati Milites Sancti, cùm in Fidei confessione constantes persisterent, mox gladio cæsi sunt.

IX. Porrò S. Victor videns hos sibi præmissos ad coronam, lacrymis Deum deprecabatur, ut ipse qui post Deum eorum confessionis auctor fuerat, eorum pariter gloriæ Martyrio socius esse mereretur. Statim igitur gloriosus Martyr conclamantibus Turbis undique tunditur, iterùmque suspensus fustibus nervisque taureis atrocissimè cruciatur: deinde revocatus ad carcerem triduò in oratione perseverans agonem suum lacrymis Deo commendabat. Tandem Maximianus, velut tortor insanior ad ultimum reservatus, eum ad se denuò adduci jubet, dumque interea S. Victorem promissis allicere & minis terrere adhuc tentat, ecce Jovis ara affertur & coram ipso componitur, Sacrilegus quoque Minister paratus assistit. Tunc Imperator ad Victorem conversus: Pone, inquit, thura, placa Jovem, & noster amicus esto. Porrò Victor quasi litaturus accedens, Divino æstu aram de ipsa manu Sacerdotis eripit, & ictu pedis eam solo prosternit, atque illicò jussu Imperatoris pes illi amputatur: & hæ fuerunt suæ corporis primitiæ quas Deo dedicavit.

X. Ad ultimum jam totum corpus & animam Deo redditurus, ad molam pistoriam ducitur. Ibat autem ita celer ac hilaris, ut nihil incommodi passus fuisse videretur. Lictores igitur gloriosum Martyrem toto mox corpore velut frumentum Dei electum conterendum pistoriæ molæ supponunt, cujus rotatu celeri Sancti Viri ossa conquassari incipiunt. Sed cùm paulò post dissipatâ divinitùs machinâ, spirans adhuc aliquantulùm videretur, gladio illi caput abscindunt: & statim vox cœlestis intonuit dicens: *Vicisti, Victor Beate, vicisti*. Quid ad hæc, mi Lector? Tantum robur, tantam spiritus alacritatem ad talia & tanta ferenda solis naturæ viribus tribues, an Deo de Veritate Religionis Christianæ testimonium perhibenti?

XI. Maximianus victum se à viventibus videns, mortuos vincere cogitavit. Sanctorum propterea Martyrum corpora terræ mandari vetuit, sed in profundo maris brachio, quo à meridiano latere Civitas cingitur, à piscibus devoranda submergi fecit. At hìc quoque victus fuit; nam Deus & honori Sanctorum

& po-

& posterorum patrociniis providens, ministrantibus Angelis natatu celerrimo Sancta Corpora in oppositum littus illæsa transmittit, ibique à Christianis in crypta nativo in saxo excisa decenter sepulta multis miraculis honorantur, & multa accurrentibus beneficia eorum meritis per Dominum Jesum conferuntur.

XII. SS. Victoris & Sociorum memoriam colunt Martyrologia 21. Julii; Romanum præcipuè his verbis: *Massiliæ natalis S. Victoris, qui cùm esset Miles & nec militare nec Idolis sacrificare vellet, primò in carcerem trusus, ibique ab Angelo visitatus, deinde variis cruciatibus punitus, novissimè contritus in mola pistoria Martyrium consummavit. Passi sunt cum eo & tres Milites Alexander Felicianus & Longinus.* Plures alios in Galliis Maximiani sævities Martyres fecit: cùm enim ibi diù moratus fuerit, & pluriès accesserit, plura quoque ibi suæ crudelitatis vestigia & Christianæ constantiæ exempla reliquit: quæ ne opus hoc in immensum crescat apud Martyrologia & Auctores relinquo percurrenda; alia enim & quidèm multa supersunt de aliis Orbis Provinciis enarranda.

§. VII.

S. Bonifacius Martyr.

I. SAncti Bonifacii passio, quam P. Ruinart anno 290. consignat, aliqui verò ad ann. 303. protrahunt, prætereunda non est. Ex ejus ergo Actis hæc habentur. Erat in Urbe Roma quædam Mulier potens nomine Aglaes filia Acacii genere clari quondam Proconsulis. Hæc ergo ludos publicos propriis expensis ter Romæ dederat, sub se habens septuaginta tres Procuratores, qui curas agebant in possessionibus suis, & unum, qui omnibus præerat nomine Bonifacium, cum quo ipsa carnali commercio commiscebatur. Erat hic ebriosus adulter & amicus omnium quæ odit Deus. Tria tamen habebat rectitudinis opera: hospitalitatem scilicet, largitatem & misericordiam: si enim aliquando videret peregrinum de itinere venientem, eum omni festinatione & alacritate adhortabatur, ut in hospitium suum introiret, & ministrabat ei. Noctibus autem circuibat plateas & vicos Civitatis tribuens pauperibus omnia quæ necessaria erant.

II. Post annos verò multos gratiâ Dei compungente Aglaen vocavit Bonifacium eique dixit: Bonifaci frater, tu scis in quantis peccatis convoluti sumus, non cogitantes, quoniam Deo præ-

præsentari debemus & rationem reddere omnium malorum, quæ in hoc Mundo gessimus, & nunc audivi quosdam Christianorum dicentium, quoniam si quis ministraverit Sanctis, qui propter nomen Domini Jesu Christi pugnant, consors eorum fiet in die illa terribilis Judicii Dei. Et quia audivi, quòd Servi Dei adversùs Diabolum multi in Oriente agonizantur tradentes corpora sua carnificibus, ne Christum negent; perge igitur ad illas partes, & affer nobis Reliquias idest Corpora Sanctorum Martyrum; ut & nos eis serviamus, & Oratorias domos eis ædificantes, per sanctas eorum passiones salvemur & nos.

III. Bonifacius ergo accepit aurum copiosum ad comparationem Corporum Sanctorum & ad sublevationem egenorum & duodecim equites & tres lecticas cum unguentis diversis ad honorem Sanctorum Martyrum. Cùm ergo egredi inciperet, dixit Dominæ suæ gratulanter: *Domina mea, si invenero ad comparandum Reliquias idest Corpora Sanctorum Martyrum, afferam mecum; si verò meum corpus venerit, in nomine Martyris suscipies illud.* (Hæc prophetans & fortè nesciens dixit), cui Domina: „ Abjice, inquit, abs te ebrietatem & stultiloquium, & sic te exhibe, ut dignè possis Corpora Sanctorum Martyrum portare. „ Ego autem peccatrix, licèt indigna sim, tamen expectabo te citiùs. Dominus autem & Deus omnium, qui propter nostram salutem formam servi accipiens, proprium Sanguinem effudit propter salutem generis humani, ipse mittat Angelum suum ante faciem tuam & dirigat gressus tuos in sua benignitate & impleat in bonis desiderium meum, delicta mea oblitus.

IV. In itinere ergo positus Bonifacius secum recogitans dicebat: „ Justum est verè, ut nec carnes contingam neque vinum percipiam, quoniam licèt indignus sim & peccator, tamen Sanctorum Corpora portare debeo. Et extendens oculos ad Cœlum ait: Domine Deus omnipotens, Unigeniti Filii tui Pater, adesto in adjutorium mihi famulo tuo; & dirige viam meam, in qua ego ambulo, ut glorificetur nomen tuum in secula seculorum. Amen „. Adveniens igitur post dies aliquot in Tarsum Civitatem, & resciens esse ibi Martyres in agone actu certantes, dicit ad eos, qui cum eo erant: „ Viri fratres, euntes requirite nobis hospitium & ibi requiescere facite animalia: ego autem vado videre eos, quos valde desidero.

V. Cùm igitur iret ad stadium, ubi Sancti Martyres erant certantes, vidit eos inter tormenta positos, & quemdam eorum suspensum capite deorsùm & ignem subtùs eum stratum; alium ex-

extensum in quatuor ligna & diutissimè mactatum; alium exterminatam habentem faciem; alium ungulis exaratum; alium manibus abscissis; alium stipite in collo ejus infixo & exalatum in terra; alium inclinatum ex adverso, ideſt retrò manus & pedes habentem & sic fustibus à Ministris cæsum. Et horror magnus & pavor intolerabilis erat his, qui videbant hæc tormenta: magis autem erat videre Diabolum victum, Servos autem Christi fortiter certantes. Accedens ergo Bonifacius cœpit osculari Sanctos Martyres cùm essent in tormentis: erant enim omnes Viri numero viginti, & clamans voce magnâ dixit: „ Magnus „ Deus Christianorum, magnus Deus Sanctorum Martyrum. „ Obsecro vos, famuli Christi, intercedite pro me, ut & ego „ dignus efficiar consors vestrum inveniri, certans adversùs Diabolum „ & consedens pedibus Sanctorum Martyrum, amplectebatur vincula eorum osculans & dicens: „ Certate Athletæ & Martyres Christi conculcare Diabolum modicùm perseverantes: magnus quidèm labor, sed multa est requies: horrida tortura, sed ineffabile gaudium. Super terram torquetur „ corpus à Ministris, in futuro autem seculo à Sanctis Angelis „ ministrabitur illi.

VI. Porrò Simplicianus Judex aspiciens ad Populum & eum contemplatus dixit: quis est ille, qui me Deosque meos contemnit? adducatur ad meum tribunal. Adductum eum interrogat: quis es tu, edicito nobis, qui contemsisti judicium meum? Cui Bonifacius: „ Ego, inquit, Christianus sum & contemno „ te ac tuum tribunal per auxilium Dei mei „ Judex autem ad eum ait: quid vocaris? At Bonifacius: „ Jam dixi, inquit, quia „ Christianus sum. Si autem meum vulgare nomen discere „ vis, Bonifacius vocor „. Tunc Judex dixit: antequam pœnis tangam latera tua, sacrifica Diis immortalibus. Bonifacius vero respondit: „ Jam pluriès dixi tibi quia Christianus sum & non „ sacrifico Dæmoniis neque Idolis. Quod ergo vis facere fac & „ noli morari: corpus meum tibi appositum est „. His vehementer iratus Judex jussit suspendi eum, & diutiùs ungulis corpus ejus radi, intantùm ut ossa ejus apparerent. Sanctus autem Bonifacius nihil dicens, oculos suos ad Sanctos Martyres attentos habebat.

Tunc Judex jussit eum levari à terra, & post quasi unius horæ spatium, iterùm eum adhortatur ut sacrificet Diis & sui misereatur. Sed respondente Martyre „ Non erubescis, miserrimè, sæpè dicendo mihi, sacrifica; me nolente audire de perituris tuis simulacris „? Furore repletus Judex jussit, ut calami

lami acuerentur & eos affigi sub ungulis manuum ejus. Cùmque hoc fieret, aspiciens Sanctus Martyr in Cœlum, alacriter tolerabat. Videns autem impius Judex, quòd tormenta quasi non sentiret, jussit aperiri os ejus & plumbum bulliens ei infundi. Tunc Sanctus Athleta Christi adspiciens in Cœlum Dominum sic deprecatus est: „ Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe „ Fili Dei: adesto in adjutorium mihi famulo tuo & adjuva me „ à doloribus istis; & ne permittas me à profanissimo hoc judice „ vinci: tu enim nosti, quia propter nomen tuum hæc omnia „ patior „. Inde conversus ad Sanctos Martyres: „ Obsecro „ vos, inquit, Servi Christi, orate pro me famulo vestro „. Sancti autem Martyres quasi ex uno ore dixerunt ad eum: „ Do„ minus noster Jesus Christus ipse mittat Angelum suum & eri„ piat te de profanissimo isto Judice & perficiat cursum tuum „ velociter & adscribat nomen tuum cum primogenitis „. Cùmque oratione completâ dixissent Amen, Populus plorare & altâ voce clamare cœpit: „ Magnus est Deus Christianorum: „ magnus Deus Sanctorum Martyrum. Christe Fili Dei salva „ nos: universi in te credimus & ad te confugimus. Pereant „ simulacra Gentium „. Et impetum fecit omnis Plebs & destruxit Aram, ac in Judicem lapides jacere cœpit, qui tumultu perterritus tunc abscessit.

VII. Diluculò tamen sedens pro Tribunali & adducto Sancto Bonifacio, iterùm dicit ei: ut quid miser sic insanis, in hominem habens spem & ipsum crucifixum tanquam nequam? Tunc zelo Dei accensus S. Martyr: „ Obmutesce, inquit, in„ felix & noli aperire labia tua contra Dominum meum Jesum „ Christum: obscurissime mentis serpens, inveterate dierum „ malorum, anathema tibi. Nam Dominus meus Jesus Chri„ stus hæc omnia sustinuit volens salvare genus humanum „. Ad hæc irritatus Judex jussit afferri ollam & eam impleri pice, & in bullientem Sanctum Martyrem inverso capite immitti. Sanctus autem Martyr facto signo Crucis immissus est in ollam. Sed Angelo Domini descendente de Cœlo & tangente ollam, hæc protinùs liquefacta est sicut cera à facie ignis. Et Sanctus quidèm non est molestatus, incendit tamen de adflantibus multos. His tremefactus Judex admirans virtutem Christi & tolerantiam Martyris, jussit gladio caput ejus abscindi. Spiculatores autem tulerunt eum cum festinatione de loco Judicii. Sanctus verò Christi Martyr facto signo Crucis, rogavit eos, ut largirentur ei parvam horam donec oraret, & stans contra Orientem, Deum ita deprecatus est: „ Domine Deus omnipo„ tens,

,, tens, Pater Domini nostri Jesu Christi, adesto in adjutorium ,, mihi famulo tuo & mitte Angelum tuum & suscipe in pace ,, animam meam; ut non impediat me pestifer & interfector Dra- ,, co suâ malignitate, & ne suadeat me in fallacia sua, sed con- ,, requiescere me fac in choro Sanctorum Martyrum tuorum: ,, & erue, Domine, Populum tuum de tribulatione impiorum, ,, quoniam te decet omnis honor & potestas unà cum Unigenito ,, tuo atque Sancto & vivificante Spiritu in secula seculorum, ,, Amen ,,. Et cum complesset orationem percussus est à Spiculatore; & factus est terræmotus magnus, ita ut omnes exclamarent dicentes: *Magnus Deus Christianorum*. Et crediderunt multi in Dominum Jesum Christum. Hoc fuit S. Bonifacii Martyrium seu veriùs triumphus. In hoc admirare Lector potentiam Divinæ Gratiæ, quæ sicut ex Persecutore repentè Saulum in Apostolum verterat: ita hìc Bonifacium ex homine vitiis ac peccatis implicato illicò fecit constantissimum & gloriosissimum Martyrem, & dic: *Hæc mutatio dexteræ Excelsi*. Sed audi quæ sequuntur.

VIII. Conservi autem Beati Bonifacii circuibant, ubique requirentes eum; & non invenientes cœperunt dicere ad invicem: Ille modò in adulterio aut in taberna positus epulatur; & nos circuimus ubique requirentes eum. Cùm ergo inter se confabularentur, contigit obviare eis fratrem Commentariensis & dicunt ei: Forsitan vidisti virum peregrinum Romanum? Ille autem dixit eis: Hesterno die Vir peregrinus martyrizatus est pro Christo & abscissus est capite. Qui dixerunt ei: Et ubi est? At ille dixit eis: In stadio, ubi passus est. Et iterùm interrogati illi de aspectu ejus, dixerunt ei: Vir est quadratus crassus robustus capillo compositus coccineâ veste indutus; cùmque ille respondisset eis: ille ipse est quem quæritis & qui hesterno die Martyrio est finitus; At illi ajunt: Homo quem nos quærimus, magis in taberna requirendus est, quàm in stadio. Ille autem dixit eis: quid enim nocebit venire usque ad stadium & videre, si ipse est?

Illi autem secuti sunt eum; cùmque in stadio stetissent, ostendit eis pretiosum Corpus ejus; qui admirati dixerunt: Quæsumus ostende nobis etiam Caput ejus: quod cùm ille attulisset, dum ipsum contemplarentur, virtute Sancti Spiritus risum emisit. Tunc cognoscentes eum, fleverunt amarè dicentes: Ne memineris nostri peccati ob mala quæ locuti sumus de te, famule Christi: & dicunt ad Officialem: Iste est quem quærebamus; petimus te: da nobis eum. At ille: ego gratìs corpus ejus dare

vobis non possum. Illi autem dantes eis solidos quingentos acceperunt corpus Sancti Martyris, & ungentes illud aromatibus & involventes linteaminibus pretiosis posuerunt in una ex lecticis. Et sic profecti sunt iter suum, gaudentes & glorificantes Deum super glorioso S. Martyris triumpho.

IX. Interea Angelus Domini apparens Aglaæ dixit ei: Qui priùs servus tuus erat, nunc autem frater noster est, sicut Dominum suscipe, & dignè eum reconde: ipsius enim interventu relaxabuntur tibi universa peccata. Et consurgens Aglaes confestim accepit secum Clericos & Viros religiosos: & sic cum hymnis & canticis spiritualibus & omni veneratione obviavit Sancto Corpori, & reposuit illud stadiis ab Urbe Roma quinque in via, quæ dicitur Latina, donec ædificaret ei domum passione ejus dignam: quo in loco plura miracula edita, Dæmones fugati & infirmi sanati sunt. Passus est autem S. Martyr Bonifacius Tarsi Ciliciæ Metropoli 14. Maii, quâ die etiam in Martyrol. Romano colitur; & sepultus est Romæ die 5. Junii. Aglaes post hæc renuntians Mundo universa quæ possidebat distribuit egenis. Relaxans autem & universam familiam suam diversi sexus & ætatis à jugo servitutis, sic cum paucis puellis, quæ etiam omnibus renuntiaverant, famulata est Christo: tantâ autem gratiâ donata est, ut Dæmonia expelleret & languores sanaret. Superstes autem fuit Beata Aglaes in exercitiis pietatis tredecim annis, post quos obdormivit in Domino, & apud præfatum Martyrem sepulta est.

§. VIII.

SS. Sebastianus, Marcus, Marcellianus &c. Martyres.

I. Sanctus Sebastianus nativitate vel saltem origine Narbonensis, Mediolani tamen educatus fuit. S. tamen Ambrosius in Psalm. 118. facit eum Mediolanensem oriundum: inde Romam discessisse dicit, fortasse (saltem consilio Dei) ut ibi inveniret Persecutorem, qui tunc Mediolani non aderat. Ibi vel sub Carino, qui ab anno 282. usque ad 285. imperavit, vel alio prædecessore Militiæ adscriptus, prudentiâ pietate & gratiâ, non solùm Militum sed & Magnatum communem amorem & æstimationem sibi comparavit. Quia tamen militarem artem susceperat non armorum studio, sed ut hoc titulo posset faciliùs inservire fratribus, nempè Fidelibus in Persecutione laborantibus, in hoc pio opere totus erat; secretò tamen, ne ad notitiam

tiam Imperatorum perveniret; non quia bona & vitam pro Christo dare formidaret, sed quia hoc secretum valde juvabat, ut eos posset in tormentis positos liberiùs confortare, & à Dæmonis conatibus eripere. Ex quibus, apparet etiam sub Carino aliquod Persecutionis genus Christianos passos fuisse, & multò magis primis Diocletiani annis, ut supra notavi.

II. Inter primos, quos Sebastiani zelus Christo peperit, fuere Marcus & Marcellianus. Hi fratres erant genere clarissimi & fortè etiam Romani Senatores opibus ditissimi, uxores ac filios habentes. Eorum pater Tranquillinus & Marcia mater jam senectâ cani, Pagani erant. Hoc tamen non obstante Marcus & Marcellianus à prima ætate (extraordinariâ Dei Providentiâ, quo enim humano medio hoc fuerit nescitur) Christiani erant. De hoc ergo accusatos ac subinde detentos, S. Sebastianus quotidie visitare ac animare non destitit; quod eorum quoque Servis & ipsis eâdem causâ comprehensis præstare non cessabat. Quid his eorum Servis evenerit, nescimus; de Marco & Marcelliano scimus, quòd post multa etiam verbera invictâ constantiâ tolerata, variis cœlestibus consolationibus etiam recreati, sententiâ capitis damnati fuerunt. Sed eorum Parentes à Præfecto Romæ tunc Agrestio Chromatio obtinuerunt triginta dierum dilationem, sperantes, se hoc tempore eorum frangere posse constantiam.

III. Fuerunt itaque in ædes Primiscrinii Præfecturæ nomine Nicostratis catenatis manibus translati, ibique Præfecti & Imperatoris mandato custoditi. Ibi eorum Parentes uxores ac filii adhuc parvuli amicique omnes, lacrymis ac ejulatibus, eorum constantiam emollire studuerunt; jamque lacrymæ corda Sanctorum Martyrum cœperant flectere. Tunc Sebastianus, qui eos quotidie invisebat, accedens, prolixâ ad horam fortique oratione eorum jamjam labentes animos prorsùs erexit ac solidavit. At Deus ingenti miraculo vires auxit. Toto tempore, quo Sebastianus ad eos peroravit, lux extraordinaria locum in quo stabant replevit, & statim apparuerunt septem Angeli qui vestibus albis eos induerunt, & juvenis quidam donans eis pacem & promittens, se cum eis semper futurum. Hoc referunt Acta, cujus veritatem prodigiosi effectus gratiæ, quos deinde consecutos referam, comprobabunt.

IV. Vix Sebastianus sermonem compleverat, cùm Zoes Nicostratis uxor á sexennio muta ad ejus pedes provolvitur, gestibus ac nutibus indicans, quid ab ipso optaret. Sebastianus illius statu percepto statim os ejus signo Crucis munit, altâ vo-

ce Christum invocans, ut in testimonium veritatis eorum quæ dixerat, eam sanare dignetur. Et ecce Zoes statim loqui incipit laudans Sanctum Virum & testificans se credere omnia ea quæ dixerat: addens, se vidisse Angelum descendentem de Cœlo, tenentem ante oculos loquentis librum apertum, in quo omnia quæ S. Sebastianus dixerat de verbo ad verbum scripta erant.

V. Nicostrates visâ sanitate uxori restitutâ illicò ad Sebastiani pedes & ipse procumbit, veniam petit, quòd Servos Dei in carcere detinuerit, propriis manibus eis vincula solvit, rogans, ut irent quòcumque vellent; protestatus, se felicem habiturum, si loco eorum in carcerem traderetur & proprio sanguine æternum ignem sibi debitum extingueret. Marcus tamen & Marcellianus ejus fidem in sua origine adeò perfectam laudarunt quidèm, sed certamen, in quo positi erant deserere & in locum ipsorum Nicostratum exponere recusarunt.

VI. In Nicostrato tamen ejusque uxore solis Dei gratia non stetit, quin & in omnes qui ibi aderant suos mirabiles effectus effudit. Marcus & Marcellianus nedum in Fide solidati, sed hoc etiam gaudio perfusi fuere, ut eosdem, qui tot artibus à Jesu Christo ipsos eripere tentaverant, viderent jam paratos fieri ejusdem Discipulos. Marcus itaque ad eos conversus præcipuè ad patrem matrem uxorem ac fratrem omnes efficaci sermone adhortatus est, ut Fidem, quam se amplecti velle testabantur, generosâ alacritate susciperent & susceptam custodirent; nec terrerentur quibuscumque Dæmonis conatibus, ut ex eorum cordibus eam eriperet, sed vitam hanc quæ mille infortuniis rapi potest, ac miseriis & criminibus obnoxia est, generosè aspernarentur, ut æternam ac inamissibilem, cui nullus subest dolor, nulla tristitia, consequerentur. Quibus omnes compuncti ac in lacrymas effusi præteritam infidelitatem detestati, simul Deo gratias agebant, quòd ad veritatem illos vocasset.

VII. Tunc Nicostratus fervore accensus protestatus fuit, se nec cibum aut potum sumturum, donec sacrâ Baptismatis aquâ perfunderetur. At S. Sebastianus, oportet, inquit, ut dignitatem mutes, ac è ministro Præfecti factus Minister Jesu Christi, ad hunc adducas omnes, quos in custodia carcerum detines, ut & isti catechizentur: si enim Diabolus totis conatibus studet eripere Christo qui ejus sunt, debemus viceversà nos pari conatu eos quos impius hostis abstulerat suo restituere Creatori. Promisitque ipsi, si tale munus in suæ conversionis initio Christo offerat, statim Martyrio fore remunerandum. Nicostratus ergo confestim se ad Commentariensem nomine Claudium conferens,

rens, ei præcepit ut omnes in carceribus detentos ad se adduceret, volens eos paratos habere. Quibus adductis Sebastianus tanto fervore spiritus locutus est, ut videns eorum corda Divinâ gratiâ tangi, & lacrymis aliisque exterioribus signis se convictos ac mutatos testari, jussit à vinculis solvi; & statim abiit ad quærendum Sanctum Presbyterum nomine Polycarpum, qui occasione Persecutionis se occultaverat, eumque ad Nicostratum duxit. Polycarpus postquam noviter conversis gaudium suum de eorum felici sorte testatus fuit, eisque à misericordia Divina peccatorum veniam spopondit, jejunium usque ad vesperam indixit, & singulorum nomina quæsivit, quod illi cum gaudio & alacritate executi sunt.

VIII. Dum hæc agerentur, venit Claudius dixitque Nicostrato, Præfectum malè habuisse, quòd ipse omnes in carceribus detentos apud se adduxisset, ac proinde ei præcipere, ut facti rationem redditurus coram se accederet. Ivit Nicostratus & Præfecto dixit, se hoc fecisse, ut Christianos quos apud se habebat magis terreret exemplo aliorum, qui suppliciis tradebantur. Cui Præfectus acquievit. (Hoc mendacium damnabile certè fuit, sed in homine recèns converso, & nondum plenè instructo excusabile, sicut Exodi 1. excusabile fuit obstetricum Ægyptiarum mendacium.)

IX. Revertens à Præfecto simul cum Claudio Nicostratus, ei omnia quæ apud se evenerant narravit, & præcipuè uxori redditam sanitatem. Audiens hoc Claudius commotus est; & cùm duos filios haberet, unum hydropicum, alterum variis morbis cruciatum, illicò accurrens, eos coram Sanctis adduxit; protestatus, se ope illorum sanitatem filiis suis sperare, & toto corde in Jesum Christum credere. Tunc Sancti Viri certi quidquid in nomine Jesu & ad animarum salutem petiissent, se consecuturos, promiserunt Claudio filios suos & quotquot ibi aderant, ab omni infirmitate fore liberandos, statim ac facti fuissent Christiani. Eodem ergo tempore descripta sunt nomina eorum qui Baptismum postulabant; qui fuerunt Tranquillinus, sex ejus amici nimirùm Ariston, Crescentianus, Eutychianus, Urbanus, Vitalis, & Justus; deinde Nicostratus & Castor ejus frater, Claudius Commentariensis ac duo ejus filii Felicissimus & Felix (quorum unus vocabatur etiam Symphorianus) Marcia Tranquillini uxor unà cum uxoribus & filiis SS. Marci & Marcelliani; Symphorosa Claudii uxor, Zoes Nicostrati cum universa ejus familia numero homines triginta tres; & tandem ii qui in carceribus detinebantur numero sexdecim: qui omnes simul

ſimul collecti numero ſexaginta octo ſunt; quibus addi poteſt Victoricus Claudii frater, de quo aliqua inferiùs.

X. Hi ergo omnes à S. Polycarpo baptizati fuerunt, Sebaſtiano viros, Beatrice (poſtea Martyre) & Luciná feminas è ſacro fonte levantibus. Duo filii Claudii primi Baptiſmo abluti ſunt, qui è fonte egreſſi, ſani ut cæteri ſtatim fuere, ut nec ſignum aliquod incommodi appareret. Tranquillinus poſt eos baptizatur. Is ab undecim annis podagræ & chiragræ doloribus adeò cruciabatur, ut nec poſſet ſine dolore geſtire, nec manus ori apponere ad ſumendum cibum, & propterea grave incommodum paſſus fuit, dum ad ſuſcipiendum Baptiſmum expoliaretur. Poſtulante igitur S. Polycarpo, an toto corde crederet, Jeſum Chriſtum unicum filium Dei poſſe ei integram corporis reddere ſanitatem & inſuper univerſa peccata dimittere; altâ voce reſpondit, ſe toto corde profiteri, quòd Jeſus ſit unicus Filius Dei, qui poſſit ſalutem animæ & corporis ei largiri: ſe tamen ab eo aliud non petere, quàm ſuorum remiſſionem peccatorum: ita ut etiamſi poſt ſanctificationem Baptiſmi in doloribus perſeveraret, adhuc in Jeſu Chriſti Fide firmus perſiſteret. Hiſce verbis lacrymas ab adſtantibus præ gaudio excuſſit, qui effectum Fidei adeò puræ à Domino petendum ſeſe mutuò excitabant. Poſt hæc S. Polycarpus, cùm ſacro Chriſmate eum unxiſſet, iterùm petiit, an crederet in Patrem Filium & Spiritum Sanctum: & reſpondente eo ſe credere: momento ſtatim tota podagra evanuit, ut ſe ipſo, nullo adjuvante in ſacrum fontem deſcenderet clamans: Tu es ſolus & verus Deus, quem ipſe infelix Mundus non cognoſcit. Subinde alii omnes baptizati fuere, & decem diebus, qui adhuc ſupererant è triginta dilationis Tranquillino pro filiis ſuis à Præfecto conceſſis, hi novi Chriſtiani in laudibus Dei præparando ſe ad pugnam, & Martyrium ardenter deſiderando, vel ipſæ feminæ ac pueri perſeverarunt.

XI. Completis triginta diebus à Præfecto Chromatio conquiſitus Tranquillinus adfuit, eique gratias ſummas de conceſſa dilatione egit: quia hoc modo & filios patri conſervavit & reddidit patrem filiis. Chromatius horum verborum ſenſum non aſſecutus ei dixit: Oportet ergo ut filii tui veniant & thus Diis offerant. Tunc Tranquillinus apertiùs ſe explicans declarat, ſe jam eſſe Chriſtianum, & hoc medio liberum evaſiſſe à podagra quâ antea dirè cruciabatur. Chromatius, qui eodem morbo laborabat & nolebat hoc prodere propter eos, qui aderant, poſt varios ſimul habitos diſcurſus, Tranquillinum detineri & in carcerem duci præcepit dicens, ſe in prima ſeſſione eum auditurum.

rum. At noctu secretò eum ad se adduxit, eique ingentem argenti summam exhibuit, ut ei indicaret remedium, quo ipse liberatus fuerat. Cui Tranquillinus, argento contemto, asserit, se aliud remedium non invenisse, quàm credere in Jesum Christum: si hoc remedium ipse experiri vellet, & ipse à morbo solamen reciperet. Chromatius eum dimisit dicens, ut ad se duceret illum, qui eum Christianum fecerat, à quo, si ei pariter sanitatem promitteret, eamdem & ipse Religionem posset amplecti.

XII. Tranquillinus illicò S.Polycarpum adivit, eumque ad Præfectum secretò duxit, qui ei obtulit medietatem bonorum suorum, si ipsum à podagra liberaret. Cui Polycarpus: absit, inquit, hoc enim & mihi & tibi verteretur in crimen. Jesus Christus potens est & tenebras suâ luce dissipare & omnes morbos in te sanare, si in eum ex toto corde credideris. Eum proinde Christianæ Fidei præceptis imbuit ac tridui jejunio se disponere jussit, quod & ipse simul cum Sebastiano peregit. Tertiâ die ambo Chromatium adeuntes, à doloribus suæ podagræ argumentum sumserunt de suppliciis æternis disserendi. Tunc Chromatius nomen suum & Tiburtii unici filii dedit, ut ambo Christiani fierent. Sebastianus tamen eum monuit, ne Baptismum sanitatis desiderio cuperet magis quàm veræ Fidei amore, & propterea in testimonium sinceræ suæ ac veræ conversionis sibi permitti postulavit, ut omnia sua Idola comminueret, spondens ei fore illicò sanandum. Annuit Chromatius; sed cùm per servos hoc exequi vellet, restitit Sebastianus dicens, contingere posse, ut Diabolus habens in eos ratione infidelitatis dominium id attentantibus aliquod nocumentum inferret, & diceretur hoc fuisse in punitionem ob Idola eversa. Ipse ergo Sebastianus unà cum Polycarpo fusis priùs ad Deum precibus, omnes Idolorum statuas usque ad ducentas ex quacumque materia confregerunt.

XIII. Verùm ad Chromatium reversi atque nondum sanatum invenientes: Cave, inquiunt; aliquid superstitiosum adhuc superest destruendum, & fides tua nondum integra est. Tunc ille ingenuè confessus est, in penetrali domus plures adesse machinas vitreas & chrystallinas astrologicæ arti inservientes, quas magnis sumtibus parens suus Tarquinius emerat, & has in ornamentum domus suæ asservari. At Sancti Viri ostenderunt ei totius Astrologiæ & prædictionum ex ea sumtarum vanitatem, ac proinde oportere & ista aboleri: quibus ille acquievit. Verùm Tiburtius filius ferre non valens, ut res adeò rara & pretiosa destrueretur, nec parentis sanitatem impedire volens, duas ac-

accendi jussit fornaces, comminatus Sebastiano & Polycarpo, quòd si rebus illis destructis pater suus integræ sanitati non restitueretur, utrumque in fornacem injiceret. Quam conditionem, reluctante licèt Chromatio, Sancti Viri libenter acceptaverunt.

XIV. At ecce eodem tempore quo machinæ illæ confringebantur, Chromatio juvenis quidam apparuit dicens, ei se de Cœlo à Jesu Christo ad eum sanandum mitti. Quo dicto Chromatius eodem momento perfectè sanatus, currens juvenem illum insequitur, ut ejus pedes exosculetur. At ille prohibuit, quòd nondum Baptismate ablutus & sanctificatus foret. Ad pedes ergo Sebastiani Chromatius, & Polycarpi Tiburtius sese prosternunt. Tunc Sebastianus Chromatio exposuit, quòd in dignitate Præfecti perseverans vix, imò nec vix abstinere posset ab interventu spectaculis & à ferendis judiciis & aliis contra Christianos: tutius ergo esset renuntiare Præfecturæ & Successorem postulare, ut ab omni periculo & Mundi hujus curis extricatus unicè posset Deo & animæ saluti vacare. Consilium amplexus Chromatius, eâdem die ad amicos in Aula existentes misit, rogans eos, ut ipsum hac in re adjuvarent.

XV. Jam ergo Chromatius proximè baptizandus erat: cùm à S. Polycarpo inter alia quæsitus, an suis peccatis renuntiasset; respondit, nimis serò hanc sibi fieri petitionem, optare tamen sibi differri Baptismum, ut magis in hoc firmaretur, & pro eis satisfaceret. Velle se cum omnibus reconciliare, quod debebat persolvere, quidquid violenter extorserat restituere: & cùm post mortem uxoris duas habuisset concubinas, eas dimittere cum plena nuptiarum libertate, ac viros eis procurare. Post hæc polliceri se renuntiaturum omnibus peccatis & hujus Mundi voluptatibus. S. Polycarpus ejus consilium approbans quadraginta dierum spatium ad hæc peragenda, ut moris erat cum eis quibus Baptismus absque periculo differri poterat, ei præscripsit. Tiburtius quoque renuntiavit Judiciariæ professioni, cui proximè accingendus erat, cùm in eruditione & eloquentia valdè profecisset; & subinde Baptismo initiatus fuit. Chromatius autem abdicatis omnibus Mundi negotiis paucis post diebus eodem fuit insignitus: & cum eo mille & quadringenti è sua familia baptizati fuerunt, quibus antea libertatem donaverat, dicens, non esse conveniens, ut qui Deum cœperant habere patrem, hominis mancipia permanerent. Fecit hìc Chromatius, quod (ut putat S.Joannes Chrysostomus hom.11. in Acta) faciebant primi Christiani, qui agrorum quidèm & possessionum pretia ad pedes Apo-

Apostolorum deferebant, non tamen servorum, quos non vendebant, sed liberos dimittebant.

XVI. Quæ hactenùs dixi, probabiliter contingere potuere desinente anno 284., cùm mortuo Caro Carinus ejus filius homo vitiis deditus Romæ imperaret, & in Oriente Diocletianus. Anno enim 285. cùm Carinus adversùs Diocletianum bellum movisset, commisso prælio in Illyrio, Carinus tandem à suis occisus fuit, & Diocletianus totius Imperii Dominus collegam in Imperio assumsit Maximianum Herculium anno 286. Persecutio tamen, quæ sub Carino efferbuerat, eo etiam mortuo perduravit, imò anno 286. violentior effecta est. Nihilominùs hæc Imperii mutatio Sancto Sebastiano non obfuit, qui Christianum se esse nondum palàm prodiderat: imò cùm Diocletianus an. 285. Romam venisset, nedum eum in munere confirmavit, sicut alios Carini Ministros, sed speciali dilectione ipsum prosequebatur, adeò ut ipsum primæ cohortis ad custodiam Prætorii destinatæ ducem crearit, & quousque Romæ moratus fuit, eum apud se frequenter habere vellet; quod & Maximianus, qui in Occidente remanserat, similiter faciebat.

XVII. Verùm cùm interim adversùs Christianos augeretur Persecutio, Chromatius consilio S. Caii tunc Romani Pontificis omnes recèns conversos apud se recepit, summo zelo eos custodiens, ne ad necessitatem Diis sacrificandi adigerentur. Quia tamen ejus ad Fidem conversio ægrè diù occultari poterat, ab Imperatore licentiam petiit se recipiendi in Campaniam, ubi multa possidebat, titulo tum provectæ ætatis tum valetudinis. Quâ obtentâ permissione sese obtulit ad secum in suas Terras adducendos omnes Christianos, qui eum sequi voluissent. Cùm autem hi novi Christiani specialiter addicti essent SS. Sebastiano & Polycarpo, oportebat ùt alteruter horum ad eos in Fide firmandos in Campaniam cum illis transiret. Id S. Sebastiano difficile erat, tam propter muneris dignitatem, quàm propter Martyrii desiderium, cujus se compotem fieri sperabat magis manendo Romæ, quàm in Campaniam transeundo. Sed cùm ejusdem desiderio arderet S. Polycarpus, facta est inter eos sancta contentio, unoquoque conante ad sanguinem pro Christo citiùs fundendum Romæ manere. Quia tamen hoc fuisset Christi membra adhuc tenera, quia recèns nata, sinè lacte deserere; existimavit Cajus, hoc debito magis Polycarpum teneri, qui utpotè Sacerdos & Dei scientiâ plenus, poterat ea suâ assistentiâ in Fide magis roborare. Oh si tali contentione inter Servos Dei nostris temporibus quisque de subeundo citiùs Martyrio decertaret!

Hoc exoptabat S. Augustinus Epist. aliàs 180. modò 228. dicens: *Oh si inter Dei Ministros indè sit disceptatio, qui eorum maneant, ne fugâ omnium, & qui eorum fugiant, ne morte omnium deseratur Ecclesia. Tale quippè certamen erit inter eos, ubi utrique ferveant caritate, & utrique placeant caritati.*

XVIII. Adveniente igitur die Dominico Cajus Papa sacra mysteria in Chromatii domo celebravit, & postquam de gratia confessionis Fidei & Martyrii locutus fuit, cunctis Fidelibus liberam reliquit optionem, vel in Urbe secum manendi, vel cum Chromatio & Tiburtio in Campaniam transeundi. At Tiburtius, patre non dissentiente, obtinuit ut Romæ maneret. Mansit ergo cum Sebastiano, & manserunt insuper SS. Marcus & Marcellianus cum Tranquillino patre, Nicostratus cum Zoe uxore, & Castore fratre, & Claudius cum filiis, & Victorino fratre; cæteris cum Chromatio secedentibus. Subinde Cajus Papa Tranquillinum in Presbyterum, ac filios in Diaconos ordinavit; cæteros autem in Subdiaconos præter Sebastianum, qui cùm sub habitu Ducis Fidelibus valido præsidio esset, Ecclesiæ defensor declaratus fuit.

XIX. Hunc Defensoris Ecclesiæ titulum in Ecclesia præcipuè Romana perseverasse colligitur ex Rescripto Valentiniani (apud Baron. anno 268. num. 2.) ubi loquitur de instantia sibi porrecta à Defensore Romanæ Ecclesiæ, & Damaso Papa, ut sibi restituatur quædam Basilica, quam factionarii Ursicini Pseudo-papæ occupaverant. Hoc idem Defensoris seu Præsidis Ecclesiæ officium in Ecclesia Ancyrana obtinuisse Cyriacum unum ex Marcelli Ancyrani discipulis habetur in quadam Fidei confessione apud Epiphanium hæres. 72., in qua Cyriacus post diversos Ecclesiasticos se subscribit: *Ego Cyriacus Præses* (seu Defensor) *ejusdem Ecclesiæ*. Ætate verò S. Gregorii ejusmodi Defensoris Ecclesiæ munus erat Ecclesiæ & præcipuè pauperum sublevationi incumbere. De his in suis Epistolis sæpe mentionem facit, & maximè Lib. 8. Epist. modò 14., ubi eis privilegia concedit Regionariorum; ut sicut septem Regionarii erant constituti, septem quoque Diaconi; ita septem essent primarii Defensores, quibus in absentia Pontificis licentiam dat sedendi in Conventu Clericorum, standi verò præsente Pontifice. Et hoc privilegio gaudere vult etsi ad aliam Provinciam transeant. Forma autem instituendi Defensorem legitur L. 5. Epist. 29. ad Vincomalum apud Baronium ad ann. 599. num. 17.: hoc titulo S. Sebastianus primus ornatus fuit.

XX. Sancti igitur Viri, qui ex dictis Romæ permanserant, cùm

cùm suæ securitati locum non invenirent, simul cum Cajo Papa in Palatium Imperatoris se receperunt apud quemdam nomine Castulum cum tota sua familia Christianum: ibi enim degentes, præcipuè in superiori Palatii parte ac proinde minùs frequentata, suspicionem ingerere non poterant. Ibi ergo morantes dies ac noctes in lacrymis jejuniis & precibus transigebant, gratiam perseverantiæ ac Martyrii à Deo postulantes. Interea dono miraculorum præditi Christianis ad eorum assistentiam confugientibus multa & quidèm mira conferebant. Tiburtius quâdam die egressus incidit in quemdam juvenem, qui ab alto præceps delapsus membris omnibus confractis jacebat, adeout nulla spes, nisi eum sepeliendi, superesset. Accedens Tiburtius petiit sibi permitti super illum aliquod verbum proferre, ut si sanari posset tentaret: ac de facto vix ab eo Oratione Dominicâ & Fidei symbolo pronuntiatis, juvenis perfectè sanus exiliit. Tiburtius utens gratitudinis officiis, quæ erga se parentes juvenis exhibebant, seorsim vocatos de virtute nominis Jesu Christi instruxit, duxitque illos ad Cajum Pontificem, à quo unà cum filiò baptizati fuere. Baron. ann. 286. num. 11.

XXI. Nunc ad Martyria, quibus singuli coronati fuere procedam. Omnibus exemplo suo præivit S. Zoes vel *Zoa* Nicostrati uxor. Hæc cùm ad Confessionem S. Petri die ejus Festo oraret, comprehensa est & ad Patronum ducta Regionis Naumachiæ (Regio erat ultra Tiberim, sic dicta, quia ad navalem pugnam repræsentandam destinata). Hic volens, ut Idolo Martis thus adoleret, reluctantem ac Idola Gentium irridentem ac spem totam in Jesu Christo collocantem in carcerem detrusit obscurissimum, fecitque ut diebus quinque nec lumen videret, nec cibum potumque caperet, intentans illi mortem famis, ni Diis sacrificaret: cùmque die detentionis incluso sex transissent dies, denuntiatur Præfecto, qui jussit eam à collo & capillis in arbore excelsa suspendi, & sub ea fumum è sterquilinio excitari. Statim ergo ut suspensa est, in confessione Domini emisit spiritum. Illi autem tollentes corpus ejus grandi alligatum saxo in Tiberim demerserunt dicentes: ne Christiani Corpus ejus tollant & faciant eam sibi Deam. Ex quibus apparet, inquit Baronius ad ann. 286. num. 14. vel ipsos Ethnicos non latuisse, quòd soliti essent Christiani religioso cultu prosequi Martyrum corpora, quamvis errarent putantes illos colere tanquam Deos. De S. Zoæ passione agit Martyrol. Rom. 5. Julii his verbis. *Romæ Sanctæ Zoæ Martyris uxoris Beati Nicostrati Martyris, quæ cùm ad confessionem Beati Petri Apostoli oraret, sub Diocletiano Imperatore*

à Persecutoribus arctata & in custodiam obscurissimam trusa deinde collo & capillis in arbore suspensa, adhibito subter horribili fumo, in confessione Domini emisit spiritum.

XXII. Vix secuto Martyrio, S. Zoa in somnis apparuit S. Sebastiano illud ei indicans: quod cùm Sebastianus aliis narrasset, in has Tranquillinus voces prorupit: Feminæ nos ad coronam præcedunt, ut quid vivimus? Et octavâ Apostolorum die ad Beati Pauli Confessionem accedens sensit & ipse Gentilium insidias; nam à Populo lapidibus obrutus mortuus est, & corpus ejus in Tiberim projectum. Ejus memoria in Martyrol. Rom. die 6. Julii his eisdem ferè verbis colitur: *Romæ natalis Sancti Tranquillini Martyris patris Sanctorum Marci & Marcelliani, qui ad prædicationem Sancti Sebastiani Martyris conversus ad Christum, à Beato Polycarpo Presbytero baptizatus, & à S. Cajo Papa Presbyter ordinatus est. Is cum ad confessionem Beati Pauli die octavarum Apostolorum oraret, sub Diocletiano Imperatore à Paganis tentus & lapidatus Martyrium consummavit.* Porrò hoc nomen *Confessio Petri vel Pauli*, quæ Græcis idem est ac *Martyrium*, licèt ab his sumatur pro tota Ecclesia Martyrum, in qua requiescunt eorum Reliquiæ; à Latinis tamen strictè sumitur pro loco illo, in quo olim sub Altari Majori recondebantur Martyrum Corpora. De hoc Baronius in Notis ad præfatam diem 6. Julii.

XXIII. Nicostratus quoque, Claudius Commentariensis, Castor, Victorinus, & Symphorianus, dum Corpora Sanctorum Zoæ & Tranquillini per ripas Tiberis quærunt, tenti sunt & ad Urbis Præfectum Fabianum (aliàs Fabium) perducti: qui eos hortabatur, ut sacrificarent, ac diebus decem minis & blanditiis cum illis agens, cùm nihil proficeret, de illis retulit ad Imperatores (fortè enim tunc ambo Romæ erant) qui eos ter torqueri jusserunt, sed cùm eorum constantia tormenta superaret, lata sententia est, ut in medium mare præcipites mitterentur. Itaque immensis ponderibus alligati pelagi fluctibus dati sunt. Estò autem hoc contingere non potuerit nisi ad summum 17. Julii; septimâ tamen ejusdem mensis die eorum memoria in Martyrol. Rom. & aliis celebratur sic: *Romæ Sanctorum Martyrum Claudii Commentariensis, Nicostrati Primiscrinii, Castorii, Victorini, & Symphoriani, quos S. Sebastianus ad Fidem Christi perduxit, & Beatus Polycarpus Presbyter baptizavit. Eosdem in perquirendis Sanctorum Martyrum Corporibus Fabianus Judex comprehendi jussit, & per decem dies minis & blanditiis exagitans, cùm in nullo penitùs posset commovere, jussit tertiò torqueri, ac postea in mare præcipites dari.*

XXIV. Mo-

XXIV. Modò ad S. Tiburtii, Chromatii ut dixi filii, gloriosum Martyrium me convertam. Hunc ex Actis S. Sebastiani fusè recenset Baronius ad ann. 286. à num. 16. Torquatus quidam dicens se esse Christianum, simulatâ Fide S. Cajo Papæ se sociaverat. Erat autem Apostata & omni dolo plenus. Hic cùm à B. Tiburtio frequenter argueretur, quòd capillos arte super frontem compositos gestaret, quòd assiduè comessaretur, & ludendo pranderet, quòd Feminarum aspectu delectaretur, quòd à jejuniis & orationibus se subduceret, quòd somno deditus nocturnis hymnis non interesset, ejus monita se libenter accipere simulavit: sed arte egit, ut S. Tiburtium orantem Infideles comprehenderent; & cùm eo fecit se quoque teneri, & simul ad Secretarium Judicis perduci.

Fabianus Judex Torquatum interrogat, quis esset: cui ille: Torquatus sum nomine, professione Christianus. Dicente autem Judice, Leges Imperatorum esse, ut qui Diis non sacrificant, diversis suppliciis torqueantur, Torquatus ait: Hic Magister meus est, & ipse me semper docuit: quod cùm videro facere, me quoque facere necesse est. Tantam impudentiam ferre non valens Tiburtius, mentiri, inquit, Torquatum dicendo se Christianum esse: tales enim pestes Christus nunquam dignatus est habere servos suos, ejusque subinde vitia & fraudem Judici exponit. Sed cùm Judex pluribus hortatus esset Tiburtium, ut Diis sacrificaret, videns eum pro Christo intrepidum, jussit ante pedes ejus carbones ardentes effundi, & ait ad eum: Elige tibi unum è duobus: aut thura his carbonibus impone, aut pedibus super eos nudis incede. Tunc Tiburtius faciens Crucis Christi signum, constanter super eis nudis ingressus est plantis: dixitque Præfecto: „ Depone infidelitatem & disce, quia hic solus est Deus, „ quem confitemur Creaturis omnibus dominari. Tu verò si „ potes mitte manum tuam in aquam calidam in nomine Jovis „ tui: & si potest Juppiter Deus tuus, faciat te non sentire ardo- „ rem. Nam mihi quidem in nomine Domini mei Jesu Christi, „ videtur quòd super flores roseos gradiar; quia Creatura ipsa „ Creatoris sui famulatur imperio „. Ita Tiburtius.

XXV. At Præfectus ad hæc nihil motus: „ Quis ignorat, „ inquit, artem Magicam vos docuisse Christum vestrum „? Invaluerat enim hæc opinio apud Gentiles, quòd Christus Magus fuerit, Arnobio teste L. 1. cont. Gent., & S. August. L. 1. de Cons. Evang. cap. 9. & 11., quod supra refutavi. At sicut Christus ipse hanc calumniam, quòd in Beelzebub ejiceret Dæmonia non tulit: ita nec Tiburtius, ideòque Præfecto ait: „ Ob-

„ mu-

„ mutesce infelix, & noli auribus meis has irrogare injurias, ut „ audiam te rabido ore latrantem, vel nominare Sanctum & „ mellifluum Nomen „. Tunc iratus Judex hanc in eum dictavit sententiam: Blasphemator Deorum & reus atrocium injuriarum gladio animadvertatur. Cùm enim nobilis esset, sententia capitis, nullis præmissis servilibus pœnis, à Judice quamvis irato condemnatur. Ductus est igitur in viam Lavicanam tertio ab Urbe milliario, ubi præmissâ oratione ad Deum uno gladii ictu cæsus decessit. Et in eodem loco à quodam Christiano, qui illuc apparuit, sepultus est. Ejus Martyrii memoriam celebrat Martyrol. Rom. 11. Augusti his verbis: *Romæ inter duas lauros natalis Sancti Tiburtii Martyris, qui sub Judice Fabiano in Persecutione Diocletiani, cùm nudis plantis super carbones ardentes ingressus Christum majori confiteretur constantiâ, duci in tertium ab Urbe milliarium, atque ibidem gladio animadverti jubetur.*

XXVI. Proditor Torquatus S. Tiburtii sanguine non adhuc satur, egit, ut & Castulus Palatii Zetarius (idest curam habens quorumdam cubiculorum capacium unius lecti cum duabus sellis) Sanctorum, ut dixi, hospes, apprehederetur: qui tertiò auditus & tertiò tortus, cùm in Christi confessione perseveraret, demissus in foveam, & impositâ super eum massâ arenariâ cum palma Martyrii migravit ad Christum, ut creditur anno sequenti 287. die 26. Martii, cui Martyrologia, & præcipuè Romanum illud consignant his verbis: *Romæ viâ Lavicanâ Sancti Castuli Martyris, qui cùm esset Zetarius Palatii & hospes Sanctorum, à Persecutoribus tertiò appensus, tertiò auditus, in confessione Domini perseverans missus est in foveam, & dimissâ super eum massâ arenariâ Martyrio coronatus est.*

XXVII. Post Sancti Castuli Martyrium duo fratres Marcus & Marcellianus comprehensi fuere, & Fabiano Judice ad stipitem alligati & pedes acutis clavis confixi: sed in tam atroci supplicio positi, nedum lacrymis dolorem testati non sunt; sed in hoc statu per totam vitam detineri exoptantes, se nunquam in majori solatio fuisse, & tandem amori erga Jesum Christum verè se confixos esse dicebant. Atque integrâ die ac nocte in hoc supplicio cantantes illud Psalmi 132.: *Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum*, morati, tandem Judicis mandato lanceis confossi victores ad Cœlum evolarunt. Eorum corpora sepulta fuerunt in Cœmeterio propè viam Appiam eorum nomine celebri, in quo diù jacuerunt, quod postea à Sancto Damaso Papa fabricis ornatum fuit, ubi & ipse cum matre & sorore sepeliri voluit: & propterea dictum etiam fuit S. Damasi Cœme-

me-

meterium. Eorum Martyrium eiſdem ferè verbis celebrat Martyrol. Rom. die 18. Junii: *Romæ via Ardeatina natalis Sanctorum Martyrum Marci & Marcelliani fratrum, qui in Perſecutione Diocletiani à Judice Fabiano tenti, & ad ſtipitem alligati, in pedibus clavos acceperunt: cùmque non ceſſarent laudare Chriſtum, lanceis per latera transfixi, cum gloria Martyrii ad ſyderea Regna migrarunt.*

XXVIII. S. Sebaſtianus, qui operâ ſuâ & zelo prælaudatos Martyres ad Chriſtum præmiſerat, eos Martyrio ſuo & ipſe ſecutus eſt. Fides, quam, ut liberiùs poſſet inſervire Chriſto eique Fidelium numerum augere, occultaverat, diù latere non potuit exploratores, qui undique Chriſtianos inquirebant, ut ad Tribunalia eos denuntiarent. Contigiſſe hoc aliqui putant anno Chriſti 288. inchoante: detectus enim à quodam, quòd ſub clamyde ducis Fidem Chriſtianam tegeret, ad Præfectum delatus, qui Diocletiano tunc Romæ exiſtenti ſuggeſſit. Eum itaque Diocletianus ad ſe vocans ita eſt allocutus. „ Ego te inter primos „ in Palatio ſemper habui; & tu contra ſalutem meam in Deo„rum injuriam hactenùs latuiſti? Cui Sebaſtianus dixit: Ego „ pro ſalute tua ſemper Chriſtum colui, & pro ſtatu Orbis Ro„mani eum qui in Cœlis eſt, ſemper adoravi: conſiderans à la„pidibus auxilium petere inſani eſſe & vani capitis. Tunc ira„tus Diocletianus juſſit eum duci in medium campum, & liga„tum ibi perinde ut ſignum ſagittis peti à ſagittariis. Poſuerunt „ ergo eum Milites in medio campo, & hinc inde jaculis adeò „ repleverunt, ut inſtar Ericii ex ſagittarum denſitate hirſutus „ videretur. Exiſtimantes illum mortuum abierunt.

„ Tunc relicta Martyris Caſtuli Zetarii nomine Irene abiit „ noctu, ut corpus tolleret & ſepeliret: & inveniens eum viven„tem, per ſcalam excelſam adduxit eum in domum ſuam, ubi „ manebat in Palatio: & ibi intra paucos dies membrorum om„nium integerrimam recuperavit ſanitatem. Cùmque Chriſtiani „ ad eum convenirent, omnes adhortabantur eum abſcedere. „ Ille autem oratione factâ deſcendit; & ſtans ſuper gradus Ela„gabali, venientibus Imperatoribus dixit: Iniquis ſurreptioni„bus animos Imperii veſtri Templorum Pontifices obſident, „ ſuggerentes de Chriſtianis falſa commenta, tamquam illi ſint „ Reipublicæ adverſarii, cùm illorum orationibus Reſpublica „ in melius proficiat & creſcat: non enim ceſſant pro Imperio „ veſtro & pro ſalute Romani exorare.

„ Cùmque hæc & alia id genus diceret, Diocletianus ait: „ Tu es Sebaſtianus, quem nos dudum juſſeramus ſagittis in-

„ ter-

„ terfici? Sebastianus dixit: Ad hæc Dominus meus Jesus Chri-
„ stus reservare dignatus est, ut conveniam & contester vos co-
„ ram omni Populo, injusto judicio Persecutionem vestram in
„ Christi famulos ebullire. Tunc jussit eum in Hippodromum
„ Palatii duci, & tamdiù fustibus cædi, donec exalaret spiritum.
„ Tulerunt ergo Corpus ejus noctu & in cloacam maximam
„ miserunt, dicentes: ne fortè Christiani eum sibi Martyrem
„ faciant.
„ Porrò B.Sebastianus apparuit in somnis Matronæ religio-
„ sæ Lucinæ nomine, dicens ei: In cloaca illa, quæ est juxta
„ Circum, quære & ibi invenies Corpus meum pendens in un-
„ co. Quod cùm lavaveris perduces ad Catacumbas & sepelies
„ me in initio cryptæ juxta vestigia Apostolorum. At Lucina
„ cum servis suis mediâ nocte abiit; & elevans Corpus ejus po-
„ suit in pilento suo (vehiculi genus erat, quo Matronæ fere-
bantur, ita libratum duabus rotis, ut considentes in pulvinis in
aere suspensæ agitari viderentur) perductumque ad locum, ubi
„ ille imperaverat, cum omni diligentia sepelivit: perque dies
„ triginta a sancto loco illo non recessit. Post aliquos autem an-
„ nos, pace Ecclesiæ redditâ, domum suam mutavit in Eccle-
„ siam, omnesque opes suas pro Christianorum consolatione illi
„ derelinquens, & Ecclesiam earum hæredem instituens, quie-
„ vit in Christo.

XXIX. Hactenùs ex Actis S. Sebastiani & aliorum, de quibus supra locutus sum, quæ refert Baronius ad ann.284. a n.3., & signatè de Sebastiano à num.24. usque ad 28., quæ veridica ab omnibus reputantur. Circa ea tamen, quæ de S. Sebastiano dicunt, aliqua idem Baronius observat. Primò, colligi ex iis, quòd Persecutiones in Christianos ex instigatione Pontificum Idolorum maximè excitabantur, qui Imperatoribus falsò repræsentabant, Christianos aliquid contra Imperium machinari, quod S. Sebastianus in sua Apologia mendacii arguit. Secundò, quòd dicitur S. Sebastianum constitisse *in gradibus Elagabali*, alludit ad Templum, quod Elagabalo tanquam Deo Antoninus in Palatino monte juxta ædes Imperatorias consecravit, ut ait Lampridius. In gradibus ergo hujus Templi consistens Imperatores ad suas ædes redeuntes Sebastianus expectavit. Tertiò, quòd dicitur de *unco* & *cloaca* indicat, corpora damnatorum unco trahi à carnificibus consuevisse, teste Lampridio in Commodo, & Seneca de Ira L.3., de quo ipse Baronius in Notis ad diem 19. Januarii. In cloacam autem infamissimorum hominum corpora projiciebantur juxta Lampridium de Elagabalo. Quartò, quid

per

per vestigia Apostolorum intelligatur, dubium est: judicaverim per ea intelligi Corpora seu Reliquias Apostolorum, juxta quorum sepulcrum Sebastianus sepeliri voluit. Quintò constat, Lucinam, quæ Sancti Sebastiani Corpus sepelivit, diversam esse à Lucina Apostolorum Discipula, cujus memoria celebratur 30. Junii in Martyrol. Rom. his verbis: *Romæ S. Lucinæ Apostolorum Discipulæ, quæ facultatibus suis Sanctorum necessitatibus communicans, Christianos in carcere detentos visitabat, & Martyrum sepulturæ inserviebat, juxta quos & in crypta a se constructa sepulta est*. De hac S. Lucina posteriore quid traditum sit, inferiùs dicam.

XXX. De Chromatio & sociis, qui (ut supra dixi) in Campaniam missi fuerunt, hoc solùm scimus, quòd Martyrologia Usuardi Adonis & Romanum die 2. Julii Martyrium passos fuisse tradunt in Campania sub Diocletiano sequentes, nimirùm Aristonem, Crescentianum, Eutychianum, Urbanum, Vitalem, & Justum sex Tranquillini amicos, Marciam ejus uxorem, Symphorosam uxorem Claudii, & Felicem ac Felicissimum Claudii filios; quamvis alter ex dictis alio nomine Symphorianus appellatus Romæ cum patre passus fuisse dicatur: quos Baronius ad annum 303. num. 120. Martyrium eo anno subiisse putat; & quidèm sex Tranquillini amicos Suessæ in Campania, censet Bollandus 23. Februarii. S. Polycarpum in pace quievisse habemus ex Martyrol. Rom., ubi die 23. Februarii legitur: *Romæ Sancti Polycarpi Presbyteri, qui cum Beato Sebastiano plurimos ad Fidem Christi convertit atque ad Martyrii gloriam exhortandò perduxit*. Ponitur autem mortuus Romæ, quia fortè progressu temporis è Campania Romam reversus fuit, vel ejus Corpus Romam fuit translatum. Quid autem Chromatio evenerit ignoramus; credibile est eum in Domino obiisse.

XXXI. Hæc de S. Sebastiano ejusque pro Christo præclarè gestis ejus Acta continent; in quibus jure aliquantò immorati sumus, ut qui legit discat, quantum in ipso & per ipsum Divina Gratia in comprobationem & augmentum Fidei Christianæ operata sit. Quod si quis dubitaret, quomodò Sebastianus Christianus serviebat Imperatori Pagano, & clamydem Militis sub eo gestabat? respondebit S. Thomas 2. 2. qu. 10. a. 10. ad secundum: *Quòd illa prælatio Cæsaris præexistebat distinctioni Fidelium ab Infidelibus; unde non solvebatur per conversionem aliquorum ad Fidem: & utile erat, quòd aliqui Fideles locum in familia Imperatoris haberent ad defendendum alios Fideles: sicut Beatus Sebastianus Christianorum animos, quos in tormentis videbat deficere, conforta-*

bat, & adhuc latebat sub militari clamyde in domo Diocletiani. Hæc S. Thomas. Et S. Paulus ad Philipp.4.: *Salutant*, inquit, *vos omnes* Sancti, *maximè autem qui de Cæsaris domo sunt*, ideſt Neronis.

XXXII. Propterea S. Sebaſtianus celeberrimus inter Martyres ſemper habitus fuit ab Eccleſia & Patribus. Ejus Eccleſia in via Appia una eſt ex ſeptem Eccleſiis, non Urbi tantùm ſed toto Orbi notiſſima, in qua S. Gregorius habuit homiliam 37. in Evangelia, & à S. Damaſo Papa erecta creditur. Paulus Diaconus refert, quòd cùm anno 680. peſtis horribilis Romæ graſſaretur, Divinâ revelatione erecto in Eccleſia S. Petri in Vincula in honorem S. Sebaſtiani Altari tempore Agathonis Papæ, ſtatim lues ceſſavit: ex quo proveniſſe videtur, quòd poſteri Fideles eundem Sanctum ad evitandam imminentem peſtis cladem conſueverint invocare Patronum. Refert etiam Baronius in Notis ad 20. Januarii, in eadem Eccleſia ſub titulo Eudoxiæ ad Vincula S. Petri extare egregiam ejuſdem Martyris effigiem antiquam opere muſivo expreſſam ſenili aſpectu & barbâ. Unde admonentur Pictores, qui eum juvenem perperam depingunt. Sed hæc noſtrum non eſt ſcrutari.

§. IX.

S. Lucina Vidua & aliqui Martyres. S. Maximilianus.

I. DE S. Lucina, quæ S. Sebaſtiani Corpus ſepelivit, etſi non Martyre, quia tamen ejus hiſtoria aliquos involvit Martyres, ut promiſi, modò ſermo erit. Hæc ergo Lucina (ut ferunt Acta S. Anthimi apud Surium 11. Maii) Sergium Terentianum ſecundò Romæ Præfectum & Plautinam Gallieni Imperatoris neptem parentes habuit, Virum autem Marcum Faltonium Pinianum. Is à Diocletiano & Maximiano Aſiæ Proconſul anno 286. deſignatus Lucinam conjugem ſecum adduxit. Conſiliarium habebat quemdam nomine Queremonem acerrimum Chriſtianorum Perſecutorem, qui à Deo derelictus & Diabolo traditus è curru, quo vehebatur, toto ſpectante Populo præceps lapſus, poſt aliquot cruciatus horas Diabolum ſuæ necis auctorem deſperatè invocans, animam ei tradidit in æternum cruciandam.

II. Hoc ſpectaculo terrefactus Pinianus morbo adeò gravi correptus fuit, ut Medicorum ſententiâ nil aliud quàm mors expectaretur. Lucina de conjugis vita piè ſollicita, & credens, in

pœ-

pœnam Christiani sanguinis ab eo fusi hoc evenisse, quotquot ex Fidelibus in carceribus detinebantur secretò ad se vocavit, eos adjurans, ut Viro suo sanitatem impetrarent, eis amplam remunerationem & libertatem ipsam promittens. Erant hi Anthimus Presbyter, & Sisinnius Diaconus, Maximus, Bassus, Fabius, Diocletius seu Diocletianus, & Florentius. Tunc Euthimius ei dixit, quòd si Pinianus Christi Fidem amplecti vellet, illicò sanus fieret. Retulit hoc Piniano Lucina: cùmque eum ad hoc paratum invenisset, Anthimium & Sisinnium in cubiculum introduxit, qui, postquam eum de Fide & mysteriis præcipuis instruxerunt, manus tandem illi imposuere.

III. Cùm ergo Pinianus fidem suam ac spem in Christum precibus testaretur, & pro eo Anthimus & Sisinnius quoque idem facerent, ecce claro lumine totum repletur cubiculum; quod per dimidium horæ durans sensim evanuit. Tunc Anthimius & Sisinnius Piniano ut surgeret dixerunt, qui surgens eodem momento perfectè sanus inventus est. Quare gratias agens Jesu Christo accivit cæteros supradictos Confessores, & septem diebus apud se retinuit, continuò laudans Deum & ab eis instructiones recipiens, ac demum ipse cum uxore & amicis suis Baptismum suscepit; omnesque Christianos in carceribus detentos libertate donavit vel ad opera dimisit. Nec miretur aliquis, quòd Eusebius dicat, primis Diocletiani annis Asiæ Ecclesias summâ pace gavisas fuisse; nam estò tunc contra Christianos nondum Imperialia ibi prodiissent Edicta, hoc tamen non tollit, quin Præsides malo animo adversùs Christianos ducti, in Christianos tamquam Imperii & Deorum hostes desævirent.

IV. Versùs finem anni 287. Pinianus in Italiam reversus Confessores omnes, quorum opera Christi Fidem amplexus fuerat, ac plures alios Christianos secum adduxit. At ne hoc Romæ suspicionem ingereret, eos in variis terris ad ipsum spectantibus (multas enim possidebat) distribuit. Anthimus Presbyter cum Maximo, Basso, & Fabio in viciniis Romæ occultus moratus est. Sisinnius autem sedem fixit in quodam castro sibi à Piniano donato propè Auximum in Marchia Anconitana, ubi secum habebat Diocletium, Florentium aliosque plures. Ibi tribus annis summâ quiete Deo servientes eique laudes dantes morati sunt, donec anno 290. Martyrio coronati sunt. Consueverant Regionis illius habitatores singulis trienniis quædam sacrificia offerre cuidam Dæmoni, à quo, ut ajebant, responsa & oracula accipere solebant. Cùmque ea tunc obtulissent, Dæmon protestatus est, se non posse ampliùs responsa dare, nisi Sisinnius, Diocletius,

& Florentius sibi sacrificarent. Statim tres hi Sancti capti cùm sacrificare renuerent, à Populo lapidibus obruti spiritum Deo reddiderunt: corpora è lapidibus extracta eodem in loco propè Auximum à Christianis sepulta fuere. De iis Martyrol. Rom. 11. Maii hæc habet: *Auximi in Piceno Sanctorum Martyrum Sisinnii Diaconi Diocletii & Florentii discipulorum Sancti Anthimi Presbyteri, qui sub Diocletiano lapidibus obruti Martyrium compleverunt.*

V. S. Anthimus, & qui cum eo erant non minorem nacti sunt sortem. Sacerdos quidam Idolorum Silvanus nomine cùm in quodam Sacrificio invasus fuisset à Dæmone, adeò furiosus evasit, ut quemlibet sibi obvium occideret. Resciens hoc Anthimus, in nomine Jesu Christi nedum furorem ejus compescuit, sed & rationi restitutum elapso triduo ipsum cum uxore & filiis, efficaciâ suarum precum ad Fidem convertit. Quo facto plures quoque Christo nomen dantes Silvani Aram everterunt. Hoc indignè ferentes qui in incredulitate permanserant, Anthimum coram Prisco Consulari seu Provinciæ Præside accusarunt. Hic comprehensum videns sacrificare nolle, imposito collo ejus ingenti lapide in Tiberim projici jussit: priusquam autem in aquas dejiceretur membra ejus Pagani contriverunt; sed inde ab Angelo vivus extractus fuit: unde sequenti die Pagani convolarunt ad irridendos Christianos, qui ad benedictionem accipiendam ad eum accedere solebant, at confusi remanserunt, dum ab eis perceperunt, Anthimum perfectè sanum esse in Oratorio suo preces fundentem. Quo miraculo plerique ad Fidem fuere conversi; alii verò Sanctum Virum ad Judicem Priscum detulerunt: qui post tridui rigorem carceris, & suppliciorum minas, videns, se eum vincere non posse, decollari jussit: ejusque corpus in suo Oratorio sepultum fuit. Concordat Martyrol. Rom. 11. Maii dicens: *Romæ viâ Salariâ Sancti Anthimi Presbyteri, qui post virtutum & prædicationis insignia in Persecutione Diocletiani in Tiberim præcipitatus & ab Angelo exinde ereptus, Oratorio proprio restitutus est: deinde capite punitus victor migravit ad Cælos.*

VI. S. Anthimo mortuo ejus Discipuli sub S. Maximi ejus amici disciplina se dederunt: sed cùm de isto Pagani coram Prisco conquesti fuissent, ad eum comprehendendum misit: resistente autem Populo, Maximus ipse Priscum spontè adiit, à quo fustibus cœsus, demum capite truncatur. Bassus post ipsum Christianorum curam suscepit eos ad Martyrium animans. Sed cùm aliquandiù post Populus in Sabinis ad sacrificandum Baccho con-

congregatus, suæ idololatriæ socium ipsum habere vellet, irridens ille, solo flatu Idola eorum evertit & in frusta contrivit: quare calcibus pugnis ac fustibus adeò percussus fuit, ut spiritum emitteret. Fabius verò Præsidis mandato capite truncatus fuit. Hosce tres Martyrol. Rom. die 11. Maii ita commemorat: *Romæ Sanctorum Martyrum Maximi, Bassi, & Fabii, qui sub Diocletiano viâ Salariâ cæsi sunt.*

VII. Nunc ad Pinianum & Lucinam redeamus. De Piniano hoc solùm habemus, quòd audito præfatorum Martyrum glorioso triumpho, vehementer lætatus fuerit; & quòd in Fide perseverans tandem in Domino quieverit. Addunt aliqui, & ipsum diversis tentationibus fuisse probatum, & titulum Confessoris adeptum fuisse, & multa Ecclesiis bona contulisse.

VIII. De Lucina dicit Anastasius de Vit. Pont. cap. 31.: *Matrona autem quædam nomine Lucina, quæ fuerat cum Viro suo Marco* (fortè enim Pinianus Marcus quoque vocabatur) *annos 15., & in viduitate sua habebat annos 19., suscepit Beatum Marcellum, quæ domum suam nomine Beati Marcelli titulum dedicavit, ubi diù noctuque hymnis & orationibus Domino Jesu Christo confitebantur*: & postea subjungit, quòd Marcello Papa præ ærumnis defuncto, *Corpus ejus collegit Beata Lucina & sepelivit in Cœmeterio Priscillæ viâ Salariâ*. Hæc Anastasius. Ex quibus colligitur, Beatam Lucinam circa annum 275. Piniano nupsisse, qui anno 290. mortuus sit, & tribus annis post reditum ex Asia anno 287. superstitem fuisse. Cùmque anno 288. S. Sebastianus Lucinæ apparuerit mandans ei, ut corpus suum sepeliret, benè concordat; nam Lucina eo anno Romæ erat. Componitur etiam quòd ipsa corpus Marcelli Papæ, qui mortuus est anno 309. tumulavit, cùm annis 19. in viduitate manserit. S. Marcellus enim 16. Januarii mortuus fuit, & Lucina licèt eodem anno dicatur mortua, potuit aliquot mensibus superstes esse.

IX. Maximilianus Afer erat adhuc juvenis vigesimum primum ætatis annum & aliquot menses agens, patrem habebat Fabium Victorem nomine, & ambo Fidem Christi profitebantur. Contigit ergo, ut 12. Martii anni 296. Fusco & Anullino Consulibus Thebestæ in Numidia Fabius Victor cum Maximiliano filio coram Dione Proconsule præsentaretur, & Pompejanus Advocatus instaret, ut juvenis Maximilianus mensuraretur, ut militari servitio posset adscribi. Apud Romanos enim omnes juvenes certo numero annorum rei militari operam dare tenebantur: & propter ingentem juvenum numerum illi qui staturâ magis proceri & robusti essent eligebantur, & ideò mensurabantur.

Ita-

Itaque Dio Proconſul à Maximiliano petiit, quomodò vocaretur. Cui Maximilianus reſpondit, cur *à me nomen meum poſtulas? An ut militiæ me adſcribas? At ſcias mihi non licere arma deferre, quia Chriſtianus ſum*: non quia abſolutè non liceret Chriſtianis in Caſtris Imperatorum Gentilium militare; oppoſitum enim habemus in S. Mauritio, Thebæâ Legione, S. Sebaſtiano & aliis; ſed quia ſtantibus Diocletiani Edictis, qui in Caſtris ejus militabant, vix ab aliquo Idololatriæ & ſuperſtitionis actu poterant eſſe immunes. Verùm quamvis Maximilianus iteratò recuſaret dicens, non poſſum, quia Chriſtianus ſum; attamen Dione Proconſule imperante, nolens menſuratus fuit, & inventus eſt habens altitudinis pedes quinque & uncias decem. Tunc Proconſul ut ſignaretur præcepit, Maximiliano reclamante: *non facio, non poſſum militare*.

X. Dion ei dixit, milita ne pereas. Maximilianus reſpondit: *Non milito, caput mihi præcide: non milito ſeculo, ſed Deo meo*. Cùmque Dio ab eo peteret, quis hoc ei perſuaſiſſet, reſpondit: *Animus meus & ille qui me vocavit*. Dio ad Victorem patrem converſus: Conſiliare, inquit, filium tuum. Cui Victor reſpondit: *Ipſe conſilium habet, ipſe novit quid ſibi expediat*. Tunc Dio ait Maximiliano: Milita & accipe ſignaculum. (Puncta in manibus, inſcriptio nominis Imperatoris, & monile plumbeum, teſſeræ erant Militis adſcripti). Qui reſpondit: *Non accipio ſignaculum, jam habeo ſignum Chriſti Dei mei*: & addente Dione; ſtatim te ad Chriſtum tuum mitto, reſpondit: *Vellem modò facias; hoc & mea laus eſt*. Cùmque Dio Officiali ut eum ſignaret præciperet, ipſe reluctans ait: *Non accipio ſignaculum ſeculi; & ſi ſignaveris, rumpo illud, quia nihil valet. Ego Chriſtianus ſum: non licet mihi plumbum collo portare poſt ſignum ſalutare Domini mei Jeſu Chriſti Filii Dei vivi, quem tu ignoras, qui paſſus eſt pro ſalute noſtra, quem Deus tradidit pro peccatis noſtris: huic omnes Chriſtiani ſervimus, hunc ſequimur vitæ principem, ſalutis auctorem*. Cùmque poſt multa ei objeciſſet Proconſul, in Caſtris Imperatorum plures militare & Chriſtianos eſſe: Maximilianus reſpondit. *Ipſi ſciunt quid ipſis expediat. Ego tamen Chriſtianus ſum & non poſſum mala facere*. Et Dione dicente, quid mali faciunt? reſpondit: *Tu ſcis quæ faciunt*.

XI. Videns ergo Proconſul, Maximilianum Militiam conſtanter recuſare, decretum ex tabella recitavit: Maximilianum, eò quòd indevoto animo ſacramentum Militiæ recuſaverit, gladio animadverti placuit. Maximilianus reſpondit: *Deo gratias*. Annorum fuit in ſeculo 21. menſibus 3. dierum 18., & cùm ducere-

ceretur ad locum, ſic ait: *Fratres dilectiſſimi, quantâcumque poteſtis virtute, avidâ cupiditate properate, ut Dominum vobis videre contingat, & talem etiam vobis coronam tribuat.* Et hilari vultu ad patrem ſuum ſic ait: *Da huic Spiculatori veſtem meam novam, quam mihi ad Militiam præparaveras. Sic cum centenario numero te ſuſcipiam, & ſimul cum Domino glorièmur.* (In hoc imitatus S. Cyprianum, qui, ut dixi, 25. aureos Spiculatori dari juſſit). Et ita mox paſſus eſt; & Pompejana Matrona corpus ejus de Judice eruit, & impoſitum in dormitorio ſuo (ſeu lectica) perduxit ad Carthaginem, & ſub monticulo juxta Cyprianum Martyrem ſecùs palatium condidit: quæ poſt tredecim dies mortua ibidem poſita eſt. Pater autem ejus Victor domum ſuam plenus gaudio, quòd tale munus Domino præmiſit, regreſſus eſt, ipſe poſtmodùm ſecuturus. Ex his diſcimus, Victorem quoque Martyrium ſubiiſſe. Vota enim Martyris exoptantis ſocium habere patrem merebantur exaudiri. Cùm tamen plures Martyres ſub nomine Victoris honoret Africa, quis ex illis iſte fuerit, ignoramus: in Martyrol. Rom. 10. Martii mentio fit S. Victoris in Africa Martyris, in cujus ſolemnitate Sanctus Auguſtinus ad Populum ſermonem habuit; ſed an ſit is de quo loquimur, aſſeri nequit.

XII. Quæ de S. Maximiliano dixi ſumta ſunt ex Actis, quæ ſincera à P. Ruinart, Tilmontio, Fleury & aliis Recentioribus reputantur. Porrò quamvis in eis nulla Chriſtianæ Religionis cauſa pro ejus morte afferatur: jure tamen inter Martyres locum obtinuit, qui cùm ſe ſalvâ Chriſti Fide in Caſtris Diocletiani militare non poſſe fuiſſet arbitratus, renuens Militiæ inſignia ſuſcipere, morte punitus eſt. Ut enim docet S. Thomas 2.2. q.124. ar.5. in Corp.: *Omnia virtutum opera ſecundùm quod referuntur in Deum ſunt quædam proteſtationes Fidei, per quam nobis innoteſcit, quòd Deus hujuſmodi opera à nobis requirit, & nos pro eis remunerat: & ſecundùm hoc poſſunt eſſe Martyrii cauſa. Unde & Beati Joannis Baptiſtæ Martyrium ab Eccleſia celebratur, qui non pro neganda Fide, ſed pro reprehenſione adulterii mortem ſuſtinuit.* Paſſus fuit 4. Idus Martii ſeu 12. Martii, ut Acta ferunt. Et hâc die Martyrologia Adonis, Notkeri, Bedæ, & Romanum ejus memoriam colunt: Bedæ quidèm ſub nomine Maximiliani; Romanum tamen ſub Maximiani nomine, & facit eum paſſum Romæ, cùm ex Actis Thebeſtæ in Africa Civitate Epiſcopali Numidiæ reverà paſſus ſit.

§.X.

§. X.

SS. Marcellus & Cassianus Martyres.

I. IDem Christianæ innocentiæ amor, qui S. Maximilianum apud Thebestem à suscipienda Militia deterruerat, Marcellum Centurionem ad dignitatis suæ insignia in Urbe Tingitana palàm abjicienda provocavit. Quâ ratione id contigit, Acta ejus sincera produnt. In Civitate Tingitana (modò Tanger, quæ Urbs est notissima & Provinciæ Mauritaniæ caput) procurante Fortunato Præside, adveniente natalis Imperatoris anniversariâ die, omnes in conviviis epulabantur & Diis Sacrificia offerebant. Marcellus quidam Legionis Trajanæ Centurio ea omnia tanquam profana & sacrilega detestatus, ne illis interesset, abjecto cingulo militari coram signis Legionis, clarâ voce testatus est: *Jesu Christo Regi æterno milito*. Abjecit quoque vitem & arma (vitis enim erat Centurionum insigne) & dixit: *Ex hoc militare Imperatoribus vestris desisto, & Deos vestros ligneos & lapideos adorare contemno, quæ sunt Idola surda & muta. Si talis est conditio Militantium, ut Diis & Imperatoribus Sacra facere compellantur: ecce projicio vitem & cingulum, renuntio signis, & militare recuso.*

II. Stupefacti Milites talia audientes tenuerunt eum ac denuntiaverunt Anastasio Fortunato Legionis Præsidi, qui jussit eum in carcerem conjici. Finitis autem epulis, Fortunatus in Consistorio sedens Marcellum ad se adduci præcepit. Cui, cùm venisset, dixit: Quid? adeò insaniisti, ut contra disciplinam militarem te discingeres, & baltheum ac vitem projiceres? Marcellus respondit: *Jam die duodecimo Kalendarum Augustarum apud signa Legionis istius, quando diem festum Imperatoris celebrastis, publicè clarâ voce respondi, me Christianum esse, & sacramento huic militare non posse, nisi Jesu Christo Filio Dei Patris Omnipotentis*. Tunc Fortunatus Præses: Temeritatem tuam, inquit, dissimulare non possum; & ideò referam hoc Imperatoribus & Cæsari. Ipse sanus transmitteris ad Dominum meum Aurelium Agricolaum agentem vicem Præfectorum Prætorio. Regulariter enim Legionis Præfectus judicium ferebat super suos Milites, eos ad Provinciæ Gubernatorem non remittens. Præfectus tamen Prætorii, cujus vices Agricolaus gerebat, etiam super Milites jurisdictione pollebat.

III. Marcellus itaque ad Agricolaum sub custodia transmis-

sus

ſus 30. Octobris ei præſentatus fuit, uno ex Officialibus ei dicente: Fortunatus Præſes Marcellum hunc unum ex Centurionibus ad poteſtatem tuam transmiſit. Præſtò eſt Epiſtola ſuper nomine & factis ejus, quam ſi jubes recito. Jubente autem Agricolao lecta hæc continebat: „ Miles hic, rejecto cingulo „ militari, Chriſtianum ſe eſſe teſtatus, coram omni Populo in „ Deos & in Cæſarem multa blaſphema locutus eſt: ideò eum „ ad te direximus, ut quod ex eodem claritas tua ſanxerit, ju- „ beas obſervari „. Recitatis itaque litteris, Agricolaus interrogavit Marcellum, an hæc locutus eſſet & an militaret: & Marcello affirmante dixit Agricolaus: Quo furore accenſus es, ut projiceres ſacramenta & talia loquereris? Marcellus autem: *Nullus eſt*, inquit, *furor in eis qui timent Dominum. Talia locutus ſum, projeci arma; non enim decebat, Chriſtianum hominem moleſtiis ſecularibus militare, qui Chriſto Domino militat*. His auditis Agricolaus hanc pronuntiavit ſententiam: Marcellum, qui Centurio ordinarius militabat, qui abjecto publicè ſacramento polluiſſe ſe dixit, & inſuper apud acta præſidialia alta verba furore plena depoſuit, gladio animadverti placet. Quibus eum non damnat morti directè tanquam Chriſtianum; tunc enim Eccleſiæ in Provinciis Conſtantii aliquâ pace fruebantur.

IV. Cùm ergo ad ſupplicium duceretur, dixit Agricolao: *Deus tibi benè faciat*: & his dictis capite cæſus occubuit. Ita ferunt Acta, quibus concordant Martyrologia Adonis, Uſuardi, Romanum &c., quæ die 30. Octobris, quâ ut ex Actis capite damnatus fuit, ejus memoriam colunt; Romanum præcipuè his verbis: *Tingi in Mauritania paſſio Sancti Marcelli Centurionis, qui capitis abſciſſione Martyrium complevit ſub Agricolao agente vices Præfecti Prætorio*. Ubi notat Baronius, quòd fuit Marcellus pater duodecim filiorum, qui omnes parem patri aſſecuti ſunt coronam Martyrii; ut ex Breviario Eborenſi, & in Chron. Hiſpan. Vaſæi, & in Flor. SS. Hiſpaniæ. Hunc Martyrem tanquam ex ſua Patria ortum ſibi vindicant Hiſpani Scriptores præcitati, & plura habet Tamarſus Salazar in Martyrol. Hiſpanic. ad diem 30. Octobris: ubi addit, ejuſdem Sancti Martyris Corpus anno 1493. ſub Ferdinando Rege Catholico ex Urbe Tingitana in Hiſpaniam adductum fuiſſe; ubi in Urbe Legionenſi, quæ Regni cognominis caput eſt, aſſervatur. Ejus Martyrium Vaſæus & plerique etiam Recentiores referunt ad annum 298. ſub Fauſti ſecundo & Galli Conſulatu: & certè ante magnam Diocletiani Perſecutionem poni debet.

V. S. Marcelli conſtantia alium Martyrem Chriſto peperit.

Exceptor seu Notarius, qui sententiam Agricolai in S. Marcellum scripsit, Cassianus vocabatur. Is scriptâ ex officio sententiâ, videns justam Martyris constantiam, & propterea Agricolai sententiam judicans injustam, eam clarâ voce execratus, graphium & codicem projecit in terram. Inopinato hoc facto attoniti Officiales omnes manserunt, risit Marcellus; & Agricolaus tremefactus exsiliens de sella dixit: quare cum detestatione codices projecisset? respondit Cassianus, iniquam eum dictasse sententiam: quem ut ne se ampliùs redargueret, statim jussit abduci & in carcerem trahi. Marcellus qui videns Cassiani factum præ gaudio riserat, eum sibi breviter in Martyrio comitem futurum præsciens, capite truncatus fuit. Post mensem autem 3. Decembris ejusdem anni 298. ad eundem locum, in quo Marcellus fuerat auditus, introductus & interrogatus Cassianus, cùm iisdem responsionibus ac sententiis, quibus S. Marcellus, locutus fuisset, eodem coronatus Martyrio ipsum secutus fuit. Quod Martyrol. Usuardi & Romanum 3. Decembris his verbis celebrant: *Tingi in Mauritania passio Sancti Cassiani Martyris, qui Exceptoris diù gerens officium, tandem cœlitus inspiratus, execrabile duxit Christianorum neci deservire: unde renuntians eidem officio, sub Christiana Confessione triumphum meruit obtinere Martyrii*. Et Prudentius L.4. de Coronis versu 45. hæc habet.

Ingeret Tingis sua Cassianum
Festa Massylum monumenta Regum.

§. XI.

Generalis Persecutionis initium & causa.

I. Martyres, quos sub Diocletiano passos hactenùs recensui, præter alios innumeros, Generalem Persecutionem publicis Edictis adversùs Christianos toto Imperio indictam præcesserunt: odio enim Proconsulum vel Magistratuum, & Legibus antiquis non revocatis, vel aliquo particulari eventu fiebat, ut in aliqua Urbe vel etiam Provinciâ Christiani ad Judices delati, & Diis sacrificare recusantes, ultimo supplicio addicerentur. Solùm ergo anno 19. Imperii, & Christi 303. vel 302., publicis Edictis Christianos ubique inquiri & persequi Diocletianus imperavit. Ita narrat Eusebius L.8. hist. cap.2. his verbis: *Nonus decimus agebatur annus Imperii Diocletiani, cùm mense Dystro, quem Romani Martium vocant, appetente die Festo Do-*

Dominicæ Passionis proposita sunt ubique Imperialia Edicta, quibus Ecclesiæ quidèm ad solum usque dirui, Sacri verò Codices flammis absumi jubebantur; utque honorati quidèm infamiâ notarentur, Plebeii verò libertate spoliarentur, si in Christianæ Fidei proposito permansissent. Et primùm quidèm contra nos Edictum hujusmodi fuit; sed non multò post aliæ rursùs Litteræ supervenerunt, quibus mandabatur, ut omnes ubicumque Ecclesiarum Antistites, primùm quidèm conjicerentur in vincula, deinde verò Diis sacrificare omnibus modis cogerentur.

II. Sævus hujus Persecutionis incentor fuit Galerius Maximianus Cæsar, quem Diocletianus adoptaverat. Cùm enim Imperator 19. anno Regni sui Nicomediam ut ibi hyemaret adventasset, Galerius Maximianus Cæsar post devictos Persas illuc & ipse accessit. Is Diocletiano suadere cœpit, ut pro pace Imperii & Deorum honore Christianos ex Orbe exterminaret. Hoc faciebat Galerius matre suâ extimulante,feminâ superstitionibus deditâ: quæ Deos montium venerabatur, & quotidie Sacrificia & convivia ex carnibus immolatis peragebat; quibus cùm Christiani interesse nollent, imò eodem tempore precibus ac jejuniis indulgerent, summum adversùs illos odium ipsa conceperat, & assiduis querelis filium non minùs matre superstitiosum ad eos perdendos excitabat. Galerius ergo totâ hyeme super his cum Diocletiano consilium habuit: cùmque hoc fieret prorsùs semotis arbitris, & nemine ad consilium vocato, existimatum fuit, capitale aliquod ad Imperium pertinens ab illis tractari. Galerii suggestionibus diù restitit Diocletianus, ostendens ei valdè damnosum fore totius Orbis quietem hoc facto turbare ac tantum sanguinem fundere, Christiani enim nil aliud, quam pro suo Christo mori exoptabant. Præstare igitur ac sufficere, ut illius Religionis homines à Palatii publicis officiis & à Militia arcerentur.

III. Verùm cùm hisce rationibus Galerius non acquiesceret, Diocletianus rem hanc cum aliis conferre expediens judicavit: ejus enim erat malitiæ, ut cùm de bono alteri imponendo ageretur, ipse solus deliberaret, & sic sibi soli honorem & amorem reservaret; cùm verò de re odiosa & alteri injuriosa tractaretur, aliorum consilium adhiberet, & sic culpam & querelas in alios vertere posset. Itaque convocatis paucis quibusdam justitiæ & Militiæ Officialibus, servato dignitatis ordine, quid de hoc sentirent à singulis petiit. Quidam odio particulari lati in sententia fuere, Deorum & publicæ Religionis hostes esse prorsùs exterminandos; alii verò qui ex suo privato sensu aliter sentiebant,

 ut

ut tamen Galerio adularentur, in idem votum venere.

IV. Diocletianus necdum permotus dixit, in hoc negotio Deos esse consulendos. Quare ad Apollinem Mileti auspicem misit: quò cùm pervenisset, Apollo non ex hominis ore sed è profundo antri specu respondit: quòd Justi qui erant super terram, ne veritatem diceret, ei obsistebant; & propterea oracula, quæ ex tripode reddebat, falsa erant. Idem Presbytera locuta est, sparsis capillis hanc humani generis calamitatem deplorans. Diocletianus postulavit, quinam essent Justi super terram: uno autem ex iis, qui Sacrificiis ministrabant, respondente, hos justos proculdubio esse Christianos, Imperator grato animo hoc audiens, ut amicis suis & Apollini satisfaceret Persecutionem decrevit: volens tamen ut moderatè ac sine sanguinis effusione exerceretur; quamvis Galerius eos, qui sacrificare recusarent, vivos comburendos esse contenderet, ejusque votum magna in parte ut dicemus facto prævaluerit.

V. Quæ dixi de Apollinis consultatione, responso, & decretâ Persecutione, ex Constantino Magno in ejus vita refert Eusebius L.2. cap.50. his verbis: *Apollinem tunc temporis ex antro & tenebroso quodam specu, non ex hominis ore oraculum edidisse ferebatur; quo justos viros in terris degentes obstare sibi ajebat, quo minùs vera prædiceret: atque idcircò falsa ex tripode oracula reddi.* (Tripus sella erat tres habens pedes, in qua Phœbas seu mulier Sacerdos Apollinis sedebat & responsa dabat). *Hanc ob causam ille coronam incultam dimisit: & expulsâ divinandi arte, tantum inter homines malum lamentabatur.* Et cap.51. idem Constantinus referens, se adhuc adolescentem audivisse Imperatorem ex Protectoribus suis *curiosè sciscitantem, quinam essent justi in terris degentes, & quemdam ex sacrificulis, qui circa illum* (Diocletianum) *erant, respondisse, eos esse Christianos: ille responso hominis quasi melle quodam avidè absorpto, gladios ad punienda crimina paratos, adversùs Sanctitatem omni reprehensione vacuam distrinxit. Statim igitur sanguinolenta Edicta, cruentis ut ita dixerim mucronibus scripsit: & Judicibus præcepit, ut ingenii solertiam sibi à natura insitam, ad acerbiora supplicia excogitanda intenderent.*

VI. Ex his manifestè apparet Christianæ Veritatis potentia, quæ ipsius Apollinis testimonio falsis Deorum oraculis ora obturavit, ut ea ampliùs edere non possent. Et rursùs ejusdem Sanctitas dum illius soli Professores ab Apolline & Aruspice vocantur Justi. Apparet insuper summa cæcitas & injustitia Diocletiani præfatum Decretum pronuntiantis, nimirùm soli Christiani sunt justi, ergo sunt plectendi & morte exterminandi: quid aliud

aliud eſt, hoc niſi de Mundo juſtos eliminare, ut ſoli injuſti maneant? At ſcio: juſtorum opera nempè Chriſtianorum contraria erant operibus injuſtorum nempè Paganorum; & ideò in Chriſti Sectatoribus, quia juſtis, impleri debebat quod Sapientiæ 2. v.12. dixerunt impii: *Circumveniamus ergo Juſtum, quoniam inutilis eſt nobis & contrarius eſt operibus noſtris & improperat nobis peccata legis & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ*. Sicut ergo quia Chriſtus ſcandala & peccata Scribarum & Phariſæorum damnabat, coacto concilio iſti eum morti iniquè addixerunt Joann.11.; ita quia Chriſtiani Paganorum ſuperſtitiones & mores pravos juſtè reprehendebant, coactum eſt adversùs eos præfatum concilium, in quo eos exterminare decretum fuit.

VII. Dies pro Decreti executione deſignatus, tanquam conveniens & ferri propitius, fuit Feſtum Terminalium, nempè 23. Februarii, quo antiquus Romanorum annus terminabatur: ut idem qui anni terminus erat, Religionis Chriſtianæ quoquè terminus fieret, cùm reverà fuerit terminus proſperitatis, quam Diocletianus in ſuo Imperio antea obtinuerat. Illo igitur die (qui fuit anni Chriſti 303.) illuceſcente, Præfectus Prætorio cum Ducibus Tribunis & aliis ad Eccleſiam Nicomediæ inopinatè acceſſit, ubi effractis portis, ac Dei ſimulacro incaſsùm quæſito, quotquot invenerunt codices combuſſerunt, reliqua prædæ expoſita relinquentes. Eccleſia in loco elevato ſita è Palatio proſpici poterat. Ambo Principes quod ageretur è feneſtris ſpectantes diù invicem contenderunt, an flammis abſumenda eſſet. Aſſerebat Galerius, ſed Diocletianus advertens, eam eſſe multis ædibus undique circumdatam, ne magna Urbis pars incendii periculo exponeretur, ſatiùs duxit eam ſolo æquandam eſſe. Confeſtim igitur Milites Prætoriani miſſi ferreis inſtrumentis eam etſi eminentem paucis horis ſolo æquatam & lapidum cumulum effectam reliquerunt. Diabolus enim (ut ait Euſebius L.10. hiſt. cap.4.) irritatus tot victoriis, quas Chriſtus ſuper ipſum reportaverat, nec quidquam contra Omnipotentem valens, ſuper viſibilia & materialia Templa ad eum adorandum conſecrata primum ſuum furorem evomuit: ſimilis cani qui dentibus mordet lapides, quando eum qui lapides jecit mordere non poteſt.

VIII. Sequenti die 24.Februarii primum contra Chriſtianos Edictum publicatum fuit omnium antea Edictorum atrociſſimum. Neminem quidèm morti addicebat, ſed omni jure cauſam dicendi Chriſtianos privabat, omni quoque poſſeſſione gradu dignitate ac bonis ſpoliabat, Plebejos perpetuæ ſervituti addi-

çens

cens, liberam in omnes agendi Judicibus poteſtatem relinquens. Eccleſiæ omnes à fundamentis dirui præcipiebantur, Chriſtiani cœtus agere ſub graviſſimis pœnis interdicebantur. Verùm quamvis hoc primum Diocletiani Edictum contra Chriſtianorum vitam nil expreſsè ſtatueret, plures tamen Martyres efficere non deſtitit, præcipuè ob Servorum Dei conſtantiam in denegandà ſacrorum Codicum traditione.

IX. Poſt Edicti publicationem accidit factum quod Euſebius L.8. hiſt. cap.5. his verbis enarrat: *Simul ac Edictum contra Eccleſias propoſitum eſt Nicomediæ, Vir quidam minimè obſcurus, ſed ſecularium bonorum prærogativâ imprimis conſpicuus, zelo quodam Divino commotus & ardore Fidei excitatus, Edictum illud in publico & illuſtri loco affixum detraxit, & tamquam impium ac ſceleſtum manibus ſuis diſcerpſit; idque duobus Imperatoribus in eadem Vrbe commorantibus, quorum unus Senior Auguſtus primum inter omnes Imperii gradum, alter verò quartum obtinebat. Hic igitur cùm primus omnium in ea Civitate hujuſmodi facinore inclaruiſſet, ſtatim ea ſupplicia perpeſſus, quæ poſt tantam audaciam ei infligenda eſſe credibile erat, lætitiam ac tranquillitatem animi uſque ad ultimum ſpiritum conſervavit.* Hunc Euſebius nomine non deſignat, Martyrologia tamen Uſuardi, Adonis, Romanum &c. eum Joannem appellant. Sic enim in Romano die 7. Septembris legitur: *Nicomediæ natalis Beati Joannis Martyris, qui cùm videret crudelia Edicta adversùs Chriſtianos in foro pendere, Fidei ardore accenſus, injectâ manu illa detraxit atque diſcerpſit: cùmque hoc relatum eſſet Diocletiano & Maximiano Auguſtis in eadem Vrbe conſtitutis, omnia ſuppliciorum genera in eum experiri juſſerunt, quæ vir nobiliſſimus tantâ alacritate vultus ac ſpiritus ſuſtinuit, ut ne triſtis quidem pro his videri potuerit.* Lactantio teſte L.de Mort. Perſec.cap.13., præter ordinarias torturas, ſuper cratem ardentem poſitus & flammis ſubtus violenter accenſis, igne conſumtus hoſtia Chriſti effici meruit.

X. Galerius his non contentus, Edictum volebat quod rem ad extremam crudelitatem deferret. Ad hoc ut Diocletianum traheret, immane facinus meditatus fuit. Cùm vehementi fulmine ignis in aliqua Palatii parte accenſus fuiſſet (ut apud Euſeb. Orat. Conſtantini cap.25.) juſſit ſecretò Galerius per ſervos ſuos incendium ad alias Palatii partes extendi; ſpargens, opera Chriſtianorum excitatum fuiſſe, qui unà cum Eunuchis conjuraſſent, utrumque Imperatorem in proprio Palatio vivum comburere. Diocletianus etſi homo callidus, nihil tamen de hoc mendaci artificio ſuſpicatus, ſed toto furore concitatus, confe-

ſtim

ſtim juſſit, ut omnes domeſtici crudeliter torquerentur. Quæſtioni aderat Diocletianus ipſe, & lateri ejus adſtabat Galerius ipſius iram ne tepeſceret magis inflammans. Magiſtratus omnes in reis inquirendis laborabant; ſed cùm ſoli innocentes, excluſis Galerii ſervis, qui verè erant rei, quæſtioni ſubjicerentur, nihil indè extrahi potuit. Quindecim elapſis diebus alterum incendium exarſit quod tamen brevì ſopitum fuit; ſed nec hujus auctor qui fuit idem Galerius, quibuſcumque repetitis quæſtionibus, detegi unquam potuit. Quâ eâdem die Galerius ipſe è Palatio & Nicomedia deceſſit, conclamans, ſe adhuc mediâ hyeme fugere, ne à Chriſtianis in proprio Palatio vivus combureretur. Diocletianus interea magis exaſperatus iram nedum adversùs domeſticos, ſed & adversùs omnes extendit, ut ſtatim dicam.

§. XII.

Martyres Nicomediæ, & S. Georgius.

I. PRimos ſui furoris conatus in Priſcam Imperatricem & uxorem, & Valeriam filiam & Galerii conjugem exercuit, utramque ad ſacrificandum Diis (fortè enim Chriſtianæ erant) adigendo, quod illæ infeliciter præſtiterunt. Tantum earum crimen non diſtulit Deus punire poſt mortem; nam dimiſſo à Diocletianò Imperio, & eo adhuc in vivis agente, omnia infortunia, quæ perſonæ talis conditionis pati poſſunt, & ipſæ paſſæ ſunt; & tandem mandante Licinio, publicè truncato capite eorum corpora in mare projecta fuere anno 313.. Ex Lactantio cap.13. Potentiores inter Eunuchos, qui principales in Palatio antea fuerant, furoris impetum primi experti ſunt, quem illi invictâ conſtantiâ uſque ad mortem ſuperarunt. Hi præcipuè fuerunt Petrus Gorgonius, & Dorotheus ac cæteri cubicularii.

II. De his audire præſtat Euſebium L.8. cap.6.: *Verùm præ omnibus, qui unquam ſive apud Græcos ſive apud Barbaros admiratione digni, & ob fortitudinem celebres extiterunt, glorioſos atque illuſtres Dei Martyres ea tempeſtas tulit. Dorotheum ſcilicet & reliquos cubicularios pueros: qui tametſi ſummi honoris prærogativâ ab Imperatoribus ornati eſſent, nec minùs ab iiſdem diligerentur quàm filii; probra tamen pro pietate tolerata & ærumnas & diverſa mortis genera adversùs ipſos excogitata, majoris reverà pretii eſſe duxerunt, quàm gloriam & delicias hujus ſeculi. Horum igitur unius dumtaxat hic exitum referam, ut ex illo Lectores conjicere poſ-*

possint, quid reliquis contigerit. Productus est in medium quidam illorum in Urbe superiùs memorata (Nicomedia) *coram iis quos dixi Imperatoribus: jussusque Diis sacrificare, cùm id pertinaciter recusaret, nudato corpore sublimis tolli præcipitur, & verberibus concidi, quoad tandem vel invitus jussis obtemperaret. Sed cùm ille hujusmodi tormentis excarnificatus, in eadem sententia firmiùs permaneret; ipsis jam ossibus denudatis, commixtum sale acetum tabescentibus corporis membris infuderunt. Quos dolores cùm ille etiam toleraret, craticula deinceps & ignis in medium affertur: & reliquiæ corporis ipsius instar carnium, quæ ad cibum parantur, igne assatæ sunt; idque non simul ac semel sed paulatim, ne scilicet celeri exitu defungeretur. Nec carnifices qui eum rogo imposuerant, dimittere illum sinebantur, nisi priùs jussis post tot cruciatus acquievisset. Verùm ille in eadem semper sententia perseverans victor ipsis in tormentis animam exhalavit. Hujusmodi fuit Martyrium unius ex Imperatoris cubiculariis, digni professò suo nomine, Petrus enim ille vocabatur. Reliquorum verò Martyria nihilò inferiora, tamen brevitatis studio hìc omittemus. Id tantùm retulisse sufficiet, quòd Dorotheus & Gorgonius unà cum aliis pluribus, qui in Palatio ministrabant, post cujusquemodi certamina elisis laqueo faucibus Divinæ victoriæ præmium adepti sunt*. Hactenùs Eusebius.

III. Vide Lector, quantum unius viri Galerii Diocletiani animum transmutaverit. Hos quos ante speciali dilectione prosequebatur, etiam quòd Christiani essent; quorum fidei res suas imò & personam suam commiserat, repentè velut proditionis reos & quia Christianos, extremo odio execratur, & inauditos atrocibus addicit suppliciis. Hi ejus uxorem Priscam & filiam Valeriam ad Fidem Christi traxisse feruntur, Lact. de Mort. Pers. cap. 15.; diversâ tamen sorte: nam infelices istæ à Fide quam juraverant deficiendo, vitam opprobrio & quidèm sempiterno clauserunt; illis quia in Fide constantibus tormenta & ipsa mors cessit in gloriam ac triumphum. Ex præfata Eusebii narratione colligitur, S. Petrum statim post primum incendium sustinuisse Martyrium, cùm dicatur productus coram duobus Imperatoribus: nam, ut dixi, secuto secundo incendio, eâdem die iniquus Galerius abscessit. Et quidèm non simul & eâdem die fuisse passos indicant Martyrologia Bedæ, Usuardi, Adonis, & Romanum, quæ Passionem S. Petri die 12. Martii colunt, SS. verò Dorothei & Gorgonii 9. Septembris; ubi feruntur eadem tormenta passi, quæ S. Petrus, & tandem laqueo necati; cùm tamen Eusebius hos duos solùm meminerit, laqueo fuisse occisos: sed cùm Eusebius dicat, se ex unius Petri Martyrio nota

nota facere velle quæ aliis contigerunt, credibile fit; Dorotheum & Gorgonium eadem quæ Petrus pertulisse tormenta, & ulteriùs laqueo fuisse necatos.

IV. Horum Martyrum Corpora honorificè sepulta, paulò post Diocletiani jussu fuerunt inde extracta & in mare projecta; ne, ajebat, ipsi Christiani eos adorarent & tamquam Deos haberent (Euseb. L.8. cap.6.): nesciens, honorem, quem nos Martyribus exhibemus, summè inferiorem esse cultu, quo soli Deo servimus. Ad hunc immanem Diocletiani errorem allusisse creditur Lactantius L.5. Instit. cap.11. dum ait: *Nemo hujus tantæ belluæ immanitatem potest pro merito describere, quæ uno loco recubans, tamen per totum Orbem dentibus ferreis sævit, & non tantùm artus hominum dissipat, sed & ossa ipsa comminuit, & in cineres furit, ne quis extet sepulturæ locus: quasi verò id affectent qui Deum confitentur, ut ad eorum sepulcra veniatur, ac non ut ipsi ad Deum perveniant. Quænam illa feritas quæ rabies quæ insania est lucem vivis, terram mortuis denegasse?* Corpus tamen saltem S. Gorgonii è mari fuisse extractum, indicat Martyrol. 9. Septembris, ubi ait: *Interjecto autem tempore Beati Gorgonii Corpus Romam delatum fuit ac viâ Latinâ positum, & inde ad Basilicam S. Petri translatum*: postea autem in Gallias deportatum, testis est Sigebertus in Chron. anno Domini 764.

V. Inter innumeros Martyres, quos hâc occasione Diocletiani rabies immolavit, post trium præfatorum Martyrum, quatuor excubiarum Præfecti, inter quos unus Eusebius vocabatur, ad Fidem unâ cum suis uxoribus conversi, mortem pro Christo subiere. Bollandus hos eosdem esse putat, quos Græci 20. Januarii Bassum Eusebium Eutychen & Basilidem appellant; de quibus in Menol. Basilii hæc habent: *Isti quoque Sancti temporibus impii Diocletiani Imperatoris Martyrium subierunt. Cùm enim primi in Palatio essent, opibusque & gloriâ præcellerent, videntes Sancti Theopempti in perferendo Martyrio atque cruciatibus constantiam, crediderunt in Christum; solutisque cingulis & ante Imperatorem projectis, se Christianos professi sunt. Tunc præcepit Imperator, ut si ex animo id dicerent, irent, & pecuniam suam omnem aliis traderent, qui promtissimo animo id executi sunt. Tunc Sanctus Bassus in altam foveam demissus terrâque usque ad pectus obrutus, præcisis manibus spiritum Domino tradidit. Eusebius verò inter duas columnas inverso capite suspensus, securi intercisus obiit. Eutychius autem manibus pedibusque ad quatuor palos alligatis in tres partes discerptus obdormivit. Demum Basilides gladio discecto per medium ventrem ad Dominum migravit.*

VI. Quia verò præfati quatuor Sancti dicuntur conversi visâ constantiâ S. Theopempti, operæ pretium est ejus referre Martyrium ex eodem Menol. 4. Januarii, ubi sic lego: *Hic temporibus Diocletiani Imperatoris floruit. Cùm autem adversùs Christianos Persecutio mota fuisset, primus omnium in eadem Persecutione Christum professus, Martyrii coronam accepit. Nam comprehensus, in ardentem furnum injicitur, sed inde illæsus evadens, effosso oculorum altero, poculum à Theona Mago, jussu Imperatoris veneno infectum exhaurire cogitur, ut sic interiret. Verùm cùm Theonas illum nullo damno affectum vidisset, in Christum credidit. Tum irâ excandescens Imperator, Sanctum Theopemptum decollari mandavit; Theonam verò in altissimam foveam demitti, & congesto à Lictoribus aggere obrui. Quod cùm factum esset, suffocatus in loco Beatam animam suam Deo reddidit: pro quo uterque Sanctus alacri animo proprium sanguinem profundens, Mundum & quæ in eo sunt abnegavit*. Horum agonem commemorat quoque Martyrol. Rom. die 3. Januarii: addens Zosimum & Athanasium Commentariensem; quos tamen dicit passos fuisse in Cilicia. Hoc tamen ad præsens intentum parùm refert.

VII. Redeundo autem ad quatuor prælaudatos Martyres, fertur quòd eorum servi cum uxoribus & filiis numero 100., se Diocletiano Nicomediæ præsentarunt, dicentes se Christianos esse, quos repertos in Fide constantes trucidari jussit. De his agunt Græci 7.Februarii: in Menol.Basil.; in hoc diversi, quòd Martyres ad tria millia extendunt, & S. Petrum nominant, quem faciunt Alexandriæ Episcopum: sic ergo dicunt: *Certamen Sanctorum trium millium Martyrum, qui Nicomediæ Martyrium passi sunt. Isti subditi fuerunt quatuor Protectoribus, qui à Diocletiano Imperatore missi, Sanctum Petrum Alexandriæ Archiepiscopum comprehensum decollarunt: tum ad Christi Fidem conversi unà cum omnibus suis post Sancti Petri mortem, ipsi etiam pro Christo cæsi sunt. Videntes autem pro Christo suos Dominos mori, tristes & zelo incensi, assumtis uxoribus suis & liberis omnibusque propinquis, venerunt Nicomediam; & in conspectu Imperatoris exclamarunt dicentes: nos etiam Christiani sumus: quod ubi audivit Diocletianus, turbatus & irâ excandescens, primùm quidem blanditiis illos inducere conatus est, ut Christum abnegarent; verùm cùm nihil profecisset, præcepit Militibus, ut gladiis illos coram se conciderent*. Horum Martyrium aliqui ad ann. 304. alii ad 305. referunt: sed hæc cum morte S. Petri Alexandrini Episcopi non cohærent, quam Baronius ad ann.310. protrahit.

VIII. His ergo relictis ad certiora transeo. Persecutio, quæ à Pa-

à Palatio Imperatoris initium ſumſerat, ad Eccleſias Nicomediæ furorem extendit. Ferunt Græci in Menol. 28. Decembris, quòd cùm Chriſtiani in Feſto Natalis Domini Nicomediæ in Eccleſia conveniſſent, omnes numero 20. millia, unico excepto Epiſcopo, qui ut alios juvaret à Deo ſervatus fuit, igne combuſti ſunt. Hoc idem confirmant Latini in Martyrol. Rom. 25. Decembris his verbis: *Nicomediæ paſſio multorum millium Martyrum, qui cùm in Chriſti Natali ad Dominicum conveniſſent, Diocletianus Imperator januas Eccleſiæ claudi juſſit & ignem circumcirca parari, tripodemque cum thure præ foribus poni, ac præconem magnâ voce clamare, ut qui incendium vellet effugere, forâs exirent & Jovi thus adolerent; cùmque omnes unâ voce reſpondiſſent, pro Chriſto ſe libentiùs mori; incenſo igne conſumti, eo die naſci meruerunt in Cœlis, quo Chriſtus in terris pro ſalute Mundi naſci dignatus eſt*. Alii etiam, qui extra rogum fuerant, diverſis ſuppliciis affecti ſunt, ut Indes Eunuchus alligato ad collum ſaxo in mare demerſus, Zeon copiarum dux contuſis ſaxo oculis ac dentibus, unà cum Dorotheo præpoſito, capite plexus: Mardonius igni combuſtus; Mygdonius in foveam injectus; Glycerius Presbyter flammis traditus; Theophilus Diaconus præciſâ linguâ in campo lapidatus, & complures alii eodem die coronam Martyrii acceperunt. Quorum omnium Sacras Reliquias Sancta Domna ſepelivit, deinde navigio impoſitas honeſto loco abſcondit. Quare delata, primùm capite plectitur, mox igni comburitur. Aliquorum ex præfatis meminit Martyrol. Rom. eâdem die, addens Agapen & Theophilam Virgines; cum hoc diſcrimine, quòd Græci hos Martyres volunt ſub Maximiano fuiſſe coronatos, Martyrol. verò ſub Diocletiano, ait enim: *Nicomediæ Sanctorum Martyrum Indis Eunuchi, Domnæ, Agape & Theophilæ Virginum & ſociorum, qui in Perſecutione Diocletiani poſt longa certamina diverſo mortis genere coronam Martyrii ſunt aſſecuti*. Et hoc verius puto, Maximianus enim Nicomediæ tunc non erat.

IX. Anthimus Nicomedienſis Epiſcopus capite truncatus eſt (referente Euſebio L. 8. cap. 6.) de quo Martyrol. Rom. 27. Aprilis ait: *Nicomediæ natalis Sancti Anthimi Epiſcopi & Martyris, qui in Perſecutione Diocletiani ob confeſſionem Chriſti Martyrii gloriam capitis obtruncatione ſuſcepit. Sequuta eſt quoque illum univerſa penè gregis ſui multitudo, quorum alios Judex gladio obtruncari, alios ignibus conflagari, alios navigiis impoſitos pelago immergi fecit*. Cauſa tantæ ſtragis, ut dixi, fuit incendium calumnioſè Chriſtianis imputatum. Propterea capti Presbyteri &

Ministri Ecclesiæ, cùm tanquam incendiarii puniri defectu probationum non possent, puniebantur quia Christiani, & quotquot ad eos pertinebant, trahebantur cum eis ad supplicium. Hinc (ait Eusebius) *Imperiali jussu quotquot illic erant Dei cultores, acervatim cum suis famulis alii gladio, flammis alii consumti periere. Tunc Divinâ quâdam alacritate, quæ verbis explicari non potest, conciti Viri simul ac Mulieres in ardentem rogum insiliisse dicuntur. Alios quoque innumerabiles vinctos & scaphis impositos Carnifices in profundum mare projecere.*

X. Eâdem crudelitate, ut scribit Lactantius L. de Mort. Persec. cap.15., in reliquos de Nicomediæ Populo agebatur. In omnibus Templis assidebant Judices, qui omnes ad sacrificandum compellerent, & renuentes morti addicerent. Carceres hisce innocentibus adeò pleni erant, ut nullus verè criminosis superesset locus, & nova in dies pro eis torquendis & necandis excogitabantur supplicia: ac ne fortè contingeret, ut erga aliquem Christianum justitia non redderetur, ubique coram Judicibus disposita erant Altaria, ut sic priùs contra Deum sacrilegi fierent, quàm causam coram homine dicerent. Ex quo fit ut innumerabiles hâc occasione Martyrologia nobis exhibeant Nicomediæ passos, & inter cætera Romanum 2. Octobris dicat: *Nicomediæ Sancti Eleutherii Militis & Martyris cum aliis innumeris, qui, cùm Diocletiani Regia incendio flagrasset, falsò hujus criminis accusati, jubente eodem sævissimo Imperatore acervatim necati sunt: quorum alii gladiis obtruncabantur, alii ignibus cremabantur, alii in mare præcipitabantur. Sed horum primus Eleutherius, cùm diù cruciatus per singula tormenta validior redderetur, Martyrium victoriæ suæ, ignibus velut aurum examinatus, complevit.* S. Eleutherium Militem facit Martyrol. Romanum, quia, inquit Baronius ex Eusebio L. 8. cap.4., Persecutio à Militibus cœpit.

XI. Hoc tempore à Græcis collocatur Martyrium S. Euphrasiæ, quæ à Beato Anthimo servare Fidem & Virginitatem edocta, utramque extraordinario modo servasse dicitur. Ita enim in Menol. Basilii 19. Januarii dicunt: *Sancta Martyr Euphrasia Maximiano Imperatore, ex Urbe Nicomedia fuit pari & generis & morum laude commendata. Comprehensa autem & Idolis sacrificare compulsa, cùm id facere detrectaret, barbaro & agresti homini violanda traditur: quæ versta, ne sibi vis inferretur, hujusce-modi artificium excogitavit. Si me, inquit ad illum, dimiseris, dabo tibi pharmacum, quod si gestaveris, nec gladius nec aliquid quidpiam tibi nocebit, nec vulnus infligere poterit, sed ab hastis ensibus telisque incolumis & illæsus servaberis. Cui ille: Hoc equidem*

dem discere vellem mihique persuaderi. Tum Euphrasia extento statim collo: Percute, inquit, gladio: nec enim poteris caput mihi amputare. Qui adhibita illius verbis fide, gladio eam percussit & caput à cervicibus abscidit. Atque ita ab eo erepta est. Ita Græci: penes quos fides sit, hæc enim S. Euphrasia Latinis est ignota.

XII. Inter eos, qui initio Persecutionis anno 303. passi sunt Nicomediæ, enumerantur S. Georgius; inter Martyres quidèm celeberrimus, sed cujus Acta nimiâ varietate etiam Antiquis suspecta fuere: ideòque anno 494. à Gelasio in Concilio Romano rejecta fuere tanquam ab Hæreticis vel Viris indoctis ac superstitiosis conficta. Ex quo concludi videtur, quòd cætera à Posterioribus elaborata velut ab impuro fonte prodeuntia eâdem suspicione laborarent. Unde Ecclesia in Martyrol. Rom. 23. Aprilis & in Breviario ejus quidèm ut Martyris Festum ac Officium celebrat, sed in ejus gestis recensendis jure quidèm merito sobria est. Locus & tempus ejus Martyrii nec etiam constant; Bollandus tamen probabile censet, eum Nicomediæ die Veneris 23. Aprilis anni 303. initio Persecutionis fuisse passum: à quo non dissentior.

XIII. Ne tamen de S. Georgii Actis meum Lectorem prorsùs jejunum dimittam, referam quæ de illo Græci in Menol. Basilii habent die 23. Aprilis, nimirùm *Georgius Christi Martyr fuit imperante Diocletiano ex Regione Cappadociæ, illustri genere, ac dignitate comes. Persecutione autem adversùs Christianos excitatâ, cùm illi diebus singulis mactarentur, ipse coram Tyranno intrepidè se sistens, eum redarguit. Idcircò hastili in ventre percussus, & rotæ acutis undique ferreis circumseptæ cuspidibus alligatus, supernè exsolutus fuit: deinde in frusta dissectus, interim incolumis evasit atque insperatò Imperatorem conveniens, multos ad Christi Fidem amplectendam induxit. Post hæc variis tormentis iterùm excruciatus, Magentio signum aliquod exposcente, Virum quendam, qui longè antea mortuus fuerat ad vitam revocavit: unde similiter plures Christo nomen dederunt, inter quos fuit quidam nomine Glycerius, cujus mortuum bovem Sanctus Georgius vitæ restituerat, qui etiam capite plexus est. Ipsi autem Sancto Georgio, cùm Idola precibus subvertisset, gladio caput amputatum fuit.* Ita Græci, quæ Lectoris judicio relinquo discutienda. De Glycerio agit Martyrol. Rom. 21. Decembris, quem passum Nicomediæ & Presbyterum facit: an verò idem sit, an ille de quo supra, dubito.

XIV. Acta verò à Gelasio conficta, teste Baronio in Notis ad diem 23. Aprilis, multa portentosa mendaciis referta & Martyre indigna, quæ non ad pietatem legentes sed ad Infidelita-

litatem potiùs adducerent, hæc continebant: suspectum S.Georgii contubernium Viduæ ; artem dolosam ejusdem ad perdendos Gentiles ; innumera præterea tormenta, quibus nec mori potuit, ut præter equuleos ungulas crates ferreas ignitas rotamque mucronibus undique præfixam, calceosque armatos clavis, quæ & in aliis leguntur Actis, etiam arcam ferream clavorum cuspidibus intùs ad feriendum aptatam, præcipitium, contusiones malleis ferreis iteratas, columnam ingentis ponderis super eum positam, ingentisque molis saxum super caput revolutum, ferreum ignitum stratum, liquens plumbum super effusum, quadraginta ignitos clavos, quibus est confossus, æneum bovem candentem, demersionem in puteum ingentis ponderis saxo ad collum alligato, quibus nec quidèm occidi potuisse tradunt. Ad hæc insuper fingitur ibi Datinnus quidam Imperator, qui Persis dominetur, & septuaginta quinque Regibus imperet, sub quo Georgius passus sit, aliaque multa, quæ potiùs fabulæ, quàm vera historia Martyris videntur.

XV. Sed quod maximè movit Gelasium ad ea tanquam ab Hæreticis consarcinata rejicienda, fuisse puto conflictum illum quem narrant Georgii cum Athanasio Mago. Ibi enim impius auctor alludit ad Georgium Arianum Episcopum invasorem Sedis Alexandrinæ, & S. Athanasii ejus Sedis Episcopi audacissimum Persecutorem. Porrò S. Athanasium ab Arianis esse appellatum *Magum*, Acta Tyrii Conciliabuli satis docent: apud Gentiles etiam hanc de eo sparsam fuisse calumniam, constat ex Ammiano Marcellino Lib.15.: verùm hunc Georgium Arianum Episcopum, defuncto Constantio Imperatore occisum esse ob ejus scelera Alexandriæ, & relatum à suis inter Martyres, liquet, testante id etiam eodem Marcellino L.22.: ex quibus apparet, totam illam fabulam fuisse Arianorum Commentum. Ita ex Baronio, qui addit se vidisse alia S. Georgii Acta, sed quæ sincera sint, judicari non posse.

XVI. Verùm quidquid sit de veritate Actorum, certum est (quod meo argumento sufficit) S. Georgium fuisse Martyrem & quidèm insignem, quem Reges in militari conflictu Patronum invocare solitos, ac eundem propitium expertos esse, ostendunt ea, quæ de Nicephoro Imper. scribit Cedrenus in Compend. histor., & quæ Paulus Diaconus de Gest. Longobard. L. 6. cap.5. tradit de Chuniperto Rege, qui ob ingentem ejus patrocinio invocato de hostibus partam victoriam, Basilicam & Monasterium in honorem ejusdem Martyris erexerunt. Romana ipsa Ecclesia ad expugnandos Fidei hostes hunc præcipuè Martyrem invocare con-

consuevisse, testatur Ordo Rom. de Divin. Offic., & in Sacrament. S. Gregorii adest Festum S. Georgii cum præfatione propria, imò ut colligitur ex Lib. 11. Epist. 73., temporibus ejusdem S. Gregorii erat Ecclesia S. Georgii reparatione indigens, & consequenter anno 601. satis antiqua, quæ paulò post ejus Martyrium credi potest in ejus honorem erecta. Hoc ex dictis colligat Lector, & ex aliis, quæ in Martyrologiis leguntur, tot Nicomediæ hoc anno 303., & sequentibus, Martyrio coronatos fuisse, ut vix numerari possint: hæc tamen initia fuere, ut videbimus.

§. XIII.

Publicantur Libri contra Christianos.

I. EOdem tempore, quo Nicomediæ Ecclesiæ solo æquabantur, & gladio feriebantur Christiani, non defuere ibidem, qui Religionis Christianæ Veritatem calamo etiam aggredi tentarint. Lactantius, qui tunc temporis Nicomediæ in Bithynia Oratorias Litteras docebat, lib. 5. Inst. cap. 2. hoc refert, & duos fuisse dicit; quo tamen nomine vocarentur, non indicat. Unus ex eis Philosophiæ Magistrum se ostentabat, Philophi tamen nec vitam nec mores gerebat: moderationem, frugalitatem, paupertatem publicè commendabat: *Verùm* (inquit Lactantius) *ita vitiosus, ut continentiæ Magister non minùs avaritiâ quàm libidine arderet, in victu tam sumtuosus ut in schola virtutis assertor, parsimoniæ paupertatisque laudator, in Palatio pejùs cœnaret quàm domi: tamen vitia sua capillis & pallio (quod maximum est velamentum) divitiis prætegebat, quas ut augeret, ad amicitias judicum miro ambitu penetrabat, eosque sibi repentè auctoritate falsi nominis obligabat, non modò ut eorum sententias venderet; verùm etiam ut confines suos, quos ædibus agrisque pellebat, à suo repetendo hâc potentiâ retardaret.*

Hic verò qui suas disputationes moribus destruebat, vel mores suos disputationibus arguebat, ipse adversùs se gravis censor & accusator acerrimus eodem ipso tempore, quo justus Populus nefariè lacerabatur, tres Libros evomuit contra Religionem nomenque Christianum, professus ante omnia, Philosophi officium esse, erroribus hominum subvenire atque illos ad veram viam revocare, idest ad cultus Deorum, quorum numine ac majestate (ut ille docebat) Mundus gubernetur, nec pati, homines imperitos quorumdam fraudibus illici, ne simplicitas eorum prædæ ac pabulo sit hominibus astutis . . . & etiam

& etiam ut obstinatione depositâ corporis cruciamenta devitent, nec sævas membrorum lacerationes frustra perpeti velint. Ut autem appareret; cujus rei gratia Opus illud elaborasset, effusus est in Principum laudes, quorum pietas & providentia (ut quidèm ipse dicebat) cùm in cæteris rebus humanis, tum præcipuè in defendendis Deorum Religionibus claruisset.... Ubi autem Religionis ejus, contra quam perorabat, infirmare voluit rationem, ineptus vanus ridiculus apparuit, quia gravis ille consultor utilitatis alienæ, non modò quid oppugnaret, sed etiam quid loqueretur nesciebat. Hæc aliaque Lactantius de hoc inepto & insano adulatore potiùs quàm Philosopho, qui ut gratiam Principum aucuparetur, eodem quo isti tempore Religionem Christianam gladio persequebantur, eam scriptis invadere conatus est: sed pro merito contemtus, gratiam, quam sperabat adeptus non est, & gloria, quam captavit, in culpam & derisionem ei conversa est.

II. Estò autem, ut dixi, nomen hujus Scriptoris Philosophi indicare Lactantius non curaverit, putant tamen plures cum Baronio ad ann.302. num.51., & illum fuisse Porphyrium famosum Christianorum hostem, quem Patres, & præcipuè S. Augustinus pluribus in locis, impugnarunt. Fertur fuisse patriâ Tyrus, natione Judæus, & aliquandò Christianus, postea tamen desertor & Apostata factus, vel Gentilis vel Gentilium adulator. Ejus à Christo discessionis causa fuit ejus arrogantia & superbia. Cùm enim à quibusdam Christianis de quodam errore reprehensus fuisset, hoc ferre non valens vir tumens, Christo terga vertit & Christianos scriptis lacessere cœpit. Propterea illum increpat S. August. L.10. de Civit. Dei cap.28. Serm.241. (aliàs 143. de tempore) cap. 7. & alibi sæpe, & Socrates L. 3. hist. cap.23., illum comparans Apostatæ Juliano ait: *Num verò illi* (Juliano) *idem contigisse videtur quod Porphyrio. Etenim iste cùm apud Cæsaream Palæstinæ à quibusdam Christianis verberatus fuisset, iram comprimere non valens, præ nimio furore Christianam Religionem deseruit: & odio illorum, à quibus cæsus fuerat, impulsus, Libros maledicentissimos adversùs nomen Christianum composuit.*

III. Cœterùm non omne simul Porphyrius virus effudit; sed primùm tres illos Libros quorum Lactantius meminit, dum esset Nicomediæ, ut ipse testis fuit, quibus alios postea elaboratos addidit usque ad quindecim. Adjecisset & alios, nisi Constantius exterruisset, à quo in exilium pulsus est. Talem ergo Religio Christiana habuit in Porphyrio Philosopho adversarium; hominem Apostatam ac livore obcæcatum Christianorum eversioni conglo-

glomeratis mendaciis unicè studentem ultra, alia quæ doctrinæ suæ contraria moribus profitebatur, ut ex Lactantio dixi.

IV. Nunc qualis fuerit alter, qui Christianos scriptis aggressus est, videamus. Sic ergo Lactantius prosequitur: *Alius eandem materiam mordaciùs scripsit; qui erat tunc è numero Judicum, & qui author in primis faciendæ Persecutionis fuit; quo scelere non contentus, etiam scriptis eos quos afflixerat insecutus est; composuit enim libellos duos, non contra Christianos, ne inimicè insectari videretur, sed ad Christianos, ut humanè & benignè consulere putaretur; in quibus ita falsitatem Scripturæ Sacræ arguere conatus est, tanquam sibi esset tota contraria: nam quædam Capita, quæ repugnare sibi videbantur, exposuit, adeò multa adeò intima enumerans, ut aliquando ex eadem disciplina fuisse videatur. Quod si fuit, quis eum Demosthenes poterit ab impietate defendere? qui Religioni cui fuerat assensus, & Fidei cujus nomen induerat, & Sacramenti quod acceperat, proditor factus est? nisi fortè casu in manu ejus Divinæ Litteræ inciderunt. Quæ igitur temeritas erat id audere dissolvere, quod illi nemo interpretatus est? Benè, quòd aut nihil didicit aut nihil intellexit.*

V. Sed cùm Scriptor iste præcipuè Petrum, Paulum, cæterosque Discipulos, tanquam fallaciæ seminatores, & simul asserat eos fuisse rudes indoctos, & quosdam eorum piscatorio artificio fecisse quæstum; illum cap. 3. ita Lactantius redarguit: *Abfuit ergo ab his fingendi voluntas & astutia, quoniam rudes fuerunt. Aut quis possit indoctus apta inter se & cohærentia fingere, cùm Philosophorum doctissimi Plato & Aristoteles & Epicurus & Zenon ipsi sibi repugnantia & contraria dixerint? Hæc est enim mendaciorum natura, ut cohærere non possint.* Deinde ostendens, inter Apostolorum dicta summam esse cohærentiam, ait: *Illorum autem traditio, quia vera est, quadrat undique ac tota sibi consentit; & ideò persuadet, quia constanti ratione suffulta est; non enim quæstus & commodi gratiâ Religionem istam commenti sunt, quippe qui & præceptis & re ipsâ eam vitam secuti sunt, quæ & voluptatibus caret, & omnia quæ habentur in bonis spernit, & qui non tantùm pro Fide mortem subierint, sed etiam morituros esse se & scierint & prædixerint, & postea universos, qui eorum disciplinam secuti essent, acerba & nefanda passuros.* Ita validè eum perstringit Lactantius.

Verùm non solos Apostolos, sed Christum ipsum impostor iste infamare conatur; sequitur enim: *Ipsum autem Christum affirmavit, à Judæis fugatum, collectâ noningentorum hominum manu latrocinia fecisse.* Hanc blaspemiam Lactantius impugnat,

 seu

ſeu deſpiciens irridet, dicens: *Quis tantæ auctoritati audeat repugnare? Credamus hoc planè. Nam fortaſſe illi hoc in ſomnis Apollo aliquis nuntiavit. Tot ſemper latrones perierunt & quotidiè pereunt: utique multos & ipſe damnaſti; quis eorum poſt Crucem ſuam, non dicam Deus, ſed homo appellatus eſt? Verùm tu forſitan ex eo credidiſti, quia vos homicidam Martem conſecraſtis ut Deum, quod certè non feciſſetis, ſi illum Areopagitæ in crucem ſuſtuliſſent*. Proſequitur deinde Lactantius, oſtendens ex multis & præcipuè ex Prophetarum oraculis, Chriſto convenire ea, quæ nemini hominum convenire poſſunt, quæ, ne moleſtus evadam, dimittam.

VI. Supereſt determinare, quis fuerit iſte alter Scriptor, qui adversùs Chriſtianos calamum acuit. Fuiſſe Hieroclem Baronius citato loco num. 58. autumat. Hic Judex erat, qui eo tempore Præfecturam Auguſtalem exercebat Alexandriæ, ut tradit Epiphanius hæreſ. 68.: hic contra Chriſtianos Libros ſcripſit, quos titulo *Veritatis Amatoris* velut fucato melle linivit. Is unus fuit ex præcipuis Conſiliariis, qui Diocletianum ad perſequendos Chriſtianos incitavit, ac ſimul eos ſcriptis aggreſſus eſt: quem Euſebius ſpeciali opere confutavit, ac præcipuè quoad ea quæ de Apollonio Tyaneo Mago dicit, quem comparare conatur, imò Chriſto præponere contendit. Ita eodem tempore conſpirabant Chriſti hoſtes & ad eripiendam Chriſtianis vitam corporis & ad delendam ab eorum mentibus veritatem. At de utroque hoc conatu Chriſtus in ſuis Fidelibus triumphavit.

§. XIV.

Publicantur Edicta contra Chriſtianos.

I. HActenùs de Geſtis Nicomediæ poſt Decretum de perſequendis Chriſtianis actum eſt: modò de ejuſdem publicatione ac executione in aliis Imperii partibus ſermo erit. Diocletianus ergo Edictum præfatum ad Maximianum Herculium & ad Conſtantium, ut ipſi pro parte ſua illud exequerentur, tranſmiſit. Et ſingulare quidèm & contra morem ac ſpiritum Diocletiani, quòd rem hanc abſque eorum conſilio decreviſſet: ſed Galerii ferocia ac præceps animus contra Chriſtianos has formalitates & dilationes pati nequiverat. Herculius tamen etſi non conſultus, acceptis Diocletiani litteris, ac videns ſtatutum id quod ſuo genio crudeli & barbaro maximè conſentaneum erat, libenter obſecundavit, eaſque omnimodæ executioni in

in Italia & Africa tradi præcepit. De Constantio verò qui Gallias administrabat, quid egerit, infra dicetur.

II. Edictum de Ecclesiarum demolitione circa Festum Paschatis in fine Martii & initio Aprilis, Eusebio teste L.8.cap.2., in Ægypto & Palæstina publicatum fuit, imò alicubi ut Antiochiæ & Cyri ipsâ Christi Passionis die executioni mandatum, quæ fuit 16. Aprilis, ut asserit Theodoritus L. 5. hist. cap. 38.. In totius Africæ Coloniis ac Urbibus affixum, singulisque Principibus & Magistratibus intimatum, imò Cirthæ in Numidia die 19. Maii executioni demandatum fuit: & quamvis Tibari in Proconsulari Provincia solùm 5. Junii affixum fuerit, Magistratus tamen, odio quo adversùs Christianos ferebantur incitati, etiam ante affixionem in eorum Urbibus opere illud exequebantur. Vi ergo præfati Edicti tenebantur Judices Ecclesias demoliri, ac insuper è manibus Episcoporum ac Presbyterorum sacros Codices eripere eosque igni tradere: itaut nec Judices ipsi sine suo exitio possent quemquam dimittere, nisi eum priùs ad tradendos de facto sacros Codices obligassent, ut refert S. August. in Collat. 3. diei cap. 15.. Nec contenti erant Ecclesias demoliri, sed & Cathedras Episcopales & Ecclesiæ portas extrahebant & comburebant, hoc enim Edictum præcipiebat. Hinc Magistratus ipsi Ecclesias adeuntes Episcopos aliosque Ministros ad tradendas Sacras Scripturas sub pœna mortis adigebant, ac simul bona omnia ad Ecclesias pertinentia præcipuè sacros Calices, lampades, candelabra, & si quæ erant alia vasa aurea vel argentea vel ærea vestesque sacras asportabant; quæ tanto rigore exigebant, ut pœna mortis ea occultantibus immineret: quod si in aliqua etiam privata domo sacri Codices reperti fuissent, domus illa quasi locus conventus esset, flammis tradebatur.

III. Porrò quia multi nedum ex Laicis sed ex sacris Ministris, tum inferioribus tum Diaconis & Presbyteris, tùm ex Episcopis aliqui, pluris temporalis vitæ quàm æternæ jacturam facientes, sacros Codices tradidere; hi à traditis Scripturis *Traditores* vulgò nuncupati fuere. Cujus criminis multos etsi innocentes insimulare Donatistæ consueverant, imò ex hoc crimine falsò imputato Cæciliano & aliis occasionem suæ schismaticæ ab Ecclesia Catholica secessionis sumsere. De hoc Donatistæ inter cæteros accusarunt Fundanum in Africa Episcopum. Fertur, quòd cùm Magistratus ignem ad sacros Codices comburendos accendi jussisset, Cœlum antea serenum illicò nubibus coopertum ingentem mixtam grandine pluviam effudit, quâ ignis

extinctus fuit, & variæ in tota Regione deprædationes secutæ fuere in vindictam sacrilegii, quod adversùs Divinos Libros attentabatur. Lugendum laxitatis exemplum reliquisse traduntur Paulus Cirthensis Episcopus & multi ejusdem Urbis Ecclesiastici, qui sacros Codices Persecutoribus tradidere, ut Acta Minutii Felicis 19. Maii anni 303. fidem faciunt, quæ apud S. August. L. 3. contra Cresconium leguntur cap. 29.

IV. Alii tamen & quidèm multò plures supplicia & mortem pati, quàm Divina prodere maluerunt; & non soli Ecclesiarum Præsules ac Ministri, sed & Laici patres-familias aliqui: inter Episcopos claruit S. Felix Tibarensis Antistes, qui à Magistratu ejusdem Urbis sextâ Junii comprehensus, & Carthaginem ad Proconsulem ductus, inde Romam ad Præfectum Prætorio traductus, tandem ad Maximianum Herculium remissus, Venosæ in Apulia 30. Augusti Martyrio coronatus fuit; de quo inferiùs dicam. Imò in aliquibus adeò excrevit ardor & zelus, ut Christianæ prudentiæ regulas excessisse judicatum fuerit. Hi enim nec capti nec quæsiti, spontè Persecutoribus se præsentabant & dicebant, se habere quidèm penes se sacros Codices, sed nunquam illos fore tradituros. Hoc tamen Mensurio tunc Carthaginensi Episcopo probatum non fuit (unde habetur apud S. Augustinum Collat. 3. diei cap. 13.) *Eos qui se offerrent persecutionibus non comprehensi, & ultrò dicerent, se habere Scripturas, quas non traderent, à quibus hoc nemo quæsierat, displicuisse Mensurio, & ab eis honorandis eum prohibuisse Christianos.* E' contra autem ibidem habetur, quòd Secundus Tigitanus ad Mensurium scripsit: quòd *qui comprehensi & Scripturas sanctas tradere nolentes & multa mala passi, & gravissimis suppliciis excruciati & occisi sunt, eosque honorandos pro Martyrii sui merito commendavit: laudans eos non tradidisse Scripturas sanctas, illius Mulieris exemplo, quæ exploratores in Jericho, in quibus figurarentur duo Testamenta Vetus & Novum, tradere Persecutoribus noluit.* Quibus apparet Martyrii non esse sese offerre Persecutori, sed à Persecutore quæsitum constanter ei denegare, si petat aliquid contra Fidem.

V. Non obstante tamen generali ac severo Edicto de omnibus ubique Ecclesiis diruendis, aliquæ etiam in Provinciis, in quibus furebat Persecutio, aliquo saltem tempore perstitere. Heracleæ in Thracia apertæ usque ad ultimam anni diem permanserunt; postea tamen sigillatæ, dein discoopertæ, partim dirutæ, & tandem cum suis Codicibus concrematæ fuerunt. In Galatia quamvis Theotecnes Præses apertus Christianorum hostis Edictum de Ecclesiis demoliendis & Altaribus ubique promul-

mulgasset, aliquæ tamen Ancyræ solùm clausæ erant circa mensem Maii, & una quindecim ab Urbe leucis distaus aperta & libera Christianis permansit: & S. Gregorius Nyssenus refert, circa finem seculi 4. extasse adhuc Neocæsareæ Ponti Ecclesiam illam, quam S. Gregorius ibi Episcopus erexerat. Unde Baronius ad ann. 245. num. 3. asserere non timet, quòd Ecclesia illa inter miracula erecta, sicut nullo terræmotus impetu potuit labefactari, quamvis tota Civitas funditùs propemodùm periisset: ita majori miraculo, cunctis Ecclesiis Diocletiani Edicto dirutis, illa integra ac illibata permansit. Theodoritus tamen L. 5. hist. cap. 39. dicit, quòd Diocletianus *cunctas in Orbe Romano Ecclesias destruxit: verùm exactis postea novem annis, eædem iterùm florere cœperunt, multòque majorem, quàm antea splendorem atque amplitudinem adeptæ sunt.* Cæterùm hoc non tollit, quin in tot Regionibus aliquæ licèt paucæ remanserint.

VI. Quoad Sacrorum Codicum traditionem fateri oportet, ingentem fuisse eorum numerum ex quocumque statu, qui metu tormentorum perterriti, eos tradiderunt, dicti propterea *Traditores*. Sed propè infinitus fuit illorum, qui nullâ concussi formidine, ne Codices sacros proderent, lubenti animo mortem exceperunt, quorum unâ die, nempè 2. Januarii, Romæ memoria celebratur his verbis in Martyrol.: *Romæ commemoratio plurimorum Sanctorum Martyrum, qui spreto Diocletiani Imperatoris Edicto, quo tradi sacri Codices jubebantur, potiùs corpora carnificibus, quàm Sancta dare canibus maluerunt.* Si ergo unâ die plurimi Romæ potiùs mori, quàm sacros Codices tradere voluerunt, quot aliis temporibus & partibus Orbis idem fuisse credendum est? Ex Actis SS. Agapis Quioniæ & Irenes constat, Thessalonicæ Feminas Christianas insciis eorum parentibus & aliis sacros Codices abscondisse, paratas mori potiùs quàm eos prodere: imò ut Persecutorum instantias super hoc evitarent, in desertos montes nemine conscio aufugisse, ubi solum Cœlum eis pro tecto erat, & Dei providentiâ alebantur. Sed de SS. Agape Quioniâ & Irene inferiùs dicam.

VII. Quod verò spectat ad Martyres in hac Persecutione supra numerum coronatos, eorumque alacritatem in subeundis etiam atrocioribus tormentis, aliqua dicam inferiùs, dum celebriora quorundam Martyria exponam. Nunc in generali loquendo videndus est Eusebius L. 8. hist. cap. 9. & L. 2. de Vita Constantini cap. 52., ubi priùs Imperator ille ait: *Licuit tunc, licuit, inquam, videre, quantâ cum libertate venerabiles Dei cultores ob continuam crudelitatem gravissimas quotidie contumelias tole-*

ra-

rarent. Quippe modestiam, quam nec hostes ipsi ullâ unquam affecerunt injuriâ, efferati Cives probris omnibus incessere pro nihilo duxerunt. Quodnam incendium, quod cruciatuum & tormentorum genus cuivis corpori & ætati absque ullo discrimine admotum non fuit? Eâ tempestate tellus quidèm ipsa procul dubio lacrymas edidit: Cælum verò, quod universa suo ambitu complectitur, cruore inquinatum ingemuit. Ipsa quoque diei lux præ luctu atque horrore tanti prodigii obscurata est. Hisce Constantinus, qui adhuc adolescens multa viderat, Persecutionis immanitatem exaggerat.

Sulpitius quoque Severus L.2. hist. num.47.; *Quâ tempestate*, inquit, *omnis ferè sacro Martyrum cruore Orbis infectus est. Quippè certatim gloriosa in certamina ruebatur, multòque avidiùs tum Martyria gloriosis mortibus quærebantur, quàm nunc Episcopatus pravis ambitionibus appetuntur. Nullis unquam magis bellis Mundus exhaustus est: neque majore unquam triumpho vicimus, quàm cùm decem annorum stragibus vinci non potuimus.* De numero autem Christianorum, qui hâc generali cæde sublati sunt, si ex iis, qui uno mense sunt passi, totius decem annorum temporis, quo strages & quidèm semper acerbior perduravit, rationem habeamus, in immensum crescet Martyrum multitudo. Nam Anastasius L. de Rom. Pont. in Marcellino dicit, quòd adeò magna fuit Persecutio, *ut intra triginta dies decem & septem millia hominum promiscui sexus per diversas Provincias Martyrio coronarentur Christiani*. Statuerant enim Diocletianus, & Maximianus Galerius, & Herculius Imperatores Christianam Religionem penitùs è Mundo tollere ac radicitùs extirpare. Nos celebriores saltem exponemus.

§. XV.

SS. Agathopes, & Theodulus, S. Felix Thibaritanus Martyres.

I. EOdem anno 303. mense Aprili Thessalonicæ contigisse videtur passio SS. Agathopis seu Agathopodis Diaconi & Theoduli Lectoris sub Faustino Judice. Hi Deo & Jesu Christo unicè servientes, omnia quæ Mundi sunt contemnebant, & licèt non sanguine, spiritu tamen & caritate conjuncti erant, Agathopes ætate jam provectus totam vitam coronâ Martyrii dignam transegerat: Theodulus verò ex una inter præcipuas Thessalonicæ Familias adhuc juvenis ad Lectoratum promotus, Fidelibus Apostolorum & Prophetarum scripta in Ecclesia legebat, ac Dæmones signo Crucis ejecisse perhibetur. Tres ei erant

fra-

fratres ſanguine & pietate germani, Capiton, Metrodorus, & Philoſtorgius. Ante Perſecutionem aliquod ſui Martyrii pignus creditur eos accepiſſe.

Publicatâ Perſecutione, cùm ut dixi ad Eccleſiarum demolitionem non ſtatim ventum ſit, non latebras, ut alii, quærentes, ſed in Eccleſia ſtantes, jejuniis & lacrymis rogabant Deum, & publicè Verbum Dei prædicabant. Quare à Magiſtratu detenti coram Fauſtino Præſide adducti fuere, qui eorum alacritatem in dictis & reſponſis intuitus, Theodulum blandis verbis lucrari ſeorſim aggreſſus eſt; ſed videns, ſe nihil proficere, eo ſemoto, Agathopi ſuadere ſtuduit, ejus ſocium Theodulum promiſiſſe ſe Diis immolaturum, aſſerens. Hoc mendacium irriſit Agathopes: & Fauſtinus utrumque carceri deſtinavit; metuens, ne eorum conſtantiæ exemplo alii Chriſtiani, quos in carcere detinebat, animati magis in Fide confirmarentur. Multi interea ad carcerem convolarunt: quidam ut eos à Fide averterent ſpecie pietatis, tum erga Theoduli juventutem, tum erga Agathopis ſenectam, irrito tamen conatu: quidam verò ex Fidelibus, ut ab eo inſtruerentur.

II. Hoc permotus Urbanus Magiſtratus Caput, ne alios ab Idolorum cultu & dictis & exemplo dimoverent, Fauſtinum adivit, urgens ut quantociùs utrumque vitâ privaret. Quare ſtatim ad audientiam rapti ſummâ alacritate vultus comparuerunt. Fauſtinus volens Theodulum ad ſacrificandum inducere, hoc accepit reſponſum, quòd ſi ſimulacra adorare oporteret, rationabiliùs adorare oporteret operarios, qui ea fabricaſſent. Quo reſponſo iratus Fauſtinus, Theodulum expoliari juſſit, ſpecie illum quæſtioni exponendi. Sed nec cruciatuum metus nec exemplum quorumdam infelicium Chriſtianorum, qui doloribus victi ſub ejus oculis carnes immolatas edebant, ejus conſtantiam frangere valuit. Tunc dixit ei Fauſtinus, ut traderet Codices, quos Chriſtiani Scripturas appellant. Cui Theodulus inquit ſe eos promtè traditurum, ſed tunc ſolùm quando ipſe Idolis renuntiaſſet, eoſque ut ſe in Fide confirmaret legere vellet. Multa addidit Fauſtinus, ut eum vinceret, ſed fruſtra, quamvis alii qui aderant & promiſſis & minis eum dimovere conarentur.

III. Tentato inſuper Agathope ſed inutiliter, & iterùm Theodulo, videns ſe operam perdere, utrumque torqueri juſſit, ſed & hoc cùm inutile experiretur, eos remiſit in carcerem. Multi eorum amici ſequebantur plorantes, quibus Theodulus dixit, ut ſibi potiùs condolerent, quàm ipſis, qui ad coronam cer-

certaminis properabant. Fertur, sequenti nocte visione cœlesti recreatos fuisse, quâ de victoria certiores reddebantur. Mane ergo coram Faustino Judice adducti & tertiò interrogati, cùm nil aliud respondissent; quàm se esse Christianos & pro Jesu Christo omnia pati paratos, sententiam acceperunt, quòd quia nollent sacrificare, in mare projicerentur: quare confestim ligatis retrò manibus & saxo ad collum appenso navigio fuerunt impositi, aliquibus etiam Paganis eos comitantibus atque adhortantibus, ut duritiem cordis emollirent & sacrificarent. Quin Faustinus quemdam primi Ordinis Virum nomine Fucium ad eos misit, qui suam gratiam eis promitteret, si saltem thus adolerent, sed nimis Gratiâ Dei roborati erant, ut ad hæc moverentur: quare post longam moram Carnifices opus demandatum exequi disposuerunt. Tunc Agathopes elatis ad Cœlum oculis altâ voce dixit: Eamus, ut secundo abluti Baptismate, puriores coram Jesu appareamus. Quibus dictis ambo in mare projecti sunt. Fertur tamen, quòd ruptis funibus, quibus ligabantur saxa, eorum Corpora vividiora, quàm ante, mare projecit ad littus, quæ ab eorum necessariis accepta sepulturæ mandata fuere.

IV. Horum Martyrum memoriam 4. Aprilis utraque Ecclesia Latina & Græca celebrat; ac specialiter Græca in Menologio Basilii hæc habet: *Agathopodes sacratissimus Diaconus & Theodulus religiosissimus Lector, Christi Martyres, fuerunt ex Civitate Thessalonica: comprehensi verò ob Christi Fidem ab Idololatris adducti sunt ad Præsidem Civitatis & compulsi Idolis sacrificare. Quod cùm facere recusassent, in carcerem detrusi sunt, in quo eâdem nocte hanc ambo visionem habuerunt. Videbantur sibi navem conscendere & in mari navigare. Ingenti autem excitatâ fluctuum procellâ, contritum navigium cernere & navigantes in mare demergi; se verò dumtaxat sospites evadere & in excelsum collem deferri. Portendebat autem ea visio fore, ut ipsi in mari mortem oppeterent, indeque in Cœlum conscenderent. Mane namque cùm eos Præses è carcere simul eduxisset, jussit ipsis Idolis sacrificare. Cùm verò ad id induci minimè possent, in profundum maris illos demergi mandavit; atque ita Martyrium consummarunt.* Quibus explicatur, quænam fuerit visio, quam ut dixi in carcere habuerunt.

V. S. Felix Tibaritanus, cujus Acta ex Surio refert Baronius ad ann. 302. num. 119., Episcopus fuit Tibari seu Tubyze in Africa, Urbe 14. leucis Carthagine distante, acerrimus Fidei ac Veritatis defensor, qui anno suæ ætatis 56., Christi verò 303., post vitam summâ puritate exactam, 30. Augusti Martyrio coronatus fuit.

Edi-

Edictum de Ecclesiis ubique demoliendis & sacris Codicibus tradendis 24. Februarii anni 303. à Diocletiano editum, Thibari 5. Junii sequentis affixum fuit: cùmque omnes Urbium Magistratus ac Præsides ejus executionem procurare tenerentur, Magnilianus Curator seu Præses Seniores Plebis idest Presbyteros accersivit: quia verò Felix Episcopus tunc Carthaginem iverat, Aper (seu Januarius) Presbyter, & Cyrus ac Vitalis (seu Fortunacius & Septimius) Lectores ad eum accessère: Magnilianus ab eis petiit, num haberent Episcopum; quibus affirmantibus, nescire tamen ubi essèt; & insuper dicentibus, Libros quidèm Divinos quos ille petebat adesse, sed penes Episcopum asservari: nec acquiescens, jussit illos in custodia detineri. Quid de istis evenerit, Acta non dicunt: Martyrologia tamen Usuardi, Adonis, & Romanum, ut dicam, eos faciunt S. Felicis in passione socios.

VI. Postridie 6. Junii Felix Episcopus Carthagine Thibarim reversus & à Magniliano per Officiales ad se adductus, interrogatur, num ipse essèt Episcopus Loci illius, cui se esse absque hæsitatione respondit. Sed cùm ab eo peteret sibi tradi Libros, quos apud se habebat, alacri animo dixit, se numquam traditurum Legem Dei sui, Dei Magni qui fecit Cœlum terram; & Magniliano dicente, oportere Imperatoribus obedire, ac Libros illos comburere: *Comburere?* inquit Felix; malo corpus meum tradere flammis, quàm Dei Libros; quia bonum est obedire Deo magis, quàm hominibus. Sed cùm Magnilianus adderet: Prius est quòd Imperatores jussèrunt, quàm id quod tu loqueris: Felix respondit: Prius est præceptum Domini, quàm hominum: tunc Præses: Recogita, inquit, tecum; tridui tempus tibi do; quod si non resipueris, mittam te ad Proconsulem. Interea, ut creditur, in carcere eum detinuit.

VII. Triduo elapso jussit Magnilianus Felicem ad se perduci & dixit ei: Recogitasti tecum? cui Felix: Quæ prius, inquit, locutus sum & modò loquar, & ante Proconsulem dicturus sum. Tunc Magnilianus ait: Ibis ergo ad Proconsulem & ibi rationem reddes, tradiditque eum Vincentio Celsino Decurioni Civitatis, qui 24. Junii oneratum catenis ad Anulinum Proconsulem Carthaginem eum transtulit. Quò perductus in carcerem trudi à Vicario Proconsulis jussus est. Sequenti verò die ad Proconsulem ante lucem productus est: Cui Proconsul: Quare, inquit, Scripturas supervacuas non reddis? Cui cùm Felix respondisset, se eas quidèm habere, sed eas non traditurum; nec aliud ab eo obtinere posset, in ima carceris eum de-

trusit, ubi sexdecim diebus detentus est. Quibus elapsis cùm constantiorem invenisset, 15. Julii Romam ad Prefectum Prætorio eum transmisit. Quò cùm pervenisset, jussit Præfectus eum suo carcere claudi & gravioribus catenis ligari. Post dies autem novem ad Maximianum Herculium, qui tunc in Siciliæ partibus erat, Felicem transmittere decrevit.

VIII. Impositus ergo navigio catenis oneratus, in fundo navis volutatus sub pedibus equorum quatuor diebus mansit, nec cibum nec potum gustans, interiùs tamen à Deo suâ gratiâ roboratus. Quidam ferunt cùm Nolam appulisset, ab illius Urbis Judice commiseratione moto super ejus statu, ut traderet Scripturas & sic vitam salvaret, fuisse admonitum: sed sanctum Virum intrepidè respondisse, malle se caput perdere quàm tradendo Scripturas sacrilegum fieri. Iterùm ergo conscensâ navi Agrigentum pervenit, ubi à fratribus summo honore exceptus est. Inde Catanam, postea Messanam & Taurominium deducti, tandem transfretantes, in partes Lucaniæ Venusium Apuliæ Urbem pervenerunt. Ibi Præfectus Felicem à vinculis solvi jussit & ab eo petiit: quare Scripturas Dominicas non das? an forsitan non habes? Cui Felice respondente; habeo quidèm, sed non do: Præfectus dixit, gladio interficite. Tunc Felix clarâ voce ait, Gratias tibi Domine, qui me dignatus es liberare. Dubium hìc occurrit, quomodò Venusii Præfectus in Sanctum Episcopum sententiam capitis pronuntiavit, cùm ad Maximianum judicandus transmittebatur? cui responderi potest, vel quòd Maximianus tunc ibi erat, licèt Acta non exprimant: vel fortè, quòd ii qui in ea Regione, in qua tunc Maximianus versabatur, præerant, ex speciali ejus mandato, renuentes tradere Libros sacros capite punire tenerentur.

IX. Ductus itaque ad passionis locum die 30. Augusti S. Felix, elevans in Cœlum oculos altâ voce dixit: *Deus, gratias ago tibi: quinquaginta & sex annos habeo in hoc seculo. Virginitatem custodivi, Evangelia servavi, Fidem & veritatem prædicavi. Domine Deus Cœli & terræ, Jesu Christe, tibi cervicem meam ad victimam flecto, qui permanes in æternum, cui est claritas & magnificentia in secula seculorum, Amen.* Quibus dictis caput demittens decollatus fuit. Ejus Festum Beda ponit die 30. Augusti; Martyrologia verò Usuardi, Adonis, illud transferunt ad diem 24. Octobris: imò Romanum ei adjungit in Martyrio socios illos, quos supra dixi Thibari ex Clero fuisse detentos: ait enim: *Venusiæ in Apulia natalis Sanctorum Martyrum Felicis Episcopi Africani, Audacti & Januarii Presbyterorum, Fortunati & Septimi*

Le-

Lectorum: qui tempore Diocletiani à Magdelliano Procuratore multis diù vinculis & carceribus in Africa & Sicilia macerati, cùm Felix nullatenùs sacros Libros juxta Imperatoris Edictum tradere voluisset, tandem occisione gladii consummati sunt.

§. XVI.

S. Theodotus & septem Virgines Ancyræ Martyres.

I. THeodotus Urbis Ancyræ Civis erat, ubi domicilium suum & bona habebat, mediocris tamen conditionis erat, adeout cauponariâ arte sibi victum compararet: exteriùs communem vitam in conjugio agebat; virtute tamen singularis, à juventute voluptates ac divitias contemserat, jejuniis & caritatis operibus totus intentus, S. Virginis Thecusæ, quam ut matrem venerabatur, monitis instructus veri Ecclesiastici potiùs quàm simplicis Laici opera exercebat, omnia sua egenis distribuens, infirmis subveniens, peccatores ad pœnitentiam revocans, Gentiles & Judæos suis suasionibus ad Fidem trahens, ac tandem vivis sermonibus Fideles ad omnia & vitam ipsam pro Christo tradendam roborans, ut non cauponem sed verum Episcopum putares: eique tantam Deus gratiam dederat, ut precibus & manuum impositione ægros à quacumque etiam insanabili infirmitate sanaret.

II. Contigit ergo, ut ingruente Persecutione in Galatiam, Gubernator mitteretur vir quidam Theotecnus nomine summè crudelis, & qui Imperatori promiserat, non diù fore, ut nullus ibi esset Christianus. Famâ hâc conterriti ferè omnes huc illucque Fideles aufugere cogitarunt. Theodotus tamen intrepidus mansit, omnia pati paratus, ut fratribus subveniret. Domus autem ejus utpotè cauponariæ arti exposita à suspicione eum liberare poterat. Apud se ergo omnes Fideles, qui non secesserant recepit, eisque in omnibus inserviebat: adeout domus ejus altera Arca Noe effecta videretur, quæ à generali Persecutionis inundatione Christianos præservaret, & simul etiam Ecclesia, in qua & Fideles preces funderent, & Altare, in quo Presbyteri sacra Mysteria conficerent ac dispensarent. Hoc tamen caritati Theodoti sat non erat: accurrebat ille ad carceres, ac Fideles ibi detentos etiam coram Infidelibus ac ipso Gubernatore præsente ad ferenda pro Christo quæcumque tormenta animabat & post Martyrium eorum Corpora (quamvis tunc esset capitale crimen) sepulturæ tradebat. Cùmque impius Theotecnus om-

nem humani cibi speciem, panem maximè & vin um idolothytis inquinasset; Theodotus quidquid priùs à Christianis emerat, eisdem ad victum, præcipuè ad sanctam oblationem, suppeditabat.

III. Eo tempore factum sequens evenit. Victor quidam amicus Martyris comprehensus hac de causa fuit. Nonnulli ex Sacerdotibus Dianæ eum accusaverant, quòd dixisset, Apollinem sororem suam Dianam ante Aram in Delo violasse, ac proinde pudere debere Græcos talem habentes Deum, qui scelus commisit, quod nec homines quidèm auderent committere. Huic ergo Victori suadebant Pagani, ut obediret Imperatori, & sic gratiam ejus & bona omnia consequeretur, alioquin omnia & se ipsum perderet. Theodotus noctu carcerem ingressus multis eum adhortatus fuit, ut constans in Fide permaneret & nollet aliquid boni sperare à malis, quorum promissa nonnisi ad æternam mortem ducunt. His & aliis confirmatus Victor, mansit ille quidèm constans & initia tormentorum generosè pertulit, adeout à spectatoribus laudaretur: sed cùm jam penè ad terminum stadii coronam accepturus pervenisset, petiit à Tyranno breves ad deliberandum inducias. Quo audito Lictores statim ab eo verberando destitere, putantes eum defecisse à Fide. Sed in carcerem ductus, ex plagis mortuus est dubium relinquens suæ confessionis exitum usque in hodiernum diem.

IV. Vicus erat Malus nomine tresdecim leucis seu 40. ferè milliaribus ab Urbe distans. Huc se contulit Theodotus, ut Martyris Valentis Reliquias in fluvium Halim projectas colligeret, quod & fecit. Accidit autem ut obvios in itinere haberet quosdam Christianos, quos ob eversum Altare Dianæ à suismet consanguineis detentos, ipse magno labore & expensis liberaverat. Hi ergo tanquam communi benefactori ei gratias agentes, ab eo ad secum comedendum invitantur, ut inde iter prosequi posset. Erat ibi locus floribus arboribus & avium cantu amœnissimus juxta Halis fluenta & prope speluncam. Ibi ergo super herbam assiderunt. Theodotus verò, qui numquam absque benedictione Presbyteri comedere consueverat, aliquos ex sociis misit ad Vicum, qui Presbyterum ad prandium invitarent; quem invenerunt ab Ecclesia egredientem horâ sextâ, idest meridie. Presbyter ille comperto quòd essent Christiani, eos ad secum manendum invitavit, ac subinde eis somnium narrans: Vidi, inquit, duos homines vobis similes, & qui mihi dixerunt, se thesaurum ad hanc Regionem deferre. Cui illi: Verum dicis, ajunt, nos enim thesaurum habemus, qui est Theodotus singula-

gularis virtutis vir: sed ostende nobis hujus loci Presbyterum: quibus ille respondit: ego qui Fronto vocor, sum ille Presbyter, quem inquiritis; sed melius est ad me ducatis Theodotum: æquum enim non est in nemore, ubi Christiani non sunt, immorari. Quare post mutuos amplexus reversi, quæ sibi acciderant narraverunt. Theodotus de reditu Ancyram ad subveniendum Christianis sollicitus, ab initio se excusavit, sed tandem ivit. Post comestionem Theodotus Frontoni Presbytero subridens dixit: Locus iste valde congruus reponendis Reliquiis apparet. Cui Fronto, eas, inquit, prius habere oportet, & postea locum illis parare. Hoc meum erit subdit Theodotus, seu veriùs Dei vobis de Reliquiis providere. Parate interim sine mora Ecclesiam, & Reliquiæ quamprimùm aderunt. Et hæc dicens annulum è digito extraxit, & Deum rogans, ut sui promissi testis fieret, illum Præsbytero tradidit & confestim Ancyram properavit.

V. Ibi itaque Persecutio velut ingens terræmotus omnia everterat. Erant ibi septem Virgines ætate simul ac pietate à juventute provectæ, has Theodotus in tormentis positas invenit. Præses autem eas constantes videns, impuris adolescentibus in Religionis spretum violandas tradere decrevit, plorantibus ipsis Deumque virginitatis protectorem implorantibus. Impudentior ex illis, cùm seorsim traxisset Thecusam omnibus aliis seniorem, illa plorans ac pedibus ejus apprehensis: Mi fili, inquit, quid speras à Feminis ætate jejuniis ægritudinibus ac tormentis penè consumtis? Septuaginta & ultra annos ætatis habeo, istæ aliæ paulò minoris ætatis sunt. Desine nos: mox videbis corpora nostra insepulta, vel à bestiis vorari vel ab avibus discerpi. Inde detracto velo, ut ei canos suos ostenderet, addidit: Tu matrem tantæ ætatis fortè habes, relinque ergo nobis nostras lacrymas: & tibi serva spem remunerationis à Jesu Christo. His compuncti adolescentes illi, in lacrymas effusi abscessere.

VI. Tunc Præses, ut aliâ viâ eas tentaret, Dianæ ac Minervæ Sacerdotissas facere eas statuit. Mos erat, ut hæc Idola singulis annis in vicino lacu lavarentur; & tunc dies anniversaria recurrebat. Cùm ergo oporteret Idola vehiculis imponi, jussit etiam ipsas ad paludem duci, eodem quo Idola modo lavandas. Vehebant ergo illas nudatis corporibus stantes in curribus ad verecundiam & irrisionem. Post ipsas verò & Idola vehebantur. Simul etiam ad futurum spectaculum universa Civitas egrediebatur. Inter hæc audire erat & videre tibiarum ac cymbalorum so-

sonum, choreasque Mulierum sparsis crinibus Mænadum instar bacchantium. Strepitus etiam excitabatur pedum saltibus plaudentium & musicorum instrumentorum concrepatio. Et hoc modo vehebantur Idola. Et propterea quidèm magna pars Populi concurrebat; major tamen propter Virginum passionem, quarum alii senium miserebantur, quidam admirabantur constantiam, nonnulli laudabant modestiam, omnes verò conspiciendo illas confectas plagis lacrymabantur. Solus Theotecnus humanitatem exutus rabie torquebatur.

Theodotus interea sollicitus de earum constantia, timensque sexus infirmitatem anxiè pro illis Deum orabat. Clausus erat in quadam parva domo cujusdam dicti Theocharis unà cum Polychronio Thecusæ Martyris nepote, & Theodoto juniore ex ipsius cognata progenito & nonnullis Christianis ibi congregatis. Ita prostrati orantes jacuerant à summo mane usque ad horam sextam: cùm Theocharidis uxor nuntiavit, Virginum Corpora in lacum submersa esse. Ad hæc Theodotus surgens è terra & adhuc genibus flexis attollens ad Cœlum manus: *Gratias*, inquit, *tibi ago*, *Domine*, *quòd fletum meum hunc nolueris esse inutilem*. Tum quomodò res gesta fuerit, à Muliere exquirit. Illa autem, quæ omnibus fuerat præsens, sic ait: Omnes Theotecni conatus ac promissiones irritæ cesserunt: Dianæ ac Minervæ Sacerdotissæ coronam vestemque albam Sacerdotii insignia offerentes, ut quæ cum eis Dæmonibus sacrificare deberent, rejectæ cum improperiis sunt. Quare jussit Præses, ad earum colla ingentes lapides alligari, & parvo scapho impositas eò devehi, ubi profundior lacus erat, ubi injectæ in aquas sunt ad spatium duorum jugerum à ripà.

VII. His auditis, eodem in loco manens Theodotus cum Polychronio & Theocharide consultare cœpit, quomodò Sanctarum Virginum Corpora extrahi possent de lacu. Sub occasum Solis adfuit adolescens Glycerius nomine & ipse Christianus, asserens, à Præside circa lacum dispositos fuisse Milites, qui ne extraherentur Corpora custodirent. Mœrens hæc audivit Theodotus: res enim difficilis videbatur, tum ob custodientes Milites, tum ob lapidum gravitatem, quorum singulos ægrè plaustrum movisset. Relictis ergo ibi sociis progressus ad Ecclesiam Patriarcharum dictam, cùm eam ab impiis obstructam reperisset, ne quis Christianorum eam ingrederetur, foris juxta concham in precibus se prostravit. Inde procedens ad Confessionem seu Ecclesiam dictam Patrum devenit, quam ibidem obstructam inveniens extra in oratione procubuit. Verùm magnum stre-

ſtrepitum audiens, & credens aliquos ſibi imminere, ad Theocharidis habitaculum reverſus eſt. Ibi cùm aliquantulum obdormiſſet, apparuit ei Beata Thecuſa dicens: *Dormis, fili Theodote, & nulla te noſtri cura tangit? Neque meminiſti adhortationum, quibus te juniorem inſtruxi, ac præter opinionem parentum ad virtutem manuduxi? Et tu quidèm viventem numquam negligebas, ſed colebas ut matrem: nunc verò poſtquam obii, oblitus es quod uſque in finem miniſtrare debebas? Ne, obſecro, ſinas noſtra corpora ſub aquis laci fieri eſcam piſcium. Nam & poſt duos dies magnum te expectat certamen. Surgens igitur accede ad paludem, verùm cave tibi à proditore*. Atque hæc dicens receſſit.

VIII. Tunc exurgens à ſomno, viſionem fratribus expoſuit: cùmque illuxiſſet, miſerunt Glycerium cum Theocharide, qui accuratiùs explorarent de cuſtodibus: receſſiſſe illos ſuſpicati propter Dianæ Feſtum, quod eo die celebrabant: ſed eos adhuc ibi ſtantes invenere. Continuerunt ergo ſe etiam illâ die. Veſpere tamen ſunt egreſſi versùs paludem adhuc jejuni acutas ſecum falces deferentes, ut ſi fortè in aquam daretur ingredi, præſcinderent funes, quibus demerſarum collo lapides adhærebant. Tenebræ autem profundæ erant, nec Luna nec ſtellæ conſpiciebantur. Cùm verò perveniſſent ad locum, in quo rei ſolebant cruciari, locum horribilem, quia ibi præciſa capita, aut palis infixa ſtabant aut diſperſa jacebant igne combuſta, horrore non modico correpti & ipſi ſunt. Sed audierunt vocem dicentem: Fidenter accede Theodote, tunc ſinguli ſigno Crucis ſe munientes, viderunt Crucem ab orientali parte ignitum radium mittentem, quâ mixtus gaudio timor fuit & genuflexi versùs locum, unde Crux apparebat, adoraverunt.

Proſecuti igitur ſunt iter, ſed propter denſam noctis caliginem unus alterum non videbat: cui ingens pluvia acceſſit, & tantum inde lutum, quo greſſus adeò lubrici ſiebant, ut nec quaſi ſubſiſtere, nedum in via progredi poſſent. Quare iterùm ad orandum ſubſtitere auxilium à Deo poſtulantes: cùm ſubitò apparuit eis ignita lampas viam præmonſtrans: apparuerunt etiam Viri duo ſplendidas induti veſtes, capillo & barbâ cani, qui & dixerunt: „ Confide, Theodote, Dominus nomen tuum „ inter Martyres deſcripſit: miſſi autem ab eo ſumus, ut te ſu„ ſcipiamus & ſumus illi qui vocantur *Patres*. Veniens porrò „ ad paludem videbis *S. Soſandrum* armatum, qui formidinem „ incutiet cuſtodibus: ſed non debebas tecum adducere prodi„ torem „ ſequentes ergo lumen quod apparebat ſibi, quodque eis illuxit donec ſacra lipſana abſtulerunt, venerunt ad paludem.

IX. Tunc

IX. Tunc facta sunt tonitrua fulmina multa & imbres, ventus autem tam vehemens irruit, ut corporum custodes fugam elegerint ad vicina tuguria se recipientes. Nec tantùm propter tempestatem fugerunt, sed maximè territi visione, quâ videbant procerum Virum, clypeo, thorace, galeâ & hastâ armatum, ex quibus undique erumpebat ignis, minaci vultu contra se stantem; & hic erat S. Martyr Sosander. Aqua verò ventorum impetu in alterum propulsa littus usque adeò recesserat, ut fundus appareret siccus, & Virginum Corpora conspicerentur, unde innexos funes Theodotus & socii præciderunt falcibus, ac ea efferentes jumento imposita vexerunt ad Ecclesiam Patriarcharum sepelientes ea in vicino monumento. Virginum autem nomina hæc sunt: *Thecusa*, *Alexandra*, *Phaine*, quæ Apostolicam vitam omnibus renuntiantes tenuerant, *Claudia*, *Euphrasia*, *Matrona & Julitta*, seu, ut Græci volunt, *Julia*.

X. Factâ die, famâ sacrorum Corporum raptus universa Civitas repleta est. Unde mox ac Christianus aliquis conspiciebatur, in quæstionem trahebatur. Quod cùm non paucis accidisse Theodotus rescivisset, voluit se ipsum tradere; sed à suis impeditus fuit. Polychronius tamen mutato habitu transformans se in rusticum, in forum abiit ad veritatem certiùs explorandam. Sed agnitus & comprehensus adductus est ad Præsidem, à quo plagis mulctatus, cùm etiam stricto gladio mortem sibi comminari videret, terrori cessit & confessus est de reliquiis Virginum quod eas de lacu tulisset Theodotus, & locum ubi eas abdiderat indicavit. Unde sacra Corpora è monumento à Paganis extracta concremata fuere, & tunc cognoverunt proditorem, à Thecusa & iis qui apparuerant prænuntiatum, à quo Theodotus cavere debebat, esse Polychronium. Hoc Sanctus Vir cùm audisset, valedicens fratribus, eosque ut pro se orarent adhortatus, ad certamen se præparat. Cum illis in oratione diù persistens rogat Deum, ut det sibi vires ad perficiendum agonem, sanguinis sui effusionem in sacrificium acceptet, & tandem Ecclesiæ suæ donet pacem. Precibus completis, singulos amplexatus monuit, ut si Presbyter Fronto è Malo veniret ferens secum anulum, darent ei Reliquias suas, si tamen eas potuerint suffurari. Atque hæc dicens, totumque corpus suum signo Crucis muniens, in stadium processit animo imperterritus.

XI. Eunti autem illi occurrerunt duo Cives amici ejus, qui hortari cœperunt, ut dum adhuc erat tempus se præservaret: Quia, ajebant, Sacerdotes Minervæ & Dianæ cum Turba populari, te accusant, quòd omnibus Christianis dissuadeas cultum

Ido-

Idolorum, & Polychronius reum te fecit subductorum furtim Corporum. Quibus ille subridens ait, imò si amici mei estis & gratiam mihi vultis facere, ite ad Magistratus & dicite: Theodotus, quem Sacerdotes cum tota Civitate accusant, ante fores adstat; & his dictis eos antecessit, seque accusatoribus suis præsentavit: & ad Tribunal ingressus stabat intrepidus ac vultu subridenti præparata intuebatur tormenta, ignem, lebetes ferventes, rotas, & alia cruciatuum genera ibi exposita.

XII. Tunc sic adstantem Theotecnus conspiciens longo sermone eum ad se trahere conatus fuit, eumque amplis promissis allicere, dummodò ejurato Christo Deos veneraretur. Quibus omnibus palàm respondit Theodotus; hinc falsorum crimina & infamias, quas eis Pagani ipsi attribuunt, detestans; hinc Jesu Christi excellentiam & miracula extollens. His multitudo eorum qui aderant, & Sacerdotum præsertim, furore accensa, conclamare ad Præsidem cœpit, cur hunc contra Deos blasphemum in frusta non concideret? Quare statim Theodotum equuleo suspendi jussit ac divisi in partes carnifices latera ejus ungulis lacerare cœperunt quantum quisque valebat, adeout aliquibus lassis alii succederent. Pugil autem invictus mentem fixam habens in Deum corpus non suum sed alienum tradidisse carnificibus videbatur. Tunc Theotecnus aceto plagas aspergi & igne torreri præcepit. Cùmque Sanctus Martyr, ab adustis laterum carnibus sentiens nidorem, non nihil nares avertisset, Præses existimavit, eum à tormentis jam vinci cœpisse. At Theodotus: falleris, inquit, non lassor ego, sed tui carnifices in me torquendo lassantur. Nova adinveni tormenta, ut me probes, seu potiùs agnosce alacritatem spiritus, quâ me donat Jesus Christus & facit, ut te tuosque Imperatores eorumque minas contemnam. Ita loquenti maxillas saxis contundi & dentes excuti Theotecnus jussit. E' contra verò Martyr: *Etiamsi*, inquit, *linguam mihi excideris, Theotecne, & omnia vocis organa, Deus tamen etiam tacentes Christianos exaudit*.

XIII. Tandem fessis ab eo laniando lictoribus, mandavit Præses ex ligno depositum claudi in carcere, in aliam quæstionem reservatum. Ipse verò cùm per medium duceretur forum toto concisus corpore, ipsisque vulneribus victoriam ostentans, concurrentes undique ad spectaculum Cives invitabat, ad cognoscendam ex iis quæ passus erat, Christi potentiam. Quinque elapsis diebus à Judice iterum vocatur, qui cùm firmiorem ipsum invenisset, jussit denuò applicari ad lignum: & utrimque adstantes lictores velut feræ, priorum vulnerum loca scrutari

cœperunt, & ungulas profundè infigere. Sed videns Præses frustra se laborare ac tortores deficere, depositum è ligno supra ignitas testulas jussit collocari, quibus interiora corporis penetrantibus gravissimum sentiebat quidèm dolorem, sed Deo juvante nihil se pati ostendebat. Quare equuleo aliisque sævioribus tormentis excarnificatus fuit, solâ ejus linguâ ad laudes Dei illæsâ permanente. Cùm verò exhaustis tortoribus, Martyr omnia velut jocum ferret, desperatus Theotecnus capitis sententiam in eum postea comburendum pronuntiavit; quam ille læto animo suscepit. Et cùm duceretur ad supplicium, velut ad triumphum iret, quotquot convenerant Viri ac Mulieres generosè allocutus, ad stadium perveniens, præmissâ ad Deum oratione gaudens suscepit gladium.

XIV. Tùm verò ingenti pyrâ constructâ cadaver Sancti Martyris in ipsam lictores conjecerunt: sed ecce prodigium: subitò enim apparuit supra pyram lux circumquaque refulgens; itaut nemo eorum qui ignem incensuri erant, accedere auderet & sacrum Corpus illæsum permaneret: de hoc accepto nuntio mandavit Theotecnus ad capitis & cadaveris custodiam Milites ibi manere, quod factum est. Interim ad vesperam ex vico Malo Presbyter Fronto Ancyram advenit ferens ex condicto anulum Martyris, à quo sacras Reliquias sperabat juxta promissa se accepturum; secum trahebat jumentum vino veteri ex vinea, quam ipse colebat, oneratum. Cùm ergo ad locum pervenisset ubi Corpus Martyris custodiebatur, Dei providentiâ factum fuit, ut asina super Martyris Corpus ramis superinjectis & fœno coopertum procumberet: hoc videntes custodes, Frontonem invitarunt ad manendum cum eis eâ nocte. Igitur igne accenso & cœnâ paratâ Frontonem ut secum biberet induxerunt. Ille autem jumento exonerato vinum suum gustandum eis præbuit, quod optimum experti sunt. Dum biberent, sermonem habuerunt de iis quæ passi fuerant, ob malè custodita corpora Feminarum in lacum projecta, quæ homo quidam ferreus furtim sustulit: cujus propterea corpus capite truncatum ibi custodire se asserebant. Hoc audito Fronto, totâ facti serie sibi expositâ, cognovit, hunc hominem ferreum fuisse Theodotum; quem ferreum appellabant, qui omnibus in tormentis insensibilis apparuerat. Tunc Presbyter Fronto actis Deo gratiis, ejus imploravit auxilium. Cùm ergo custodes vino inebriati gravi sopore correpti fuissent, Corpus Martyris sibi indicatum sustulit, ac digito ejus anulo reposito, illud jumento imposuit. Deinde ramos ac fœnum, uti jacuerant supra Sanctum, sic iterum composuit, ut custodes suspicari non pos-

possent, aliquid inde esse ablatum. Illucescente autem die surgens Presbyter quærebat asinam; quæ tamen ab Angelo deducta per devia loca ad vicum Mali pervenit, & cum sacro onere procubuit in eo loco, ubi postea in honorem Martyris Ecclesia erecta fuit.

XV. Acta S. Theodoti & septem Virginum, & circumstantiæ omnes scripta sunt à Nilo teste de visu, quia uno ex sociis S. Theodoti; ideòque ut sincera & omni fide digna habentur à Bollando, Ruinart, & aliis Recentioribus. In eis recensendis immoratus sum; quia & prodigia, quæ Deus in istis Sanctis operatus est, & constantia quam exhibuerunt septem illæ Virgines, & maximè Theodotus homo cauponarius & conditionis infimæ tum in defendenda Fide, tum in ferendis pro ea cruciatibus, demonstrant clarè adfuisse potentiam supra humanam: & consequenter valdè promovent hujus mei argumenti pro Religione Christiana firmam Veritatem. S. Theodoti & SS. Virginum memoriam colunt Latini & Græci die 18. Maii; Græci verò aliud de receptione Reliquiarum S. Theodoti solemne Festum celebrant die 7. Junii in Menol. Basilii, ubi hæc habent: *Theodotus Christi Martyr in Galatiæ Provincia in Castello Malo natus, cùm Sanctorum Martyrum Reliquias sepeliret, delatus apud Ancyræ Præsidem & captus in carcerem detruditur. Mox ad quæstionem ductus, Præsidi vehementer contradixit, Deosque Græcorum irrisit eorumque adoratores fatuos & miseros appellavit. Tum verò gravissimè cæsus lignoque suspensus, admotis facibus in lateribus ustulatus est ejusque carnes dilaceratæ. Post hæc latâ sententiâ, ut gladio feriretur, oravit, atque ita capite plexus est. Quidam verò Presbyter Phronto nomine animadvertens ejus Reliquias a Militibus custodiri, ad eos accessit: vinoque delinitis & somno captis, Reliquias jumento impositas abstulit, & in prædio suo sepelivit, ubi usque in præsentem diem curationes fundunt.* Hæc compendio sunt, quæ ex Actis retulimus.

§. XVII.

S. Romani & Infantis Martyrium.

I. NOn minùs celebre fuit primo Persecutionis anno S. Romani Martyrium, cujus tota Civitas Antiochena, imò & Galerius Imperator, qui tunc ibi aderat, testes fuere. Erat Romanus, patriâ Palæstinus, genere nobilis ætate juvenis, Ecclesiæ Cæsariensis Diaconus & Exorcista: eo enim tempore ob pe-

nuriam Clericorum, idem sæpè plures functiones exercebat. Contigit ergo, ut mense Martii vel Aprilis anno 303. Antiochiam adveniret, cùm Diocletiani Edicto Ecclesiæ solo æquarentur; vidensque plures viros, feminas, pueros, & Ecclesiæ Ministros turmatim ad Idola accedere, ejusmodi spectaculum intolerabile judicavit: quapropter zelo Fidei ac pietatis accensus altâ voce eos increpavit; nec curans, quanto se periculo exponeret, Christianos qui perierant convocavit, eosque tanto ardore est allocutus, ut alacres facti, parati essent ad novum certamen subeundum, & ad eos, qui se vicerant, novo certamine superandos. Imò addit Eusebius (L.2. de Resurrectione) videns Judicem exultantem de his qui fuerant superati, aggreditur vim faciens, & dicit: *Non recedes lætus, habet enim Deus Milites, qui superari non possunt.*

II. Judex nomine Asclepiades, qui ex victoria de iis qui ceciderant, sperabat se de omnibus triumphaturum, tam subitam mutationem cernens, furorem suum in auctorem convertit. Romanum ergo ad se adduci imperavit, qui cum gaudio non solùm secutus est vocantes, sed præcessit. Coram Judice positus, & ab eo exprobratus, cur adeò audacter tot Christianos ab obedientia Imperatoribus debitâ subtraxisset, fassus est, se criminis adeò gloriosi reum esse, & pro eo se paratum esse omnia pati, quæ sæva crudelitas excogitare posset. Quare Asclepiades, ut erat genio ferox, eum in equuleo extendi & viscera ejus lacerari præcepit. Advertens tamen, eum esse genere valdè illustrem, mutato consilio, alia tormenta & quidèm atrociora excogitavit: plumbeis flagellis totum corpus ei contundi jussit; sed cùm majori libertate Sanctus Martyr Idololatriæ vanitatem despiceret, & Jesu Christi excellentiam extolleret, irâ percitus Judex tormentis tormenta eaque ferociora addidit, tantoque æstu furens, ut carnificum manibus eum torquere non contentus, furentibus ac minacibus obtutibus, stridore dentium manuumque extensione eum terrere conaretur, adeòque irâ ageretur, ut identidem è sella, quasi eum suis manibus percussurus prosiliret, minas in eum intorquens. Quibus nihil territus, referente Prudentio, Sanctus inter alia respondit: quòd si Imperator Christianos persequitur, ipse ut suum Imperatorem non ampliùs recognoscit: nec enim tenetur obedire homini etiam Principi, quando præcipit crimen.

III. Asclepiades sumens verba hæc posteriora, ut notam rebellionis, jussit eum in equuleo suspendi & ferreis ungulis usque ad ossa dilacerari. Quo in cruciatu adeò sævi tortores fuerunt,

ut

ut carnibus laceratis, ipſi ferrei unci in ejus oſſibus hebetarentur. Hæc tamen animi tranquillitatem ei turbare non poterant, quin & infelicitatem inimicorum Chriſti deploraret, & ſuam felicitatem in tormentis publicaret. Quare irritatus Judex præcepit ut non ampliùs latera, ſed genæ & facies ei lacerarentur: de quo S. Martyr gratias egit, quòd non unum tantùm ſed plura ad laudandum Deum ſibi ora aperirentur. Tunc quieſcere juſſis tortoribus, minatur Judex, ſe eum vivum combuſturum. At hoc nihil commotus Romanus, ſed gloriam Religionis Chriſtianæ celebrans, propoſuit Judici, ut ſi vellet, hujus veritatis ab innocente puero exquireret teſtimonium, ſpondens, quod ille dixerit ſe ſecuturum.

IV. Non diſplicuit Aſclepiadi hæc petitio. Accerſito itaque puero vix ab uberibus evulſo, cui nomen Garulas, Romanus ab eo petiit: dic mihi, filiole, quem oportet adorare? Chriſtum Jeſum, & in illo Patrem, an Deorum multitudinem? Reſpondit Infans: alius non eſt niſi unus Deus, & Jeſus Chriſtus eſt verus Deus. Hoc reſponſo confuſionem inter ac indignationem fluctuans Aſclepiades, puero dixit: quis hæc te docuit? at ille: mea mater, inquit, & matrem docuit Deus. Hæc cum lacte ab uberibus hauſi, Chriſtum & hauſi credere. Tunc Judex: veniat, inquit, mater, & adſit ſupplicio filii. Quæ cùm veniſſet, puerum nudari ac flagellis adeò crudeliter cædi juſſit, ut undique ſanguinis rivi effluerent, omnibus qui aderant ipſis etiam Officialibus & tortoribus commiſeratione lugentibus, Matre ſolâ ad hoc ſpectaculum ſerenâ facie permanente: imò cùm puer præ dolore ſupplicii potum in refrigerium poſtulaſſet, illa ſeveris oculis ipſum intuita ei dixit: nil ampliùs impoſterùm petas, fili mi, præter aquam vivam vitæ æternæ, quam dabit tibi Jeſus Chriſtus, ſicut pueris Bethlehem largitus fuit. Tunc infans carceri traditur, & Romanus tormentis iterùm applicatur violentiùs: ſed cùm iſte carnificum ſegnitiem & laxitatem argueret, eodem quo infans carcere recluſus fuit, donec ejus conſtantiâ defatigatus eum vivum comburi, & infantem capite truncari jubet.

V. Sententiam hilari animo Romanus excepit. Non procul ab Urbe ſupplicii locus erat: ibant ergo; Infantem ſuum ulnis geſtabat mater, cùmque ad locum veniſſet, abſque lacrymis aut ullo doloris ſigno filium carnifici tradidit, ſolùm ori ejus oſculum imprimens & precibus illius ſeipſam commendans: deinde expanſo pallio caput ſanguinem & corpus filii dum truncaretur excipiens, in ſinu repoſitum aſportavit. Infantis hujus

Mar-

Martyrium canit inter cæteros Prudentius hymno 10., & Ecclesia Latina colit 18. Novembris unà cum S. Romano dicens: *Passus est etiam ante ipsum puerulus nomine Barula, qui ab eo interrogatus, utrùm melius esset unum Deum colere, an plures Deos, cùm in unum Deum, quem Christiani colunt, credendum esse respondisset, verberibus cæsus jussus est decollari.* Græci quoque in Menol. Basilii eâdem die, ut infra dicam.

VI. Interea eodem in loco parata erat ingens lignorum strues, in qua jam positus fuerat Romanus comburendus, jamque manibus retrò vinctis palo alligatus erat, solùmque Galerii Imperatoris, qui tunc aderat Antiochiæ, mandatum de igne accendendo expectabatur. Erant ibi tunc quidam Judæi, qui ei dicebant: Apud nos tres pueri in fornace Babylonica præservati fuere in testimonium veritatis nostræ Religionis: Christiani tamen ardent & in cineres resolvuntur. Verùm mox Cœlum nubibus coopertum tantam pluviæ copiam effudit, ut quocumque conatu ignis accendi nequiverit, Romano interim irridente & à tortoribus petente: *ubi est ignis?* Hoc nuntio correptus Imperator censuit contra Dei voluntatem non esse pugnandum, ideòque decrevit libertate esse donandum, quem adeò visibili portento liberaverat: sic ad Judæos confundendos Divina virtus operata est, ut ubi in fornace Babylonica tres pueros à flamma liberavit, hic ne quidèm flammam accendi concessit.

VII. Liberatus fuit S. Romanus ab uno supplicio, sed incidit in aliud. Asclepiades quod contigerat prodigium magicæ arti tribuens, ut Imperatori blandiretur, suamque feritatem expleret, severiorem excogitavit cruciatum. Jussit, ut lingua, quæ ne Deum negaret adversùs hominem locuta fuerat, ei præcideretur. Aderat ibi quidam Medicus nomine Ariston, qui præ infirmitate à Fide defecerat. Hic secum deferens instrumenta ad hoc necessaria urgebatur incidere, quam nolebat, linguam. Et de facto incidit, incisam tamen apud se custodivit, tum ad sui tutelam, ut videbimus, tum ut eam in honore haberet; consueverant enim etiam infirmiores, interiùs tamen Fideles, honorare si quid à Martyribus sumtum esset. At ecce novum miraculum: qui abscisâ linguâ mori debuerat, remittitur sanus in carcerem, ubi à Custode ejus quod acciderat ignaro, de nomine interrogatus, altâ & clarâ voce respondit: *Romanus vocor*: imò & in aliis occasionibus loquebatur distinctiùs quàm priùs, cùm ante excisam linguam balbutiret. Rumor hujus novi prodigii ad Galerium & Asclepiadem pervenit: qui suspicati, chirurgum muneri ac mandato defuisse, sive quòd & ipse

ipse adhuc secretò Christianus esset, sive quòd argento seductus, carceri eum addixerunt. Adductus ergo ad Judicem, qui eum morti tradere cogitaverat, petiit primò, ut oculari inspectione videretur, an intra Romani os ampliùs lingua esset: deinde in testimonium protulit linguam abscissam, quam in sui tutelam apud se asservabat: addiditque; producatur alius, cui non assistat Deus, & secundùm mensuram incisæ linguæ ei incidatur lingua, & si vixerit, meum commentum est, & non Dei defensio. Producitur quidam damnatorum, & diligentissimè mensura acceptâ, incisa ei lingua est. Tantum ut impleta incisio est, finis vitæ ejus completur, mortuus est enim. Quibus in Romano duo vides miracula: unum quòd sic præcisâ linguâ non statim mortuus sit: alterum, quòd præcisâ linguâ adhuc loqueretur & quidèm expeditiùs quàm ante.

VIII. Quid verò postea S. Romano acciderit, & quis fuerit illius gloriosus exitus, habemus ab Eusebio L. de Mart. Palæstinæ cap.2., nimirùm quòd *Contrusus in carcerem & diutissimè ibidem maceratus, tandem cùm Imperatoris vicenualia jam adessent, & ex solemni more universis, qui in custodia tenebantur, indulgentia publicè per præconem annuntiata esset, solus ad quatuor usque puncta distentos habens pedes, in ipso jacens nervo, fractis laqueo faucibus, Martyrio sicut optaverat, coronatus est*. Ubi notandum quòd toto illo tempore, quo in carcere mansit, continuavit in eo miraculum, ut sine lingua expeditè loqueretur; sic enim idem Eusebius Lib.2. de Resurrect. ait: *Non enim semel locutus tacuit, sed conferebat cum aliis de Cruce & victoria Christi; & hoc multis mensibus in carcere constitutus*. De hoc S. Martyre sermonem unum & fortè duos habuit S. Chrysostomus, qui extant tom. 2. Oper. novissimæ editionis; ipsum quoque in Occidente celebravit Prudentius, ut supra dixi.

Quæ de S. Romano & Infante dixi, Græci in Menol. Bas. 18. Novemb. ita memorant: *Hic impio Maximiano* (Galerio) *imperante Martyrium subiit. Obviàm enim factus Asclepiadi Præfecto, cùm Idolorum Fanum ingrederetur, zelo accensus conatus est, hominem ab hujusmodi proposito avertere, asserens Idola nequaquam Deos esse, sed unum esse Christianorum Deum. Quare colaphis cæsus, in equuleum rapitur & depectitur: qui dum torqueretur, pergebat dicere, unum esse Deum Christianorum, quem vel infantes agnoscunt. Productus itaque Sancti jussu ad redarguendum Præfectum Infans & interrogatus à Præfecto, quemnam Deum coleret: Eum, inquit, quem Christiani colunt & adorant; seque ita à matre edoctum. Verberibus igitur exceptus Infans præsente matre, aquam*

popo-

poposcit quâ sitim depelleret: cui Mater: ne bibas ait, fili, ex hac aqua, sed vade & ex aqua vivente bibe. Et hunc in modum decollatus est. Romanus verò post excisam linguam, rursùs expeditè loquens, in carcerem detrusus, ibique Maximiani jussu suffocatus, Martyrii coronam adeptus est. Ita Græci. Latini verò eâdem die in Rom. Martyrol. ajunt: *Antiochiæ natalis Sancti Romani Martyris, qui tempore Galerii Imperatoris, cùm Asclepiades Præfectus in Ecclesiam irrumperet, eamque funditùs conaretur evertere, cæteros Christianos hortatus, ut ei contradicerent, post dira tormenta & linguæ abscissionem (sine qua tamen Dei præconia loquebatur) in carcere laqueo strangulatus celebri Martyrio coronatur.* Quæ in substantia cum Græcis concordant,

§. XVIII.

SS. Procopius, Philippus Heracleæ Episcopus, & socii Martyres.

I. PRimus, qui in hac Persecutione Palæstinam Martyrio illustravit, Eusebio teste L.de Mart.Palæst. cap.1., Procopius est. Vir fuit à juventute castitate omniumque virtutum exercitio clarissimus, austeritate vitæ adeò extenuatus, ut semimortuus videretur, animâ corpus ei sustinente. Panis & aqua ejus cibus erant, à quo triduo vel septiduo etiam abstinebat. Die ac nocte sacras Scripturas legebat. In his totus erat, in scientiis verò humanis sobrius. Genere Æliensis erat, habitatione Schythopolitanus. Ibi Ecclesiæ tria ministeria præbebat: unum Lectoris, alterum Interpretis in linguam Syriacam; cùm enim tunc Scripturæ græcè vulgarentur, ipse linguâ Syriacâ tunc vernaculâ Populo eas exponebat; tertium verò Exorcistæ. Schythopoli Cæsaream cum aliis ductus in porta Civitatis sistitur & ad Flavianum Præsidem trahitur: & priusquam carceris vel vinculorum experiretur angustias, in ipso ingressu à Flaviano ut Diis sacrificaret impellitur. At ille magnâ voce, *non esse Deos multos, sed unum Factorem omnium* testatus est. Quibus commotus & conscientiâ saucius Judex, ejus sermoni acquiescit: & ad alia divertens, ut saltem Imperatoribus sacrificet, imperat. Sed cùm Procopius quasi despiciens responderet: *Non est bonum multos Dominos esse: Unus Dominus est, unus Rex.* Quæ verba malè habens Judex capite eum damnavit; quod impletum fuit Cæsareæ in Palæstina 7. Julii anni 303. die Mercurii. Cujus memoriam celebrant Latini die 8. ejusdem mensis.

II. Præ-

II. Græci eâdem die ac mense in Menol. Basilii agunt de S. Procopio Martyre, diverso tamen ab eo de quo cum Eusebio locutus sum, ajunt enim: *Magnus Martyr Procopius in Urbe Ælia Christiano patre matre Paganâ natus, imperante Diocletiano, post patris obitum à matre educatus, eidem Diocletiano oblatus est, ut ad honores promoveretur. Quare Alexandriæ Dux creatus, illuc mittitur, non modò hostibus bellum illaturus, verùm etiam Christianis. Domum itaque suam pergens, audiit vocem è Cælo lapsam dicentem: Adolescens, desine pugnare adversùs servos meos, ne moriaris: ostensa insuper ipsi est Crucis figura. Quamobrem Scythopolim profectus, aurificem ad se venire jussit, ut secundùm ostensam sibi figuram Crucem effingeret, quam deinceps gestavit. Cùm verò de Saracenis trophæa retulisset atque domum rediisset, à matre ad Imperatorem delatus est, quòd Christianus esset. Idcircò variis cruciatibus affectus, patratis ab ipso miraculis, non modò alios complures ad Christi Fidem convertit, verùm etiam matrem ipsam & aliquot mulieres, cum quibus capite plexus, ad Deum migravit.* Hic Procopius, ejusque gesta, à Procopio & gestis, quæ narrat Eusebius, planè diversa sunt.

III. Post S. Procopii Martyrium, prosequitur Eusebius citato loco, quòd *in eadem Urbe* (Cæsareæ) *quamplurimi Ecclesiarum illius Provinciæ Antistites gravissima supplicia alacri animo perpessi, illustrium certaminum spectacula exhibuerunt. Alii verò non pauci præ ignavia, fracti animis ac debilitati, primo statim impetu conciderunt. Ex reliquis varia quisque tormentorum genera expertus est.* Aliqui tamen post dira tormenta constantes inventi violentèr ad Aras trahebantur, & quamvis nec sacrificassent nec thus adolevissent; eos tamen sacrificasse conclamabant, & sic dimittebantur. *Adeò magni apud eos æstimabatur, si vel viderentur effecisse id quod voluerant. Ex istis igitur, qui tot numero erant, soli Alphæus & Zacchæus Martyrii coronam adepti sunt: qui post flagella & ungulas, post acerbissima vincula & dolores in iis exantlatos, post alia omnis generis tormenta, cùm viginti quatuor horarum spatio pedes in nervo ad quatuor usque puncta distentos habuissent, unum Deum ac Dominum Jesum Christum confessi; perinde ac si impium quidpiam locuti essent, eodem quo primus ille Martyr Procopius supplicii genere abscissis capitibus interiere, die septimo decimo mensis Dii, quod est apud Romanos ante diem 15. Kalend. Decembris,* nempè diem 17. Novembris, de quibus Martyrol Rom. eâdem die.

IV. Primo Persecutionis anno desinente poni potest Martyrium S. Philippi priùs Diaconi deinde Presbyteri, tandem

Heracleæ Civitatis Thraciæ Metropolis Episcopi. Publicatio Edicti de Ecclesiis destruendis ad finem anni ibi dilata fuit, sive quia Bassus illius Urbis Præses genio non adeò ferox erat, sive quia ejus uxor Christiana ipsum detinuerat. Tandem ne contumacis notam incurreret, illud publicè affixit. Philippo duo inter cæteros erant Discipuli, quos in Fide confirmabat, Severus Presbyter & Hermes Diaconus. Circa diem Epiphaniæ anni 304. Aristomachus Stationarius Urbis accessit, ut Præsidis jussu impressis cerâ sigillis Ecclesiam clauderet Christianis. Cui Philippus dixit: Homo insensate, credis tu in parietibus magis, quàm in cordibus hominum Deum habitare? Postero die Stationarius inventis & signatis omnibus vasis sacris egrediebatur. Fratres qui aderant mœrore conficiebantur; at S. Philippus januæ Ecclesiæ innixus unà cum Severo & Herme omnes consolabatur & animabat unumquemque ut oportebat.

V. Interea Bassus superveniens ac videns Philippum ac cæteros ibi congregatos, coram se omnes adduci jussit ac petiit, quis inter illos esset Doctor ac Magister. Cui Philippus: Ego sum, inquit, quem quæris. Tunc Bassus ait: Audistis Imperatoris Legem, quâ vetatur, ne Christiani ullibi conveniant, sed præcipitur, ut vel sacrificent vel pereant. Deferte igitur ad me omnia vestra vasa aurea argentea aut ænea vestro ministerio inservientia, & simul etiam Scripturas, quas ad legendum & docendum adhibetis, ne, si negaveritis, hoc post tormenta faciatis. Respondit Philippus: „ Si te nostra tormenta delectant, ea „ pati parati sumus. Vasa verò quæ postulas, quæcumque apud „ nos sunt, mox accipe: non enim pretioso metallo Deum colimus, sed timore; eique ornamenta cordis plus placent, quàm „ ornatus Ecclesiæ. Scripturas autem nec accipere tibi nec dare „ mihi convenit„. Tunc Præses accedere jussit carnifices, inter quos Mucapor inhumanus erat. Mox Severum Presbyterum introduci Præses mandavit; sed cùm non inveniretur, diù torqueri fecit Philippum. Porrò Hermes qui propè aderat ait: „ Etsi „ omnes Scripturas nostras acceperis, ut nulla prorsùs earum „ vestigia super terram appareant: filii tamen nostri paternarum „ traditionum memores animæ suæ consulentes majora scribent „ volumina, & timorem qui impendendus est Christo, vehementiùs edocebunt.

VI. His dictis, diù antea verberatus, ingressus est, ubi vasa omnia & Scripturæ latebant. Secutus est eum Publius Assessor Præsidis homo furandi avidus, qui cùm vasa aliqua furtim rapere tentasset, eumque Hermes impedire conaretur, Hermen in facie

facie effuso sanguine percussit. Quibus cognitis Bassus, & vultu ejus aspecto, iratus est Publio & curari Hermen præcepit. Traditis verò vasis ac Scripturis, quæ inventæ fuerant, Officialibus, Philippum & cæteros hinc inde custodibus vallatos ad forum jussit adduci, ut Infideles gaudio Fideles autem terrore perfunderet tali exemplo: ne autem Christiani possent ampliùs convenire, ab Ecclesia tegulas & tectum prorsùs devolvi jussit; quod protinùs impletum fuit. Interim impositas Militum humeris sacras Scripturas eò deferri jussit, ubi publicè comburerentur, atque eò crevit incendium, ut adstantes singulos formido à spectaculo tanti ignis arceret. Quod cùm S. Philippo in foro stanti multis præsentibus nuntiatum fuisset, hâc occasione sermonem habuit de igne vindictæ Divinæ super impios, ostendens eam in suorum Deorum Templa Idola, imò & ipsas eorum personas sæpiùs irruisse, qui in variis eventibus combusti interiere, incipiens ab Hercule, à quo Heraclea nomen sumsit, qui in Ygiæ monte combustus est: concludens hoc igne Scripturas urente, Ecclesiam non comburi, sed potiùs renasci; nam bonis non flamma sed lux est.

VII. Dum hæc meditarentur, accessit Cataphronius Sacerdos cum suis Ministris infelices epulas & profana sacra portantibus. Tunc Hermes dixit: Cœnam istam quam cernitis, Diabolica est invocatio, quæ ut nos polluat, huc adfertur. Confestim autem Bassus præses, quem magna multitudo omnis sexus & ætatis sequebatur, forum ingressus est, quibusdam pro Populi genio de suppliciis Christianorum tristantibus, quibusdam lætantibus. Bassus ergo urget Philippum ut sacrificet primò Diis, postea Imperatoribus, deinde Civitatis fortunæ. Recusanti tandem dixit: moveat te saltem Herculis præsentia, cujus hìc vides tam magnum & pulchrum simulacrum. At Philippo velut impium Idolorum cultum detestante, Præses ad Hermen divertens ait: saltem tu sacrifica: cui Hermes: Ego, inquit, Christianus sum, non sacrifico. Quæsitus cujus conditionis esset, respondit: Decurio sum, & Doctori meo in omnibus obsecundo; ait Præses; Si Doctor tuus Philippus ad sacrificandum fuerit inductus sequeris ipsum? respondit Hermes: nec ego sequar, nec ille vincetur; par enim nobis & virtus & animus est. Quare Bassus cùm ipsum & blandè & minaciter inutiliter tentasset, indignatus jussit utrumque in carcerem trudi.

VIII. Porrò dum ducerentur, quidam ex assistentibus impulsu crudelis dexteræ Philippum solo sepè fundebant, ut ne illo quidèm tempore ei deesset pœna; Sanctus tamen Senex læto

vultu è terra se erigebat, ut nec indignationem ostenderet nec dolorem, & omnes ejus patientiam admirarentur. Tunc Psalmum dicentes Domino, qui eos fecerat fortiores, se lætos tradiderunt custodiis. Paucis in carcere elapsis diebus, permissum eis fuit in quadam vicina domo cujusdam Pancratii sub custodiâ morari. Ibi multos ex diversis partibus ad se venientes excipiebant, sacra Divinæ Legis mysteria edocebant. Displicuit hoc Diabolo, qui eos fecit denuò in carcerem mitti. Sed cùm è carcere secretus esset in theatrum ingressus, illuc etiam noctu magna Populi turba accurrebat, & aliqui prostrati solo Philippi vestigia sacra lambebant, scientes quantum in eo Divini esset auxilii.

IX. Interea expleto Bassi gubernio annuus successor advenit, nomine Justinus, sed mente perversus, qui nesciebat Deum vel intelligere vel timere. Hæc res fratres vehementer affecit: Bassus enim & mitior erat, & ratione sibi redditâ vincebatur, suadente maximè uxore ejus, quæ aliquanto jam tempore, ut dixi, Deo serviebat. Tunc Zoilus Magistratus Urbis ad Justini Tribunal S. Philippum adduxit. A quo interrogatus, an Christianorum esset Episcopus; se id negare non posse, respondit. Justinus ei exponit Imperatoris mandatum, & præcipit ut sacrificet Diis. Non possum, quia Christianus sum, inquit Philippus: tu autem me quidem puniendi potestatem habes, adigendi tamen non habes. At nescis, inquit Justinus, quænam tibi parantur tormenta? Respondit Philippus: Tu me quidèm torquere poteris, sed vincere non poteris; nemo enim me ad sacrificandum perducet. Justinus ait: Per mediam Urbem pedibus traheris, & si vixeris, traheris in carcerem ad majora supplicia. Cui Philippus: Utinam, inquit, hoc facias, & tuæ impiæ satisfacias voluntati. Justinus ergo trahi eum vinctum pedibus per Urbem jussit, unde acceptis tot lapidum offensione vulneribus toto corpore laceratus, a fratribus deportatus fuit in carcerem.

X. Factus est Infidelium tumultus ubique Severum Presbyterum inquirentium. Is occultioribus latebris se subtraxerat, quem cùm investigare non possent, impulsu Spiritus Sancti in medium ipse prorupit; nec enim diù latere poterat, quem passio ipsa vocabat. Cùm ergo ad judicium fuisset adductus, Justinus omnem artem adhibuit, tum spe præmiorum tum terrore pœnarum, ut eum à Fide dimoveret; sed videns se frustra laborare, illum conjecit in carcerem; quod & in Hermen, quem similiter constantem invenit, executus est. Paulùm tamen à severitate discedens, duobus diebus jussit in hospitio custodiri; sed po-

postea in carcerem traduxit, ubi septem continuis mensibus moratos tandem Hadrianopolim transferri præcepit: quibus egredientibus, omnes Heracleæ Christiani tanto mœrore confecti sunt, quòd Doctoribus suis privarentur; ut vel ipsi infantes nutricum uberibus inhærentes à lacrymis temperare non possent.

XI. Cùm Hadrianopolim tres Sancti Martyres pervenissent in diversorio cujusdam Sempronii extra Urbem usque ad Præsidis adventum custoditi sunt. Qui cùm avenisset, posterâ die sedens pro Tribunali ad Thermas adduci jussit Philippum; quem inventum in proposito firmiorem, expoliari ac virgis adeò crudeliter cædi mandavit, ut viscera apparerent. Quod ille tantâ animi alacritate sustinuit, ut lictores ipsi stuperent, imò & Justinus ipse, qui illum remisit in carcerem. Inde vocatur Hermes, qui in Decurionis munere, quod exercuerat, multis favorabilis fuerat, & ideò Officialibus gratus erat; sed hic etiam in Fide constans ad carcerem remittitur. Ibi duo Martyres de felici victoriæ initio gratias Deo agentes morabantur, Philippo etsi ætate provecto & flagellis cæso, nullum incommodum sentiente. Post tres dies Justinus eos ad Tribunal iterùm vocavit: cùmque incassùm tentasset ad obediendum Imperatoribus trahere Philippum, ad Hermen conversus ait: si huic senectus vicina jam morti suadet bona hujus vitæ contemnere, tu ætate florens felicem sacrificando te redde. Sed cùm Hermes cæcitatem & absurditatem idololatriæ exprobrasset, iratus Justinus: Tu mihi, inquit, ita loqueris, ac si Christianum me facere posses. Cui Hermes respondit: Optarem, ut nedum tu sed omnes hìc adstantes Christiani fierent.

XII. Tunc Justinus à fortissimis Dei athletis victus, adhibito consilio sævam hanc sententiam protulit: Philippus & Hermes, qui præceptum Imperatoris contemnentes Romano nomine se reddiderunt indignos, mandato nostro incendantur vivi, ut eorum exemplo cæteri agnoscant, quanto constet exitio Imperialia contemsisse mandata. Itaque egressi SS. Martyres gaudentes ibant ad flammam. Beatus verò Severus, qui solus in carcere remanserat, audito, quòd socii ad Martyrium ducerentur, quasi ovis in solitudine relicta trepidabat. Gaudebat quidèm de eorum gloria, sed se participem cum eis non fieri tristabatur. Quare cum magno gemitu orans ad Dominum, quod petebat impetravit; nam posterâ die coronam Martyrii & ipse accepit.

XIII. Dolore pedum impeditus S. Philippus manibus portabatur; eum sequebatur S. Hermes lento passu, simili detentus incommodo: dumque iret dicebat Philippo: „ Doctor optime,

„ se-

„ festinanter pergamus ad Dominum: nulla nos pedum cura „ sollicitet, quibus jam nullus eorum futurus est usus: cessatu- „ ra sunt enim ministeria terrena, cùm ad cœlestia fuerit Re- „ gna perventum „. Tunc ad multitudinem versus narravit omnia, quæ passurus erat, fuisse sibi à Deo revelata. Dormienti enim visa sibi fuit columba alba sicut nix, quæ cubiculum in quo jacebat ingressa in capite ejus consedit, quæ & inde descendens in pectus escas ei gratissimas obtulit: quo dignovit, se ad Martyrium à Domino vocari. Cùm ergo ad supplicii locum pervenissent, de more carnifices Beati Philippi pedes humo usque ad genua texerunt, & religatas post tergum manus clavis in fuste configunt. Similiter & Hermes descendere jubetur in fossam, qui baculo trepida vestigia sustinens ridens ait: Neque hic, Diabole, me sustinere potes. Et statim super pedes ejus ministri congerunt terram. Antequam tamen flamma accenderetur, Hermes quemdam ibi adstantem in nomine Jesu Christi adjuravit, quò filio suo Philippo imponeret, ut omnia deposita, quæ ipse acceperat restitueret, & exemplo suo vitam proprio labore sustineret. Quibus dictis, manus ei post tergum ligatæ sunt, & statim flammâ suppositâ quandiù sermo duravit, dum arderent, Deo gratias agebant.

XIV. Sic Beati Martyres testimonium Fidei vitâ dederunt. Eorum Corpora integra reperta fuerunt: extensæ Beati Philippi manus ut in oratione fuerant; facies ex sene juvenis reparata & quasi adversarium provocans ad certamen. Similiter & Beatus Hermes inventus est facie florens & colore pretiosus, lividis paulisper auriculis, quasi ex certamine quodam. Diabolus tamen ut Beatorum Corporum gloriam absconderet, Justino suasit, ut ea Hebro Thraciæ fluvio juberet immergi; quod factum fuit. Sed Hadrianopolitani Cives aliqui, quos Dei cultus urgebat, apparant retia & navigia conscendunt, ut si alicui piscanti obveniat grata captura. Orantibus annuit Deus; nam mox illæsa Corpora involuta retibus extrahuntur, quæ triduò abscondita in villa Ogestistyron dicta duodecimo ab ea Urbe lapide, ibidem sepulta fuere. Omnia hæc ex Actis sinceris apud Ruinart desumta sunt. De his Martyribus agit Martyrol. Rom. 22. Octobris: quamvis autem eos passos dicat sub Juliano, veriùs tamen sub Diocletiano eos Martyrium subiisse creditur, quo imperante Ecclesiæ dirutæ & Codices sacri combusti fuere.

XV. Quoad sacrorum combustionem Librorum celebre est Arnobii dictum, meliùs fuisse ad honorem Deorum Paganorum comburere omnes libros Poetarum de Diis agentium, & demoliri

liri theatra potiùs quàm Ecclesias. Ita enim L. 4. adv. Gentes propè finem loquitur: *Quòd si haberet vos aliqua vestris pro Religionibus indignatio, has potiùs literas, hos exurere debuistis olim libros istos, demoliri dissolvere theatra hæc potiùs, in quibus infamiæ numinum propudiosis quotidie publicantur in fabulis. Nam nostra quidèm scripta cur ignibus meruerunt dari? cur immaniter conventicula dirui? in quibus summus oratur Deus, pax cunctis & venia postulatur Magistratibus, Exercitibus, Regibus, familiaribus, inimicis adhuc vitam degentibus, & resolutis corporum junctione: in quibus aliud auditur nihil, nisi quod humanos faciat, nisi quod mites verecundos pudicos castos familiares, communicatores rei* &c. His & aliis Arnobius Paganorum injustitiam in comburendis Christianorum Libris & Ecclesiis demoliendis redarguit.

§. XIX.

Novis Edictis aucta Persecutio.

I. Paulò post primum Edictum de Ecclesiis demoliendis & sacris Codicibus tradendis & comburendis 24. Februarii anni 303. publicatum & ad Provincias transmissum, aliud seu alia eodem anno sæviora prodiisse Edicta, quibus ulteriùs Christiani & præcipuè Ecclesiastici sub pœna mortis sacrificare cogebantur, satis demonstrant SS. Martyrum passiones, quas supra descripsimus, & quæ eodem anno contigisse feruntur. Cur autem acerbiora hæc Edicta prodirent, causam fuisse aliqui putant Galerium ad Christianorum totale exterminium implacabili furore conantem, vel Maximianum Herculium, qui Romano Populo Christianorum extinctionem postulante, approbante Senatu, de compellendis ad Sacrificium Christianis ulteriùs decretum edidit.

II. Si tamen Eusebio credimus, ulterioris Edicti occasionem præbuere tumultus Melitinæ in Armenia contra Imperium excitati, & in Syria quoque, ubi Eugenius quidam à Militibus Imperator acclamatus fuit. Quorum auctores cùm accusarentur Christiani, novo in eos Edicto ad internecionem sæviri cœptum est. Ita Eusebius L. 8. hist. cap. 6., ubi enarratis iis, quæ post primum Edictum Nicomediæ in ipso Persecutionis exordio contigere Martyria, subjungit: *Cæterùm paulò post cùm alii in Melitina Armeniæ Regione, alii in Syria Imperium arripere conati essent; promulgatum est Imperatoris Edictum, ut omnes ubique Ecclesiarum Antistites vincti in carcerem truderentur. Earum verò rerum,*

rum, quæ postea facta sunt, spectaculum omnem prorsùs dicendi copiam superabat: quippè cùm innumerabilis ubique hominum multitudo custodiæ manciparetur; & carceres olim homicidis, & sepulcrorum expilatoribus deputati, tum Episcopis Presbyteris Diaconis Lectoribus atque Exorcistis complerentur: adeout iis, qui ob crimina condemnati fuerant, nullus jam locus superesset.

Rursùs verò, cùm aliud Edictum priora illa subsecutum fuisset, quo præcipiebatur, ut carceribus inclusi, si quidèm sacrificassent, liberi abire sinerentur; si verò id renuerent, tormentis gravissimis cruciarentur; vix iniri numerus potest omnium, qui deinceps in singulis provinciis passi sunt Martyrium: ac præsertim eorum, qui per Africam & Mauritaniam, per Thebaidem & Ægyptum sunt interfecti. Ex Egypto quidèm nonnulli in alias quoque Urbes ac Provincias transgressi nobilibus Martyriis inclaruerunt. Ecce tria Edicta adversùs Christianos subsecuta. Primum de Ecclesiis demoliendis & sacris Codicibus comburendis. Secundum de Ministris Ecclesiæ carceri mancipandis. Tertium de omnibus ad sacrificandum compellendis.

III. Subinde cap.7. Eusebius narrat ea, quæ apud Tyrum Phœniciæ Urbem ipso præsente gesta sunt. „ Plures post innumeros flagrorum ictus constantes, leopardis ursis aliisque bestiis humanum sanguinem lambere assuetis expositi fuerunt: quæ ferro & igne adversùs eos excitatæ, primò quidèm impetu feris ululatibus irruere videbantur, dum Christiani firmo pede eas expectarent; sed potentiâ Christi detentæ voracissimæ bestiæ longo temporis spatio nec attingere Sanctorum corpora, nec propiùs accedere sunt ausæ, sed in Infideles, qui eas instigabant, impetum suum converterunt. Et quamvis Sancti Martyres (ut jubebantur) commotis manibus eas ad se provocarent, interdum irruebant quidèm in eos, sed Divinâ quâdam virtute repulsæ omnibus admirantibus retrocedebant. Videre erat inter alios adolescentulum vicesimum ætatis annum vix ingressum, ibi absque vinculis stantem manibus in Crucis formam expansis Deo supplicantem. Contra, istum ursi & pardi furorem ac mortem anhelitu ipso spirantes, cùm membra penè jam morsibus invasuri accederent, constrictis Divinâ quâdam virtute eorum faucibus, retrò protinùs abscedebant. Alios numero quinque videre erat efferato objectos tauro, qui ex Infidelibus multos in sublime jactatos cornibus discerpebat ut semivivos asportandos relinqueret, ad solos Martyres, cùm in eos furens irrueret, ne accedere quidèm poterat: sed pedibus terram quatiens, & hàc illâc jactans

„ cornua, atque ob candentis ferri ſtimulos furorem ac minas „ ſpirans, nihilominùs Divinâ vi obſiſtente retrò avertebatur. „ Proinde cùm nullatenùs ab eo læſi eſſent, aliæ rurſùs in illos „ immiſſæ ſunt beſtiæ, à quibus cùm illæſi manſiſſent, omnes „ tandem gladio confoſſi, ſepulcri loco marinis gurgitibus com„ mendati ſunt „. Hæc Euſebius oculatus teſtis enarrat.

IV. Præterea cap. 8. ad eos tranſiens, qui in Ægypto paſſi ſunt, ait: „ Ibi Viri prope innumerabiles cum uxoribus & libe„ ris pro Servatoris noſtri doctrina vitam hanc aſpernati varia „ mortis genera ſuſtinuerunt: alii quidèm poſt ungulas ac fidi„ culas, poſt crudeliſſima verbera & varios etiam dictu horren„ dos cruciatus, flammis abſumti; alii verò in mare demerſi; „ alii carnificibus capita ſua amputanda alacri animo præbue„ rant: nonnulli tormentis ipſis immortui, quidam fame con„ ſumti, alii denique in crucem acti; pars eo modo quo malefi„ ci vulgò configi ſolent; pars atrociùs capite deorsùm verſo „ clavis confixi & vivi eò uſque ſervati, quoad in ipſis patibulis „ fame interiiſſent.

V. Atrociora ſunt ea, quæ cap. 9. refert paſſos fuiſſe in Thebaide Chriſtianos: „ Quorum alii acutis teſtis vice ungularum „ adhibitis toto corpore ad mortem uſque lacerati. Mulieres „ verò altero pede religatæ ſublimes, capite deorsùm vergente, „ machinis quibuſdam in altum ſublatæ, nudis ac prorsùs inte„ ctis corporibus, fœdiſſimum ſimul atque inhumaniſſimum ſpe„ ctaculum cunctis intuentibus præbuerunt; alii ad ramos arbo„ rum alligati interiere, nam cùm robuſtiſſimos ramos infle„ xos machinamentis quibuſdam in unum coire feciſſent, Mar„ tyrum cruribus utrimque ad eos religatis, ramos ſubito ad „ proprium & naturalem ſitum reverti ſinebant; quo fiebat, ut „ membra eorum qui affixi erant uno impetu diſcerperentur: „ atque hæc non paucis diebus, nec exiguo temporis ſpatio, ſed „ prolixo aliquot annorum curriculo continuè perpetrata ſunt; „ cùm nunc deni, interdum viceni & ampliùs, nonnumquam „ ad triginta uſque & ſexaginta, quandoque & centeni Viri „ ſimul ac Mulieres cum parvulis uno die interficerentur, variis „ ac per vices alternatis ſuppliciis addicti „. Ita Euſebius.

VI. Ne autem ſuſpicari quis poſſet de veritate eorum, quæ narrat, addit: *Nos quoque cùm in illis partibus degeremus, quamplurimos acervatim uno die alios quidèm capite truncatos, alios verò flammis traditos vidimus: adeout gladii ipſi hebetarentur, & cædere ampliùs non valentes frangerentur; ipſique carnifices viribus fatiſcentes ſibi invicem ſuccederent. Quo quidèm tempore mirabi-*

lem inprimis animi ardorem verèque Divinam virtutem & alacritatem eorum, qui in Christum Dei crediderant, oculis nostris conspeximus. Etenim vix dum adversùs primos lata erat sententia, cùm alii aliunde ad Tribunal Judicis prosilierunt, Christianos se esse confessi: & pericula quidèm cunctaque multiformium tormentorum genera parvi ducebant, supremi verò omnium Numinis cultum liberá voce absque ullo metu profitebantur, & cum gaudio atque hilaritate ridentes capitalem sententiam excipiebant: adeout in laudem Conditoris omnium Dei, psalmos hymnosque & gratiarum actiones ad extremum usque spiritum concinerent.

VII. Inde præ cæteris extollit Eusebius Viros duos nobilitate & scientiâ claros, nempè Philoromum, qui non vulgarem Magistratum Alexandriæ exercens, quotidie Romano more stipatus Militibus jus dicebat; & Phileam Ecclesiæ Thmuicarum Episcopum, virum cunctis in patria honoribus admodùm clarum, & in Philosophiæ studio insignem. Hi ergo Jesu Christi amorem omnibus præferentes, cùm ab innumeris cognatis atque amicis, & quibusdam etiam ex Magistratibus rogarentur, ut sui ipsorum misereri, & uxoribus ac liberis suis consulere vellent; nunquam his omnibus adduci potuerunt, ut vitæ conservandæ causâ Divinas Leges de confessione nominis Christi ipsum negando contemnerent. Quare Judicis minas ac terrores nihil facientes ambo securi percussi sunt. Eorum tamen Martyrium post annum 306. contigisse fertur. Hujus Phileæ Martyris Epistolam per extensum refert Eusebius L.8. cap.10., quâ incredibilem constantiam plurium, qui Alexandriæ horribilia tormenta pro Christo superarunt, recenset.

VIII. Tria priora adversus Christianos Edicta estò quamplures etiam cujusvis status sexus & ætatis Martyrio coronaverint, directè tamen & principaliter Ecclesiæ Ministros feriebant; at sequenti anno prodiit quartum tribus prioribus violentius, quo omnes omninò Christiani Diis sacrificare sub pœna mortis jubebantur. Hoc Edicto, quod in Palæstina & Thracia primò publicatum fuit, Christiani nominis à toto Orbe exterminium, si humana potentia Divinæ prævaluisset, parabatur. Hoc fuit Edictum, de quo Constantinus Imperator (apud Eusebium L.2. de Vit. Const. cap.51.) pronuntiavit, scriptum fuisse magis sanguine quàm atramento, & gladio magis quàm calamo, exaratum à tribus immanibus bestiis Diocletiano & duobus Maximianis Herculio & Galerio, quorum furori totus Orbis Christianus ab Oriente ad Occidentem expositus fuit: *Statim igitur*, ait Constantinus, *sanguinolenta Edicta cruentis ut ita dixerim mu-*

cronibus scripsit; & Judicibus præcepit, ut ingenii solertiam sibi à natura inditam ad acerbiora supplicia excogitanda intenderent.

IX. Nec huic mandato implendo Præsides, proprio etiam odio adducti, defuere. Ad hunc annum referri potest, quòd in singulis fontibus, plateis & viis distributa forent parva Idola, & homines, qui ad eis thus adolendum quemque ex accedentibus vel transeuntibus compellerent; adeout nec ad vendendum nec emendum quidquam, nec ad aquam hauriendam procedere possent, nisi priùs Dæmoni sacrificium obtulissent. Barbarum autem Judicum ingenium in excogitandis novis ac variis tormentorum generibus, ut innocentes & justos velut gravissimi criminis reos cruciarent, testantur, qui universo Romano in Orbe ea passi sunt Martyres, de quibus in particulari aliqua inferiùs dicam. Hoc verum est (inquit Sulpitius Severus L.2.hist. num.47.) quòd eâ *tempestate omnis ferè sacro Martyrum cruore Orbis infectus est.*

X. Tales sævitiæ ministros jure Lactantius bestias, imò pejores bestiis pronuntians L.5. Inst. cap.11. ait: *Etenim si nemo est quin emori malit, quàm converti in aliquam figuram bestiæ, quamvis hominis mentem sit habiturus; quantò est miserius in hominis figura animo esse efferato?... Aspernantur itaque corpora belluarum, quibus sunt ipsi sæviores; sibique adeò placent quòd homines nati sunt, quorum nihil nisi lineamenta & summam figuram gerunt: nam quis Caucasus, quæ India, quæ Hircania tam immanes tam sanguinarias unquam bestias aluit? Quoniam ferarum omnium rabies usque ad ventris satietatem furit, fameque sedatâ protinùs conquiescit..... Nemo hujus tantæ belluæ immanitatem potest pro merito describere, quæ uno loco recubans, tamen per totum Orbem dentibus ferreis sævit, & non tantùm artus hominum dissipat, sed & ossa ipsa comminuit & in cineres furit, ne quis extet sepulturæ locus: quasi verò id affectent qui Deum confitentur, ut ad eorum sepulcra veniatur, ac non ut ipsi ad Deum perveniant. Quænam illa feritas, quæ rabies, quæ insania est lucem vivis, terram mortuis denegasse? Dico igitur nihil esse miserius iis hominibus, quos ministros furoris alieni, quos satellites impiæ jussionis necessitas aut invenit aut facit.*

XI. Deinde ad immanitatem, quâ toto Orbe sævierunt, procedens: *Quæ autem*, inquit, *per totum Orbem singuli gesserint enarrare impossibile est. Quis enim voluminum numerus capiet tam infinita tam varia genera crudelitatis? Acceptâ enim potestate pro suis moribus quisque sævit. Alii præ nimia timiditate plus ausi sunt, quàm jubebatur, alii suo proprio adversùs justos odio; quidam naturali mentis feritate; nonnulli ut placerent, & hoc officio viam sibi*

ad altiora munirent; aliqui ad occidendum præcipites extiterant, ſicut unus in Phrygia, qui univerſum Populum cum ipſo pariter conventiculo concremavit. Sed hic quantò ſævior, tantò clementior invenitur. Illud verò peſſimum genus eſt, cui clementiæ ſpecies falſa blanditur, ille ſævior, ille gravior eſt carnifex, qui neminem ſtatuit occidere. Itaque dici non poteſt, hujuſmodi Judices quanta & quàm gravia tormentorum genera excogitaverint, ut ad effectum propoſiti ſui pervenirent. His & aliis exponit Lactantius varium Præſidum genium, omnem tamen ad ſtragem Chriſtianorum collimantem.

XII. In hac ſæva tempeſtate, à tribus Imperatoribus Diocletiano & Maximianis duobus, tot turbinibus toto Romano Orbe excitatâ, ſolæ Galliæ placidâ gaudebant tranquillitate, piâ Conſtantii eis imperantis moderatione & genio in Chriſtianos propenſo eam promovente, ut Euſebius refert L. 8. Hiſt. cap. 13. Is Magni Conſtantini pater, eodem Euſebio L. 1. de Vit. Conſtant. cap. 16. teſtante, rem auditu mirabilem, facto tamen mirabiliorem geſſit: *Palatinis omnibus, qui in ipſius aula militabant, ad ipſos uſque in ſummis poteſtatibus conſtitutos datâ eligendi utrum mallent facultate, hanc conditionem detulit, ut ſi quidem Dæmonibus ſacrificaſſent, manere ipſis in palatio, & conſuetis honoribus frui liceret; ſi verò id facere renuiſſent, ab ipſius aditu excluderentur, & ab ipſius notitia & familiaritate remoti diſcederent. Cùm ergo univerſi bifariam diremti eſſent; aliuſque in hanc alius in illam partem diſceſſiſſet, & uniuſcujuſque propoſitum ac ſententia explorata fuiſſet: tunc eximius Princeps, conſilium ſuum, quod hactenùs latuerat detegens, illorum quidèm timiditatem ac nimium ſui ipſius amorem condemnavit; hos verò ob devotam Divino Numini conſcientiam magnoperè probavit. Ac deinde illos quidèm tanquam Dei proditores, ne Principis quidèm obſequio dignos judicavit: nam, quomodò, inquit, fidem erga Principem ſuum ſervaturi ſunt, qui erga Deum perfidi eſſe deprehenduntur? Itaque ejuſmodi Viros à Regiis ædibus procul ablegandos eſſe cenſuit. Illos verò, quos Deo dignos eſſe veritatis ipſius teſtimonio conſtaret, eodem erga Principem animo futuros eſſe affirmans, Protectores atque Imperii ipſius cuſtodes conſtituit; ejuſmodi homines inter præcipuos amicorum, & maximè neceſſarios habendos eſſe dicens, multòque pluris æſtimandos quàm maximarum opum theſauros.* Dignum ſanè tanto & tam pio Principe conſilium, necnon omnibus Principibus illuſtre exemplum ac documentum. Quàm felix propterea præ cæteris Imperii conſortibus fuerit Conſtantii exitus, capitibus 17. & 18. narrat Euſebius, & inferiùs dicetur.

§. XX.

§. XX.

SS. Vincentius Levita, Eulalia, Leocadia Martyres.

I. EXpositâ in generali hujus Persecutionis toto Orbe strage, de qua videri potest Eusebius L.8. hist. & L. de Martyribus Palæstinæ, ubi innumeros recenset in ea glorioso Martyrio coronatos, in sequentibus insigniora aliquorum certamina ad Fidelium solamen & excitamentum, necnon ad Divinæ gratiæ ostensionem, quæ tantis viribus Servos Dei donavit, recensebo.

II. Primus sit S. Vincentius, cujus Martyrium initio anni 304. creditur consummatum. Dacianus Præfecturam & Persecutionem simul, Maximiani Herculii in Occidente imperantis nomine in Hispaniis exercebat. Hic Cæsaraugustæ comprehensos Valerium Episcopum & Vincentium primum Diaconum, catenis oneratos, Valentiam ubi ipse morabatur transferri jussit. Vincentius genere illustris erat Oscæ Regni Granatensis Urbe natus, cujus avus paternus Agressus nomine Consulatum gesserat. Adolescens erat animoque & corpore vigens ac studio deditus. Illum à se Divinâ scientiâ imbutum, aliis instruendis Valerius vice sui præfecerat, cùm ipse impeditioris esset linguæ. Adductos ad se Dacianus increpavit, quòd mandatis Principum non obsequerentur: cùmque reticeret Episcopus, qui licèt eruditus scientiâ sed ut dixi tardioris linguæ; Vincentius ab eo petiit: si jubes, Pater, responsis Judicem aggrediar: cui Valerius: Jamdudum, inquit, fili carissime, Divini Verbi tibi curam commiseram; nunc autem pro Fide, quâ adstamus, responsa committo. Tunc Vincentius alacri animo respondit, se Christianos esse, ac veri Dei permanentis in secula famulos & testes, nec pro veritate tuenda minas ac supplicia timere; sed hæc eis cessura erunt ad coronam & vitam immortalem.

III. His & aliis Vincentii verbis furore percitus Dacianus, Valerium in exilium mitti præcepit; Vincentium verò ad equuleum applicari, ac in eo membra distendi & toto corpore dissipari. At Vincentius ac si in deliciis positus esset hilari vultu dicebat: „ Hoc est quod semper optavi, hoc est quod votis omnibus exquisivi „. Inde Tyrannum provocans: „ Insurge, ajebat, & toto malignitatis furore debacchare: videbis me Dei virtute plus posse dum torqueor, quàm possis ipse qui torques „. Quare dentibus frendens impius Judex clamare in tortores cœpit, & ac si muneri suo in torquendo deessent, virgis

ac

ac fustibus in eos desævire. Qui irati totâ rabie S. Martyris corpus adeò lacerare cœperunt, ut jam non à solis lateribus sed à toto corpore sanguis effluerent: erant enim interna viscera jam patefacta, & juncturæ à compagibus separatæ. Sed Vincentius nihil his commotus ad atrociora tormenta judicem provocabat.

IV. Hinc ex equuleo assumtus atque ad ignis patibulum raptus, tortores penè ipse præveniens moras carnificum arguendo ad pœnam alacriter properabat. Cùmque parata esset ferrea crates, & addita subtus accensa carbonum congeries, intrepidus Dei Athleta eam ultrò conscendit. Ibi jacenti, præter ignem subtus urentem, applicantur pectori & membris ardentes laminæ; salis ignibus sparsi minutiæ crepitantes per membra dissiliunt, & jam non ad artus tantùm, sed ad ipsa viscerum abdita penetrant; dum interea manet Dei servus immotus ac Deum precatur. Tantâ victus constantiâ Dacianus inde eum extrahi jubet,& in profundissimum ac obscurissimum carcerem testarum fragmentis undique stratum, distentis cruribus & pedibus ligno constrictis, eum dejici; ut quâcumque vel parvâ corporis concussione testarum aculeis plagæ exasperentur. Quod impletum est, & ostium tenebrosi carceris clausum.

V. Ibi ergo positus Vincentius, cùm è brevi somno evigilasset, vidit carcerem cœlesti lumine illustratum, ligna quibus tenebatur fracta, & acutas testas in redolentes mollesque flores conversas. Dumque his refectus, in laudes & hymnos Deo gratias agens erumpit: ecce Angelorum Chorus eum circumdat eumque hoc alloquio demulcet: agnosce Vincenti invictissime pro cujus nomine fideliter decertasti; ipse tibi reverà coronam præparatam servat, qui te victorem fecit esse in pœnis. Esto igitur jam securus de præmio, quia mox deposito carnis onere, nostro addendus eris collegio: dantur hinc laudes Deo, & resonante organo vocis Angelicæ modulata suavitas procul diffunditur. Suaves has voces audientes custodes, territi ad clausas carceris fores contendunt, & introspicientes per rimas, Dei ministros sidereâ venustate coruscantes vident, antrum tenebris primùm horribile, immensâ luce splendere, testarum aculeos multipliciter florere, Sanctumque Dei Martyrem solutis cunctis nexibus deambulantem psallere. Qui mox Divino terrore compuncti, relicto Gentilitatis errore, Christianæ Religioni fideliter se dedere; incipientes obsequia ei præstare in cujus necem fuerant grassati. Hos in Fide confirmavit Vincentius, ac venientes Fideles læto sermone allocutus est.

VI. Ad hæc sibi renuntiata exsanguis Dacianus: Quid amplius

pliùs faciemus ? inquit, victi sumus. Volens ergo ei eripere gloriam inter tormenta moriendi, jussit super mollem lectum reponi, ut attrita pœnis membra, requiē obductisque vulnerum cicatricibus reparata, novis & atrocioribus tormentis experiretur. Verùm Daciano inaniter tractante de supplicio, Christus clementer disponit de præmio. Delatus namque Dei Martyr ad lectulum, ac piis Fidelium manibus in strati mollitie repositus, mox pretiosam resolutus in mortem Cœlo triumphans spiritum reddidit. Videres tunc circumstantium frequentiam Sancti vestigia certatim deosculando prolambere, vulnera totius laceri corporis piâ curiositate palpare, sanguinem linteis excipere, sacrâ veneratione posteris profuturum.

VII. Cognito ejus abscessu, Dacianus victus atque confusus cogitavit vincere mortuum, quem non potuit superare viventem. Corpus itaque ejus in apertum campum projici mandavit, ut nullo defendente obstaculo à feris & avibus consumtum non ampliùs appareret. Sed ut ait S. Augustinus Serm. 277. cap. 1.: *Ejus fuit cadaver invictum: Dominum confessus est vivus; inimicum superavit & mortuus*. Corvus enim avis lenta & pigerrima, haud procul stans, quasi tetrâ sui specie lugentis habitum demonstrans, non solùm adventantes aves quodam impetu eminùs fugabat, sed & advenientem immanem lupum abegit à corpore; qui reflexâ in illud cervice quasi stupefactus hærens, certo modo Angelicam custodiam mirabatur. Ita factum fuit, ut corvus, qui olim Eliæ pleno ore cibum detulerat, nunc S. Vincentio Martyri jussa ministraret obsequia.

VIII. Territus hoc nuntio Dacianus, ac videns se nec mortuum vincere posse, quem non potuerat vincere vivum, desperato consilio sacrum corpus in pelagus demergi præcepit. Culeo ergo seu sacco insutum ac fiscellæ impositum, appensâ molâ, ac navigio in altum mare deductum, in escam piscium non ampliùs conspiciendum projicitur. Sed Vincentius, qui Daciani studia elusit in terra, elusit etiam in aquis, & qui *vicit inustus ignibus, vicit immersus fluctibus* (S. August. Serm. 274.): dum enim nautæ nuntiabant ei sacrum ejus Corpus in profundo maris demersum nunquam ampliùs appariturum, Deus ad maris littus illud jam deduxerat inde extrahendum & honorificè tumulandum. Sanctus enim Martyr quemdam Virum in exstasi admonet, se deportatum ad littus, & locum in quo jacebat demonstrat. Sed dum iste hæsitans, tardius exhibere parat obsequium, commonita in somnis quædam vidua nomine Jonica, ætate & pietate, provecta vera signa quiescentis corporis accepit: quæ adhibitis

secum

secum pluribus Christianis venit ad locum, & certa sibi ostensa relegens signa, Vincentii sacrum Corpus inter ipsa soli & aquarum commercia invenit: & cùm præ Gentilium furore non liceret illud honorifico tumulare cultu, ad quandam Basilicam sepeliendum delatum fuit, donec cessante Persecutione inde levatum, ad Ecclesiam extra muros Valentiæ deportatur, & sub sacro Altari reconditur. Unde S. August. Serm. 275. num. 3.: *Ille*, inquit, *qui rexit corda certantium, nec corpora deserit mortuorum. Velut de hujus ipsius Beati Vincentii corpore præclarissimum miraculum exhibuit, ut id quod inimicus omninò non apparere cupierat satagerat fecerat; tam præsenti nutu Divino proderetur, & religiosiùs humandum venerandumque demonstraretur.*

IX. Hujus S. Martyris celeberrima quovis seculo apud Latinos & etiam Græcos memoria fuit. Latini ejus Festum colunt in Martyrol. die 22. Januarii, & eâdem die Græci in Menol. Ejus Gesta integro hymno Prudentius descripsit. S. Augustinus quatuor Sermones habuit: unde brevi tempore Vincentii fama totum Christianum Orbem adeò pervasit, ut ipse Serm. 276. num. 4. dicat: *Quæ hodie Regio, quave Provincia ulla, quò usque vel Romanum Imperium, vel Christianorum nomen extenditur, natalem non gaudet celebrare Vincentii?* Illum Hispaniæ decus vocat Paulinus Poem. 27.: laudant Gregorius Turon. L. 3. hist. Franc. cap. 29. & L. 1. de Glor. Mart. cap. 90.: uno verbo: adeò celebre evasit nomen Vincentii, ut vel ipsum suum Persecutorem omnibus seculis famosum reddiderit. *Quis enim* (ait S. August. loco mox allato) *hodie Daciani vel nomen audisset, nisi Vincentii passionem legisset? Quòd verò tantâ curâ servavit Dominus Martyris corpus, quid aliud demonstravit, nisi se gubernasse viventem, quem non reliquit exanimem? Vicit ergo Dacianum vivens Vincentius, vicit & mortuus. Vivens tormenta calcavit, mortuus maria transnatavit. Sed ipse inter undas gubernavit cadaver extinctum, qui inter ungulas animum donavit invictum. Non flexit flamma tortoris cor ejus, non mersit aqua maris corpus ejus. Sed in his & hujusmodi omnibus nihil est aliud, nisi pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* His S. Augustinus & aliis S. Vincentii laudes extollit.

X. Eodem anno 304. eodem Daciano Maximiani Herculii vices in Hispaniis gerente, paulò post S. Vincentii Martyrium, contigit S. Eulaliæ Virginis Emeritensis passio, quam Prudentius Carm. 3. describit. Emerita Urbs Lusitaniæ olim celebris ei patria fuit, genus etiam nobile. Ita laudatus Prudentius.

Germine nobilis Eulalia
Mortis & indole nobilior,
Emeritam sacra Virgo suam
Cujus ab ubere progenita est
Ossibus ornat, amore colit.

Ab ipsa infantia Cœlo destinatam Eulaliam ostendebant virginitas, suavitas, modestia & gravitas, quæ in ejus vultu elucebant; ludorum pariter & ornatuum contemtus, quæ illius ætatis blandimenta esse solent.

XI. Porrò cùm Maximiani Herculii vulgatum esset Edictum, quo omnes Populi Diis sacrificare jubebantur, Eulalia, quamvis annum ætatis duodecimum nondum excederet, ardore Martyrii se incensam prodidit. Mater verò ejus ardoris impetum curans moderari, eam ad domum ruris satis ab Urbe distantem secum transtulit. Matrona tamen diligentiâ ac vigilantiâ nihil profuit; intempestâ enim nocte fores sine teste Virgo aperiens aufugit, ac per invia spinisque obsita carpens, iter pedibus laceris multa millia confecit, & ad Urbem ante lucem pervenit. Facto mane Præsidem intrepida adivit, eumque liberè (se Christianam esse professa, & ad omnia pro Christo sustinenda paratam) increpavit, quòd cultu Dæmonum tot animas perderet. Tantam in puella alacritatem admiratus Præses, eam detineri jussit: priusquam tamen tormentis experiretur, multis eam blandè est adhortatus. Quibus Eulalia nihil respondit; sed in faciem Præsidis expuens, jactu pedis Idolum (quod ibi erat) prosternit, & quæ parata erant ad sacrificium evertit.

XII. Hoc Eulaliæ factum, ut à Prudentio describitur, si secundùm prudentiæ humanæ & communis leges pensandum esset, non leves pateretur difficultates: ultrò enim se offerre Tiranno, eumque provocare, Martyris non est, sed solùm illatam passionem tolerare; ut enim docet S. Thomas 2. 2. qu. 124. a. 1. ad 3. *Aliqua pertinent ad actum virtutis secundùm præparationem animi, ut scilicet superveniente tali casu homo secundùm rationem agat. Et hoc præcipuè videtur observandum in Martyrio, quod consistit in debita sustinentia passionum injustè inflictarum. Non autem debet homo occasionem dare alteri injustè agendi; sed si alius injustè egerit, ipse moderatè tolerare debet.* Verùm si attendamus ad Divina consilia, multa in Sanctis Martyribus, Deo specialiter eos movente, facta, quæ supra communes prudentiæ regulas sunt, inveniemus; & proinde in exemplum non trahenda: & hoc de S. Eulalia in præsenti dicendum est.

XIII. Illicò igitur duo Carnifices S. Virginem jussu Præsi-

dis aggressi pectus ei dilacerant, & latus ungulis usque ad ossa secant; interea sacrâ Virgine numerante ictus, quibus eam feriebant, & dicente, hos esse characteres, in quibus Christi trophæa & victoria legi possent: adeòque constans perstitit, ut nec lacrymas nec gemitus edens prorsùs insensibilis videretur. Post hæc flammæ ardentes costis & stomacho applicantur: unde ignis ad capillos, quos super collum humerum & sinum præ modestia gestabat sparsos, ascendens ad caput pervenit, quo ipsa mori cupida os aperiens suffocata remansit. Moriens inclinavit caput & eodem tempore columba nive candidior ex ejus ore egressa ad Cœlum volavit suæ puritatis testimonium ferens. Cujus prodigii carnifices ipsi oculati testes fuerunt. Confestim verò copiosa nix (erat enim mensis December) Virgineum Corpus quod nudum remanserat, suâ albedine cooperuit & quasi sepultum reliquit.

XIV. Istius S. Virginis memoriam Martyrol. Rom. 10. Decembris colit his verbis: *Emeritæ in Hispania passio S. Eulaliæ Virginis, quæ sub Maximiano Imperatore cùm esset annorum duodecim, jussu Daciani Præsidis pro confessione Christi plurima tormenta perpessa est: novissimè in equuleo suspensa & exungulata, facibus ardentibus ex utroque latere appositis, hausto igne spiritum reddidit.* Huic in Martyrio sociam S. Juliam (cujus tamen Prudentius non meminit) adjungit dicens: *Item ibidem S. Juliæ Virginis & Martyris, quæ Beatæ Eulaliæ socia fuit, & illi ad passionem properanti comes individua adhæsit.* De qua agunt etiam Beda, Usuardus, & Ado.

XV. Aliam Sanctam Virginem Eulaliam sub Diocletiano coronatam 12. Februarii Ecclesia Barcinonensis sibi vindicat, de qua eâdem die Martyrol. Rom. hæc habet: *Barcinonæ in Hispania S. Eulaliæ Virginis, quæ tempore Diocletiani Imperatoris equuleum ungulas flammasque perpessa, demum cruci affixa Martyrii coronam accepit.* Hanc eandem esse cum S. Eulalia Emeritensi, cujus Corpus postea Barcinonam translatum sit, censent non pauci. Sed ut duas Eulalias non unam tantùm admittam, movet me primò diversitas loci, in quo leguntur passæ, nempe una Emeritæ, altera Barcinonæ: secundò diversitas temporis; nam una 10. Decembris, altera 12. Februarii; una dicitur hausto igne suffocata, altera cruci affixa.

XVI. Hisce quoque temporibus affigi potest confessio Sanctæ Leocadiæ Virginis Toletanæ, de qua Martyrol. Rom. 9. Decembris: *Toleti*, inquit, *in Hispania S. Leocadiæ Virginis & Martyris, quæ in Persecutione Diocletiani Imperatoris à Præfecto*

Hispa-

Hispaniarum Daciano dirâ carceris custodiâ macerata; cùm gravissimos Beatæ Eulaliæ & reliquorum Martyrum cruciatus audisset, genibus in oratione positis, impollutam spiritum Christo reddidit. Hujus Acta in Hymno Breviarii Toletani recitantur.

§. XXI.

SS. Cucuphas, Justus, Pastor, & alii Hispaniæ Martyres.

I. STrages, quam in Hispania Romani Præsides, præcipuè Dacianus, exercuerunt, innumeros Christo Martyres peperit; adeout sibi viderentur Christianum nomen penitùs extinxisse; quod ex antiquis inscriptionibus colligitur: in quarum una legitur: „ Diocletianus Jovius, Maximianus Herculius, „ Cæsares Augusti post extensum Romanum Imperium in „ Orientem & Occidentem, & abolitum nomen Christianum, „ quod Orbem evertebat &c. „. In altera: „ Diocletianus Cæ- „ sar Augustus, post adoptatum in Oriente Galerium, & ubique „ abolitam Christi superstitionem, necnon extensum Deorum „ cultum &c. „. In quo quàm vanè sibi fuerint adulati ostendit eventus, cùm Christianorum necibus nomen Christi magis ampliaretur, quousque tandem extincto Idolorum cultu de toto Orbe triumpharit. Horum tamen aliquos saltem in Hispania pro Christo gloriosè coronatos recensebo.

II. Martyrem Cucuphatem Barcinona exhibuit, de quo Prudentius hymno 4.

Barcinon claro Cucuphate freta
Surget.

Ejus Acta in Breviario Toletano carmine sapphico expressa leguntur, & memoria colitur in Rom. Martyrol. 25. Junii his verbis: *Barcinonæ in Hispania natale beati Cucuphatis Martyris, qui in Persecutione Diocletiani sub Daciano Præside plurimis tormentis superatis, percussus gladio victor migravit in Cœlum.* Notkerus in suo Martyrol. hæc habet: *In Hispania Civitate Barcilone Cucufatis Martyris, qui ex Civitate Scyllitana oriundus fuit; Barcinone sub Rufino Proconsule & Galerio Maximiano passus, primò gravissimè tortus & cæsus, deinde catenis adstrictus, in craticula superextensus, aceto & synapi perfusus assari jussus est: cùmque ab igne & flammarum globis illæsus apparuisset, ex præcepto impii Judicis extra Civitatem ductus in ignem copiosum iterùm projectus est: quo Divino nutu extincto, iterùm ferro vinctus in custodiam detrusus est; ubi Divino splendore consolatus, iterùm car-*

duis ferreis & taureis crudelissimè cæsus, in ultimo gladio perimente consummatus est. Hæc Notkerus; quibus distinctiùs exponit Martyris cruciatus, quamvis non sub Daciano, sed sub Rufino eos pertulisse velit.

III. Daciani victimæ Compluti extiterunt etiam SS. Justus & Pastor fratres germani, qui ex parentibus Christianis nati, cùm adhuc pueri scholas frequentarent, videntes Christianos omnes terrore concussos ob Daciani ad eos persequendos adventum, relictâ scholâ ac projectis Libris Daciano ambo se præsentarunt, Christianos se esse asserentes. Dacianus comprehendi eos ac dirè torqueri imperavit; illi autem nihil territi ad omnia pro Christo sustinenda invicem se adhortabantur. Quare Dacianus, ut declinaret pudorem, se à pueris quoque vinci, ab ulterioribus cruciatibus abstinens capite plecti confestim jussit. De his Prudentius hymno 4. ait.

Sanguinem Justi, cui Pastor hæret,
Ferculum duplex, geminumque donum
Ferre Complutum gremio juvabit
Membra duorum.

Horum memoriam Martyrol. Rom. 6. Augusti ita celebrat: *Compluti in Hispania Sanctorum Martyrum Justi & Pastoris fratrum, qui cùm adhuc pueri litteris imbuerentur, projectis in schola tabulis, spontè ad Martyrium cucurrerunt: & mox à Daciano Præside teneri jussi & fustibus cædi, cùm se mutuis exhortationibus constantissimè roborarent, extra Civitatem perducti a carnifice jugulati sunt.*

IV. Post invictum Christi Martyrem Vincentium innumeri Cæsaraugustæ Christi Fidem sanguine testati sunt; quorum memoria in Martyrol. Rom. 3. Novembris ita recolitur: *Cæsaraugustæ Sanctorum innumerabilium Martyrum, qui sub Daciano Hispaniarum Præside mirabiliter occubuerunt pro Christo.* Hi sunt quos Prudentius Hymno 4. dum de Cæsaraugustana Civitate agit his sapphicis canit.

Sola in occursum numerosiores
Martyrum turbas Domino parasti
Sola prædives pietate multa
Luce frueris.
Vix parens Orbis populosa Pœni,
Ipsa vix Roma in solio locata
Te decus nostrum superare in isto
Munere digna est.

Om-

Omnibus portis sacer immolatus
Sanguis exclusit genus invidorum
Dæmonum, & nigras pepulit tenebras
Urbe piatâ.
Nullus umbrarum latet intus horror;
Pulsa jam pestis populum refugit:
Christus in totis habitat plateis:
Christus ubique est.

His & aliis Cæsaraugustæ pro Christo Fidem extollit Prudentius; & Isidorus L.15.Originum dicit,eam esse omnibus Hispaniæ præstantiorem.

V. Inter tot tamen celebres sunt decem & octo Martyres, de quibus idem Prudentius ibi:

Tu decem Sanctos revehes & octo
Cæsaraugusta studiosa Christi
Verticem flavis oleis revincta.
Pacis honore.

Horum nomina sunt Optatus, Lupercus, Successus, Martialis, Urbanus, Julia, Quintilianus, Publius, Fronton, Felix, Cæcilianus, Evotius, Primitius, Apodemius & quatuor Saturnini: quorum omnium Corpora in eodem sepulcro recondita fuere. De his Martyrol. Rom. agit 16. Aprilis.

VI. Istis adjungit Prudentius Sanctam Encratidem seu Engratiam Virginem: de hac canit in eodem Hymno:

Hic & Encrati recubant tuarum
Ossa virtutum, quibus efferati
Spiritum Mundi violenta Virgo
Dedecorasti.

De hac Martyrol. Rom. post enarratam decem & octo Martyrum passionem 16. Aprilis subjungit: *Ibidem Sanctæ Encratidis Virginis & Martyris, quæ laniato corpore, mamillâ abscissâ & jecore avulso adhuc superstes, in carcere inclusa est; donec ulceratum corpus putresceret.* Hi omnes sub Daciano passi probabiliter creduntur. Sanctæ Encratidis & aliorum 18. Martyrum Corpora inventa fuisse traduntur anno 1389. in quadam Ecclesia, quæ adhuc retinet eorum nomen, ac eorum Reliquias servat.

VII. S. Acisclі meminit Prudentius in supralaudato hymno.

Corduba Aciscluм dabit.

Quo patet eum Cordubæ Martyrio coronatum fuisse. Romanum Martyrol. 17. ei jungit Victoriam sororem, & facit utrumque passum sub Dione Præside his verbis: *Cordubæ Sanctorum Martyrum Aciscli & Victoriæ germanorum, qui in eadem* (Diocletiani)

ni) *Persecutione jussu Dionis Præsidis sævissimè cruciati, coronas à Domino illustri passione meruerunt*. Cordubæ quoque coronatum *Zoellum* addit Prudentius: hic idem putatur ac Zoilus, qui cum aliis 19. ibi passus dicitur in Martyrol. 27. Junii: *Cordubæ Sanctorum Martyrum Zoili & aliorum decem & novem*. Zoilum fuisse Clericum, S. Eulogius L.2. cap.6. testatur, & sub Diocletiano & Maximiano passum scribit Vasæus in Chron. Hisp.

VIII. In præfato Hymno Cajum & Crementem Martyres Cordubenses memorat Prudentius dicens:

Additis Cajo (nec enim silendi)
Teque, Crementi, quibus incruentum
Ferre provenit decus ex secundo
Laudis agone.
Ambo confessi Dominum steterunt
Acriter contra fremitum Latronum,
Ambo gustarunt leviter saporem
Martyriorum.

De his 16. Aprilis Martyrol. Rom. ait: *In eadem Civitate* (Cæsaraugustâ) *Sanctorum Caii & Crementii, qui secundò confessi & in Fide Christi perseverantes Martyrii calicem gustaverunt* (sub eodem creditur Daciano).

IX. Tres alios Martyres dedit Corduba, quos *tres Coronas* vocat Prudentius. Hos esse tres fratres Faustum Januarium & Martialem, qui Cordubæ passi sunt, censet Ruinart; quos Hispani Auctores vulgò existimant fuisse filios S. Marcelli Tingitani Centurionis & Martyris: qui propter Christum cingulum militare abjecit, eique duodecim filios similiter Martyres attribuunt; & licèt Tingis vulgò *Tanger* in Mauritania fuerit Martyrio coronatus, eum tamen in Hispania ortum fuisse volunt. Hi ergo tres, cùm Eugenius Præses Cordubam advenisset, ut Deos adorare præciperet, spontè ei se præsentarunt, Christianos se esse dicentes: a quo post tentatam crudeli sævitiâ eorum constantiam, igne tandem consumti sunt. Eorum passionem Martyrol. Rom. 13. Octobris ita describit: *Cordubæ in Hispania Natalis Sanctorum Martyrum Fausti Januarii & Martialis, qui primò equulei pœnâ cruciati, deinde superciliis rasis, dentibus evulsis, auribus quoque & naribus præcisis, ignis passione Martyrium consummarunt.*

X. His adjungendi sunt SS. Servandus & Germanus Martyres, de quibus Martyrol. Rom. 23. Octobris habet: *In Hispania prope Gades ad Fundum Ursonianum Sanctorum Martyrum Servandi & Germani, qui in Persecutione Diocletiani sub Viatore Vicario*

cario post verbera, squallorem carceris, famis ac sitis injuriam, & longissimi itineris laborem quem ferro onusti pertulerunt, novissimè Martyrii sui cursum cæsis cervicibus impleverunt: ex quibus Germanus Emeritæ, Servandus verò Hispali conditus est. Quorum Acta (inquit Baronius ibi) narrantur Hymno sacro Breviarii Toletani. Vicarius iste Viator fortè fuit Vicarius Præfecti, qui Daciano successerat.

XI. Gerunda etiam Catalauniæ Urbs Martyrem sub Daciano dedit S. Felicem, de quo Prudentius dicto Hymno ait:

Parva Felicis decus exhibebit
Artubus sacris locuples Gerunda.

De hoc Martyrol. Rom. 1. Augusti dicit: *Gerundæ in Hispania natalis S. Felicis Martyris, qui post diversa tormentorum genera à Daciano tamdiù jussus est laniari, donec invictum Christo spiritum redderet*. De eo scribit S. Eulogius in mem. Sanct. L. 1. cap. 16. quòd Cæsareâ Mauritaniæ Martyrii cupidus Gerundam venit. Gregorius Turon. L. 1. de Glor. Mart. cap. 92. agit de ejus miraculis. Multi alii ejus Acta retulerunt, quæ tamen Criticis parùm sincera videntur.

XII. Quia tamen Gerundæ passus dicitur S. Felix Diaconus unà cum S. Narcisso Episcopo, de quibus in Martyrol. 18 Martii ita legitur: *Augustæ S. Narcissi Episcopi, qui primus in Rhetia Evangelium prædicavit, deinde in Hispaniam profectus, cùm Gerundæ multos ad Christi Fidem convertisset, ibidem in Persecutione Aureliani cum Felice Diacono Martyrii coronam accepit*: propterea hunc Felicem Diaconum confundunt aliqui cum Felice, de quo supra. Verius tamen crediderim, duos Felices Gerundæ passos fuisse; unum Diaconum cum S. Narcisso Episcopo antea passum, cujus Corpus à Carolo Magno translatum Parisios dicitur; alterum laicum, cujus Reliquiæ Gerundæ asservantur.

De S. Narcisso dicitur, eum Gerundensem Episcopum fuisse: ingruente autem Diocletiani Persecutione Augustam in Rhetia cum Felice Diacono profectum fuisse, ibique inter alios Sanctam Afram, de qua infra, convertisse: inde post novem menses Gerundam reversum triennio Fidem Christi prædicasse, & tandem à Paganis sacrum Sacrificium celebrantem multis ictibus cum Felice Diacono necatum fuisse. Hæc aliquatenùs cum Martyr. supra relato concordant: solùm dissident, quòd Martyrol. vult eum fuisse passum sub Aureliano, cæteri autem sub Diocletiano, sub quo etiam contigit conversio S. Afræ. Conferantur quæ de S. Narcisso supra dixi cap. 12. §. 4. num. 5. & 6. Gerundæ velut illius Ecclesiæ Pater Pontifex & Martyr colitur. Sunt qui

qui eum confundant cum S. Narcisso Jerosolymitano Episcopo, de quo 29. Octobris: sed immeritò; nam iste (ex Martyrologio) Jerosolymis in pace quievit; dicitur enim: *Jerosolymis natalis Beati Narcissi Episcopi sanctitate patientiâ ac Fide laudabilis, qui centum & sexdecim annorum migravit ad Dominum.*

§. XXII.

SS. Saturninus, Dativus, &c. Martyres in Africa.

I. FOrtia suorum certamina anno 304. Africa exhibuit, quæ in Actis Sanctorum Saturnini Dativi & sociorum ad nos pervenerunt. Hi Abitinæ Urbe Proconsulari comprehensi & Carthaginem adducti, ubi Anulinus Proconsul morabatur, gloriosam Christi confessionem edidere. Res ita fuit. Persecutionis tempore, quo publicos conventus agere Fideles prohibebantur; ne à sacris mysteriis prorsùs vacarent, sapienti consilio in aliqua privata domo secretò conveniebant. Cùm ergo præfati Martyres in cujusdam Octavii Felicis domo cœtum agerent, & Divina mysteria de more celebrarent, Abitinæ Magistratus cum Stationariis Militibus repentè supervenerunt. Et primò quidèm detinuerunt *Saturninum* Presbyterum cum suis quatuor filiis, *Saturnino* videlicet Juniore & *Felice* Lectoribus, *Maria* Sanctimoniali, & *Hilarione* puero: deinde *Dativum* Senatorem, *Felicem*, alium *Felicem*, *Emeritum*, *Ampelium*, *Rogatianum*, *Quintum*, *Maximianum*, *Thelicam*, *Rogatianum*, *Rogatum*, *Januarium*, *Cassianum*, *Victorianum*, *Vincentium*, *Cæcilianum*, *Restitutam*, *Primam*, *Evam*, *Rogatianum*, *Givalium*, *Rogatum*, *Pomponiam*, *Secundam*, *Januariam*, *Saturninam*, *Martinum*, *Dantum*, *Felicem*, *Margaritam*, *Majorem*, *Honoratam*, *Regiolam*, *Victorinum*, *Pelusium*, *Faustum*, *Dacianum*, *Matronam*, *Cæciliam*, *Victoriam*, *Herectinaam*, *Secundam*, item *Matronam Januariam*, numero 49.: nempè triginta duos Viros & decem septem Mulieres: omnesque hilares & præ gaudio psalmos hymnosque canentes, Dativo præeunte & Saturnino cum filiis, sequentibus cæteris ad forum processerunt; ubi gloriosè confessi Religionem Christianam, ab Urbis Magistratu Carthaginem ad Anulinum Proconsulem catenis onerati transmissi sunt.

II. Notandum, quòd in hoc eodem foro (ferunt Acta) jam pro Dominicis Scripturis dimicaverat Cœlum „ Cùm Fundanus ipsius Civitatis quondam Episcopus Scripturas Dominicas traderet exurendas: quas cùm Magistratus sacrilegus igni „ ap-

„ apponeret, subitò imber sereno cœlo diffunditur, ignis Scri-
„ pturis sanctis admotus extinguitur, grandines adhibentur,
„ omnisque ipsa Regio pro Scripturis Dominicis, elementis
„ furentibus devastatur.

III. Carthaginem appulsi SS. Martyres ab Officialibus Anulino Proconsuli offeruntur; eique suggeritur quòd à Magistratibus Abitinensium transmissi essent Christiani, qui contra interdictum Imperatorum & Cæsarum Collectam & Dominicum (idest sacra Mysteria Corporis & Sanguinis Domini, ut Cyprianus Epist. ad Cæcilium) celebrassent. Illicò Proconsul Dativum interrogat, cujus conditionis esset & an Collectæ interfuisset? cui cùm respondisset, se Christianum esse & in Collecta fuisse: confestim postulatur, qui illius Collectæ Præses fuisset; & statim in equuleo extendi & ungulis lacerari jubetur. Sed cùm carnifices costas ejus denudassent, jamque lateribus ejus ungulis imminerent, Thelica se se tormentis subitò objiciens exclamavit: Et nos Christiani sumus, nos Collectam fecimus. Quare Proconsul furiis invectus, eum gravissimis ictibus tundi, in equuleum suspendi, ac perstridentibus ungulis laniari præcepit; Sancto Thelicâ interim media in ipsa tortorum rabie exclamante: Deo gratias. In nomine tuo, Christe Dei Fili, libera Servos tuos.

IV. Talia precanti Proconsul: quis est, inquit, ex vobis conventus vestri Præses? respondit Thelica: Is est Saturninus & omnes; ac deinde adstantem Saturninum ostendit, non quasi prodens illum, sed favens ejus ardori patiendi pro Christo, vel etiam ut Judici panderet, integram se celebrasse Collectam seu Dominicum, quando cum ipsis etiam Presbyter fuerat. Inde S. Martyr dum sæviùs torquebatur, pro inimicis suis imitator Christi veniam à Deo ferventiùs deprecabatur; & Proconsulem ac tortores his verbis monebat: „ Injustè facitis, infelices;
„ contra Deum facitis. Deus altissime, noli illis consentire ad
„ hæc peccata. Peccatis infelices; innocentes laniatis: non
„ sumus homicidæ, non fraudem fecimus. Deus illis miserere.
„ Gratias tibi ago: da mihi ad tolerantiam pro nomine tuo vi-
„ res. Libera Servos tuos de captivitate hujus seculi. Gratias
„ tibi ago, nec tibi gratias agere satis sum „. Et cum ictibus ungularum concussa fortiùs latera sulcarentur, profluensque sanguinis unda violentis tractibus emanaret, dixit ei Proconsul:
„ Incipite sentire, quæ vos pati oporteat „: cui Sanctus Thelica respondit: „ Ad gloriam meam: jam incipio videre Regnum
„ æternum, Regnum incorruptibile, Domine Jesu Christe,

„ Christiani sumus, tibi servimus: tu es spes nostra, tu es spes „ Christianorum, Deus altissime, Deus sanctissime, Deus om- „ nipotens: tibi laudes pro nomine tuo reddimus „. Cùmque sic orantem interpellaret Judex: obedire debueras jussioni Imperatorum & Cæsarum, Thelica licèt defatigato jam corpore, forti & constanti voce exclamavit: „ Non curo nisi Legem Dei „ quam didici; ipsam custodio, pro ipsa moriar, in ipsa con- „ summor, præter quam non est alia „. Tunc Anulinus non ampliùs ferre valens, jussit eum detrudi in carcerem ad ulteriora supplicia reservatum.

V. Dativus, qui de proximo appensus equuleo, fortè Thelicæ certamen cominùs aspexerat, se Christianum esse & Collectam fecisse, & ipse conclamabat. Verùm ex improviso Fortunatianus, Sanctæ Victoriæ (unius ex suprarelatis Martyribus) frater, vir togatus, sed à Christiana Religione tunc alienus, prorumpens: Domine (inquit Proconsuli) hic est, qui dum in hac Urbe nostro patre absente studiis vacaret, Victoriam sororem nostram unà cum Restitutâ & Secundâ hinc ad Abitinam Coloniam secum adduxit; nunquam enim domum nostram ingressus est, nisi ut eas simplices puellas suasionibus suis seduceret. Aderat ibi Victoria, quæ hâc imposturâ Dativum onerari ferre non valens: „ Mentiris, inquit; nullius persuasione profe- „ cta sum, nec cum ipso ad Abitinas veni: hoc possum per Ci- „ ves probare: omnia meâ sponte atque voluntate perfeci „. Nam & in Collecta fui & Dominicum cum fratribus celebravi, quia Christiana sum. Tunc Fortunatianus maledicta in Victoriam exaggerabat. Et contra Dativus ex equuleo cuncta vera responsione solvebat. Inter hæc Anulinus ardens irâ premi ungulas in Martyrem jubet: quod carnifices adeò crudeliter impleverunt, ut disruptis cutibus visceribusque divulsis secreta pectoris apparerent. Dativus tamen mente & animo immobilis ajebat: O Christe Domine non confundar. His dictis Beatissimus Martyr, quod à Domino poposcerat, tam facilè obtinuit, quàm breviter postulavit; Anulinus enim ab eo torquendo cessari jussit. Sed cùm interrogaretur, utrùm & ipse in Collecta fuisset, & constanter assereret, se Collectâ jam adunatâ supervenisse & Dominicum cum fratribus celebrasse, auctorem Collectionis se non unum fuisse, iterùm ungulis laceratur. Sed ipse pristinam repetens orationem: Rogo, ait, Christe, non confundar. Quid feci? Saturninus Presbyter noster est.

VI. Saturnino ad Tribunal adducto: Tu es, inquit Proconsul, qui contra mandatum Imperatorum & Cæsarum fecisti, ut om-

omnes hi in Collectam convenirent? Saturninus respondit: securi Dominicum celebravimus: nec enim illud omittere possumus. Quo audito, equuleo suspendi jubetur propè Dativum, qui corporis sui plagas, quibus laniabatur, nihili pendens, unicè rogabat Deum, ut servaret animam suam, ut spiritum suum custodiret & daret ei sufferentiam, ne confunderetur. Et cùm à Proconsule ei diceretur: Tu debueras alios ad bonam mentem vocare, & non contra præceptum Imperatorum & Cæsarum facere: ille fortiùs atque constantiùs clamabat: Christianus sum: quâ voce Proconsul seu veriùs Diabolus superatus, ut illi parceretur jussit, & in carcerem truderetur.

VII. Presbyter verò Saturninus in equuleo recenti Martyrum sanguine delibuto pendebat, quo ut & ipse in Fide, ut cæteri, persisteret, monebatur. Hic requisitus, an ipse omnes ad Collectam adunasset, respondit: etiam ego præsens in Collecta fui. Tunc Emeritus Lector spontè ad pugnam prosiliens: ego, inquit, sum auctor, in cujus domo Collectæ factæ sunt (fortè enim ei communis erat cum Octavio Felice domus) At Præses impetum Emeriti declinans, ad Saturninum reversus ait, quare contra præceptum fecisti? cui ille respondit: Intermitti Dominicum non potest: Lex sic jubet. Itaque Proconsul increpipitum quòd contra præceptum Imperatorum facere non debuisset, torqueri jussit; adeòque crudeles fuere carnifices, ut apertis visceribus, ad horrorem videntium nudata ossa pallerent, Sancto sene Deo se commendante, eique gratias agendo, subsidium implorante. Et cùm Proconsul repeteret: quare hoc fecisti? nil aliud ab eo obtinere potuit, nisi: Lex sic jubet, Lex sic docet. Quare & ipse à tormento depositus in carcerem redactus fuit.

VIII. Deinde ad Emeritum Proconsul ait: In tua ergo domo Collectæ factæ sunt contra præcepta Imperatorum? In domo meâ, inquit Emeritus, egimus Dominicum: at cùm ei ille diceret, quare permittebas illos ingredi, respondit? Quia fratres mei sunt, & non poteram illos prohibere, quoniam sinè Dominico esse non possumus. Positus ergo in equuleo validos carnificum patiens ictus ajebat: Rogo Christe, subveni mihi: contra præceptum Domini Dei facitis, o infelices. Dicente autem Proconsule, oportere priùs Imperatoribus obedire, respondit: Deus major est, non Imperatores: rogo Christe, tibi laudes refero, Christe Domine, da sufferentiam. Quærente autem Proconsule, an haberet Scripturas aliquas in domo sua: habeo, inquit, sed in corde meo: his Apostolum imitatus, qui Legem Do-

Domini se habere dicebat scriptam non atramento sed spiritu Dei vivi; non in tabulis lapideis sed in tabulis cordis carnalibus. Cùmque preces Deo prosequeretur, Proconsul ex equuleo deponi & ad carcerem ulterioribus suppliciis cum cæteris tentandum remisit.

IX. Tunc Felix se præsentavit ad pugnam. Tyrannus autem animo jam penè destitutus, videns carnifices jam defatigatos ac Sanctos Martyres fortes in confessione perstantes, voce minùs asperâ: Spero, inquit, vos electuros meliorem partem, ut obediendo vivatis. At omnes Sancti quasi unâ voce dixerunt: Christiani sumus; non possumus nisi Legem Domini sanctam usque ad effusionem sanguinis custodire: quâ voce percussus Proconsul Felici dicebat: non quæro, an Christianus sis; sed an Collectam feceris & Scripturas aliquas habeas. Cui Felix, Christiani, inquit, sine mysteriis & sine Dominico esse non possunt, Collectam gloriosissimè celebravimus, ad Scripturas Dominicas legendas in Dominicum convenimus semper. His confusus Anulinus adeò graviter fustibus eum cædi jussit, ut exanimis brevi ad cœlestia præmia evolarit. Ei alter Felix successit, qui pari virtute congressus, etiam ipse fustium illisione quassatus animam ponens superioris Felicis Martyrio est copulatus.

X. Post istos producitur Ampelius custos Legis, & Divinarum Scripturarum fidelis conservator: qui similiter interrogatus & confessus, se fecisse Collectam & Dominicum celebrasse ac Scripturas secum habere sed in corde, cervicibus contusus in carcerem relegatur. Eadem sors Rogatiano contigit, qui nomen Dei confessus, carceri, illæsus tamen, deputatur: cui etiam Quintus & Maximianus in confessione pares fustibus cæsi adsociantur. Post istos junior Felix spem ac salutem Christianorum Dominicum esse proclamans carceri cum aliis traditus fuit.

XI. Saturninus junior Presbyteri Saturnini filius accersitus interrogatur & ipse, an Collectæ interfuerit; & respondenti, Christianus sum, Proconsul ait, non hoc à te postulo, sed an mysteriis adfueris: cùmque ille affirmaret, dicens, Christum esse communem Salvatorem: indignatus Proconsul, in equuleo in quo ante pater ejus appensus fuerat, extendi eum præcepit, ac subinde an Scripturas haberet, postulavit: qui nil aliud ei respondit, etsi pluriès petitus, nisi: Christianus sum: aliud non est nomen, quòd post Christum oporteat nos Sanctum observare: quare Anulinus, quoniam, inquit, manes in obstinatione tua, & tu cum patre tuo vexaberis. Statimque carnifices ferreis ungulis

gulis paterno cruore adhuc madentibus ei latera discerpere cœperunt: sancto juvene interim altâ voce clamante: Scripturas habeo Divinas, sed in corde habeo; rogo te Christe, da sufferentiam, spes est in te: & cùm jam instaret Proconsul: cur contra præceptum Imperatorum fecisti? nil aliud obtinere potuit, quàm, Christianus sum. Unde Præses cessare jussit tormenta, & in patris consortium sanctum juvenem relegari.

XII. Interea vergebat in occasum dies, & Proconsul ac tortores defatigati erant; cùmque singulos in particulari cruciare ampliùs non possent, reliquos omnes Anulinus ita est allocutus: vidistis quid passi sint, qui ex vobis in confessione perseverare voluerunt, & quid patientur etiam qui eorum sequi exemplum voluerint: Qui ergo vestrum ad indulgentiam vult pervenire, modò se manifestet, ejusque vita salva erit. Sed cùm ad hæc conclamarent omnes: Christiani sumus: eos in carcerem Martyrio destinatos detrudi jussit.

XIII. Porrò ne sanctæ mulieres ac virgines certaminis gloriâ privarentur, omnes in Sancta Virgine Victoria congressæ sunt. Ita & nobilitate generis & oris venustate & virtute, præsertim virginitatis, inter omnes eminebat. Hanc ab infantia exactè coluit; adeo ut cùm parentes ejus contra ejus voluntatem nuptui eam tradere decrevissent, ipsa è fenestra sese dejiciens in Ecclesiam confugerit, ubi virginitatem Deo devovit. Hanc ergo Proconsul, cujus professionis sit, interrogat: cui illa altâ voce respondet: Christiana sum: Fortunatianus ejus frater, rationes Sanctæ Virginis inanes esse, imò & eam esse mente captam ostendere conabatur. At illa: mens, inquit, mea hæc est; nec unquam mutata sum: tunc Proconsul ei dixit: Vis ne cum Fortunatiano fratre tuo ire? respondit: nolo, quia Christiana sum; & illi sunt fratres mei, qui præcepta Dei custodiunt. His auditis depositâ Judicis auctoritate, Proconsul blandè eam persuadere cœpit, ut sibi consulere vellet, & fratri ad providendum saluti ejus parato adhæreret. Illa tamen constantior repetiit: mens mea est, numquam mutata sum; nam & in Collecta fui & Dominicum cum fratribus celebravi, quia Christiana sum: mox ergo irâ accensus Anulinus, eam cum cæteris in carcere relegans, passioni omnes reservavit.

XIV. Sed Hilarianus adhuc supererat è filiis Presbyteri Saturnini unus, ætatem adhuc teneram constantiâ vincens. Hic patris fratrumque triumphis adjungi properans, Tyranni atroces minas despexit. Cùm enim ei diceretur: Patrem tuum & fratres tuos secutus es? vox infantilis è provecto pectore statim

tim erupit: Christianus sum, & sponte ac meâ voluntate cum patre meo & fratribus Collectam feci: tunc Proconsul: Amputabo, inquit, tibi & comam & nasum & auriculas, & sic te dimittam. Ad quæ intrepidus sanctus puer clarâ voce respondit: quidquid facere volueris fac, quia Christianus sum: Proconsul verò necdum agnoscens, se in vacuum contra Deum dimicare, jubet eum cum cæteris in carcerem recipi: quo audito Hilarianus exclamavit, Deo gratias. Hucusque Acta perveniunt, nec quid de Sanctis hisce Martyribus imposterùm actum sit exponunt. Credibile est eos in carcere diù maceratos plagis & fame ac siti consumtos unum post alium, confessionem suam gloriosè consummasse. Quamvis aliqui putent, eorum aliquos & præcipuè juniorem Saturninum ad consolationem & bonum Ecclesiæ fuisse præservatos. Horum memoria in Martyrol. Rom. die 11. Februarii colitur. Eorum tamen certamen 12. Februarii videtur consignari apud August. in Breviculo Collationis tertiæ diei cap. 17. anni 304.

XV. Quia verò id quod SS. Martyribus ab Anulino in crimen vertebatur, erat, quòd *Collectam* fecissent & *Dominicum* celebrassent, non abs re erit, quid apud Veteres *Collecta* esset, quidque *Dominicum*, indicare. Collecta ergo dicebatur Collectio seu unio & conventus Fidelium in Ecclesia seu in aliqua privata domo tempore Persecutionis ad preces Deo fundendas & ad eleemosynas etiam colligendas. Has Romæ indici à Summo Pontifice colligit Baronius in Notis ad 2. Februarii ex sex sermonibus S. Leonis de Collectis habitis, in quorum tertio alludens S. Leo ad superstitiones eâ die à Gentilibus celebrari solitas, dicit, tunc magis Collectas haberi debere: *Nam illi Beatissimi Discipuli veritatis* (Apostoli) *hoc divinitùs inspiratâ commendavere doctrinâ, ut quotiès cæcitas Paganorum in superstitionibus suis esset intentior, tunc præcipuè Populus Dei orationibus & operibus pietatis instaret.* At quia in Collecta Sacerdos salutato Populo consueverat Orationem indicere dicendo *Oremus*, & in silentio orante Populo, communes Populi preces unicâ suâ voce recitabat ac Deo offerebat, inde *Collectæ* nomen huic Orationi postea tributum fuit, vel quia super Populum collectum dicitur, vel quia collectè & compendiosè Populi preces constringit. De quo plura Macri in Hierolexico V. Collecta.

XVI. *Dominicum* verò aliquando sumitur pro Ecclesia seu loco, ad quem Christiani conveniunt, ut orent & sacra celebrent mysteria, ut Dominicum idem sit ac Domini domus, in quo sensu Concilium Laodicenum Cap. 28. dicit; *Non oportet*

cœnas

cœnas in Dominicis ponere. Et S. Cyprianus Tract. de Opere & Eleemosynis: *In Dominicam*, inquit, *sine Sacrificio venis?* Et Ruffinus L.1. hist. cap.2.: *Tunc Senior, si hæc inquit, ita credis, surge & sequere me ad Dominicum*. Et Antiochiæ nobilissima erat Basilica *Dominicum aureum* appellata. Templa autem (inquit Eusebius Orat. de Laud. Constantini) *Domini vocabulo honorata sunt; non ab hominibus, sed ab ipso omnium Domino cognomentum sortita. Ab eo quippe Dominica appellantur*.

Aliquando autem convenire ad Dominicum, idem est ac convenire ad Sacrificium Corporis & Sanguinis Domini, & agere seu celebrare Dominicum idem est ac illud celebrare vel sumere. Ita loco mox allato S. Cyprianus: *Locuples & dives es & Dominicum celebrare te credis, qua corbam omninò non respicis?* Et Epist. 63.: *Nunquid ergo Dominicum post cœnam celebrare debemus?* In hoc ergo sensu præfati SS. Martyres Proconsuli dicebant, Dominicum cum fratribus celebravimus, & sine Dominico esse non possumus.

§. XXIII.

SS. Agapes Chionia Irenes &c. Anysia, Demetrius Martyres.

I. SAnctæ Agapes, Chionia, & Irenes, de quibus hic acturus sum, Thessalonicam patriam habebant, sorores erant, omnes nuptæ, & dum passæ fuerunt, earum Pater adhuc vivebat; qui tamen sicut & earum Viri pagani erant. Hoc tamen non obstabat, quin omnibus virtutibus & præcipuè ardore caritatis essent ornatæ. In sacris legendis Scripturis, quarum plures habebant Codices, ferè continuè versabantur. Porrò cùm anno 303. Diocletianus primùm de sacris Codicibus comburendis Edictum promulgasset, ut obedirent Evangelio & Abraham imitarentur, domum patriam, conjunctos, & omnia sibi relinquenda esse existimarunt, & secum sacris Libris secretò asportatis in altissimos montes, huc illucque sine domicilio vagantes se receperunt, ubi Deo solo providente alebantur. Quid de illis factum esset, nemo, nec earum pater sciebat. Post aliquod tempus proprias domos repetierunt: sed ibi maximè tristabantur, quòd liberè, ut ante, sacros Libros legendo meditari non auderent, metu ne ab ipsismet Maritis, quos ut pejores hostes timebant, deferrentur.

II. Eis tamen adhibita cautela non diù profuit, nam tandem

dem detectæ delatæ & comprehensæ, & sacri Libri, quos tantâ curâ custodierant, inventi traditi & combusti fuere. Magistratus Urbis, qui eas comprehendi jusserat, & ipsi satellites, ut scripto renuntiarent Christo ac Idolothytis vescerentur, eas adigere conabantur, sed id facere prorsùs renuentes, ad Præsidem nomine Dulcitium à Cassandro Stationario cum aliis remittuntur, scripto causam detentionis exprimente, in quo hæc legebantur: Scias, Domine, quòd Agatho, Agapes, Chionia, Irenes, Casia, Philippa, & Eutychia carnibus Diis immolatis vesci recusarunt. His auditis Dulcitius: Quænam, inquit, stultitia est, ut piis Imperatorum & Cæsarum mandatis obsequi renuatis? Inde ad Agathonem, qui ante Idolorum Minister fuerat, conversus ait: Quare tu de Sacrificiis non comedisti? Quia (respondit ille) Christianus sum. Reposuit Dulcitius: Et adhuc in eadem sententia perseveras? utique ait Agatho. Feminas deinde de eodem interrogat: cui Agapes: ego, inquit, spem meam in Deum vivum jeci; nolo conscientiæ meæ quietem adimere. Idem Chionia respondit. Irenes declarat, se timore erga Deum prohiberi, ne mandatis Cæsarum obediret. Casia, se velle animam suam salvam facere: Philippa & Eutychia, se mori potiùs paratas esse, quàm de Idolorum Sacrificiis participes fieri.

III. Dulcitius videns Eutychiam prægnantem ei dixit: Virum habes? Habui, respondit, & ex eo concepi, sed à septem mensibus mihi eum eripuit mors. Eoque rursùs petente quis esset? Ille (inquit illa) cui me sociaverat Deus. Tunc Dulcitius illam adhortari cœpit, ut hanc stultitiam deponeret, & ad rationem rediens mandatis Imperatorum pareret. Quibus Eutychia respondit: parere nolo: Christiana sum, Dei omnipotentis ancilla. Tunc Dulcitius ait: Quoniam Eutychia prægnans est, in carcerem reducatur; Legibus enim Romanis vetitum erat Feminas prægantes morti addicere. Tentavit insuper Agapen & Chioniam seducere, sed eas constantes inveniens petiit, quis ad hanc amentiam eas induxisset; sed cùm illæ, nullo hominum nominato, respondisset, Deum omnipotentem, & Jesum Christum Filium ejus unicum luce veritatis eas perfudisse; hanc in Agapen & Chioniam sententiam protulit: ut ambæ igne comburerentur, cæteræ autem in carcerem usque ad novum mandatum retruderentur. Porrò quid Agathoni, Casiæ, Philippæ, & Eutychiæ evenerit, Acta non referunt.

IV. Postquam Agapes & Chionia igne consumtæ agonem suum consummarunt, accidit ut apud Irenis cophinos plures Libri & schedæ reperirentur, quarum magna pars ex Libris sacris erat.

erat. Propterea Irenes ad Dulcitium trahitur; qui eam primò de Libris interrogavit, quis auctor fuisset ut eos custodiret, quis conscius? cui illa respondit: quòd solus Deus omnipotens eos custodiri jusserat, & ipse solus eos vidit, hominum autem nemo. Secundò ab ea quærit, ubinam post evulgatum Imperatorum Edictum cum sororibus latuerit, & quis eis tunc alimenta ministravit? respondit illa: in montibus sub dio, hic illic, scit Deus, latuimus; Deus qui omnibus alimenta suppeditat, ibi nos pavit. Et cùm rursùs peteret, an earum secessus pater & vicini conscii fuerint, & an post recessum Libros legerint, respondit: nemo, nec quisquam alius sed solus Deus ubi essemus novit: reversis autem è secessu, Libri domi nostræ erant, sed eos efferre non audebamus; & ideò summè angebamur, quòd non possemus nocte ac die in eis meditari, ut ante annum superiorem, quo illos occultavimus, consueveramus.

V. His indignatus Dulcitius dixit: sorores quidèm tuæ pœnas nostro jussu decretas exsolverunt; te verò etsi antea quàm aufugisses, propterea quòd scripta ac membranas istas occultaveras, mortis pœna tibi decreta fuerat; non tamen eodem modo jubeo è vita sic repentè discedere: verùm per satellites ipsos, & Zozimum publicum carnificem, in lupanari nudam statui præcipio, è Palatio singulis diebus panem unum sumentem, satellitibus ipsis non permittentibus te illinc discedere. Quâ pronuntiatâ sententiâ, & pœnâ mortis satellitibus & carnifici impositâ, si vel ad horæ momentum è loco, ad quem duci jusserat, eam educi permisissent, illicò ad lupanar ducta, ibi nudata constituta fuit. Deo tamen eam protegente, nullus ausus fuit ad eam accedere, nec verbo minùs honesto ejus polluere modestiam. Quare iterùm ad Tribunal ductam Judex iterùm interrogat, an in pristina temeritate adhuc persisteret; at ipsa respondente: Minimè temeritas, sed Dei pietas est in qua persisto: Judex in eam finaliter pronuntiavit, ut viva combureretur. Igitur Milites comprehensam in sublimem locum duxerunt, ubi & ejus sorores antea passæ fuerant. Cùm autem magnum rogum accendissent, jussa in eum conscendere, Sancta Irenes Psalmos canens & gloriam Dei celebrans in eum se projecit, & ita Martyrium consummavit Kalendis Aprilis anni 304.. Hæc ex Actis sinceris sunt desumta.

VI. Harum memoriam Latini & Græci celebrant. Diversitas tamen est in die; nam ubi Acta dicunt, S. Irenem Martyrium consummasse die 1. Aprilis: ex quo fieret, ut Agapes & Chionia, quæ antea passæ fuerant, illud consummarint Martio propè

 desi-

desinente; Martyrologia tamen vulgata, inter quæ Romanum, SS. Agapen & Chioniam die 3. Aprilis, Sanctam verò Irenen die 5. ejusdem mensis memorant. Græci verò in Menologio Basil. de omnibus tribus agunt die 3. Aprilis. Discrepant etiam quia Græci eas *Mulieres* vocant; quo indicatur, eas non fuisse Virgines, sed nuptas, quod supra dixi: Latini verò omnes tres Virgines fuisse in Martyrologiis asserunt. Quidquid tamen sit, eas gloriosum Martyrium pertulisse pro Christianæ Religionis Veritate, quod ad præsens argumentum pertinet, certum est.

VII. Inter plures Thessalonicæ passos recensetur quædam Virgo nomine Anysia, de qua in Martyrol. 30. Decembris & in Menologio Basilii, ubi hæc habentur: *Sancta Martyr Anysia Maximiano Imperatore ex Urbe Thessalonica piis fidelibus divitibusque parentibus nata, post illorum obitum sola derelicta, vitâ moribusque Deo gratias agebat. Quâdam autem die, cùm de more Ecclesiam adiret, obviàm ei factus Miles Idolorum cultor, comprehensam compellebat abire Idolisque sacrificare. Reluctantem verò & in ejus os conspuentem iratus Miles, trajectis gladio lateribus gravique inflicto vulnere, in terram dejecit: at illa sic dejecta Deum orare eique gratias agere non cessabat: at hunc in modum per plures boras faciens spiritum Domino tradidit.*

VIII. Insignis quoque fuit S. Demetrius. Is Thessalonicæ morabatur, ubi imitator factus Apostolorum pro Fide alacriter decertabat: cui pietatis opera conjungens verum se Christi discipulum exhibebat. Cùm Thessalonicam Maximianus Galerius advenisset, Milites destinati ad perquirendos Christianos Demetrium, qui mortem non timens latebras non quæsierat, facilè invenerunt & comprehensum Galerio eunti ad Gladiatorum pugnam in amphitheatro spectandam præsentarunt: qui præcepit eum ibi detineri circa balneum propè Amphitheatrum, donec reverteretur. Erat inter Gladiatores quidam nomine Lyeus Imperatori carus, qui ut invincibilis habebatur: unde Imperator magnum promisit præmium ei, qui cum illo congredi ausus esset. Nestor quidam nomine surgens, quamvis Imperator eum dehortaretur, pugnam acceptavit. Vix congressus lethali ictu Lyeum ferit prosternit & occidit. Quod adeò indigne tulit Imperator, ut nec cogitans de præmio quod promiserat victori, exasperatus recesserit. Ut autem erat irâ furens, recordatus Demetrii, præcepit, ut in loco ubi eum detineri jusserat, lanceâ transfigeretur, quod factum fuit. Hunc Demetrium fuisse Proconsulem, quidam præsertim ex Græcis volunt: imò talis etiam describitur in Martyrol. Rom. 8. Octobris, ubi dicitur: *Thessalonicæ Sancti*

De-

Demetrii Proconsulis, qui, cùm plurimos ad Christi Fidem perduceret, Maximiani Imperatoris jussu lanceis confossus Martyrium consummavit. Aliquibus tamen incredibile videtur, quòd Proconsul talem pro veritate moriendi animum habuerit, & quòd Proconsulem nullo præcedente mandato à Militibus captum, nullo super eum habito judicio, Maximianus occidi jusserit.

IX. Nestor quoque, qui Lyeum occidit, ponitur inter Martyres ibidem his verbis: *Ibidem Sancti Nestoris Martyris*: Ita etiam asserunt Græci in Menol. Basilii die 26. Octobris, ubi postquam egerunt de S. Demetrio (quem tamen Proconsulem non dicunt) de S. Nestore hæc habent: *Nestor Martyr Thessalonicæ claruit temporibus Maximiani Imperatoris. Christianus cùm esset, frequenter Sanctum Demetrium adibat ubicumque is moraretur, ab eo veritatis verbo accuratiùs institutus docebat. Cùm autem Thessalonicæ Maximianus adesset, & Circenses ludi committerentur, gladiatoremque Gentilem Lyeum nomine, portentosâ corporis proceritate & fortitudine in theatrum produxisset, qui omnes in certamen descendere ausos interficiebat; Sanctus Nestor zelo Divino accensus, ut audivit Maximianum dicentem, si quis vult, congrediatur cum Lyeo eumque vincat; re cum Sancto Demetrio communicatâ, ab eoque confirmatus & virtute Domini nostri Jesu Christi auctus in arenam descendit, Lyeumque gladio sustulit. Quamobrem commotus vehementer Imperator Nestorem decollari jussit. Atque ita finem habuit, de Diabolo simul & de Lyeo triumphans*. Hoc tamen factum, tum ex parte Demetrii adhortantis tum Nestoris exequentis homicidium, velut Divinæ Legi contrarium, indignum Martyre videtur. Nisi dicatur, hoc speciali Dei impulsu factum, ut Nestori esset occasio, quâ cognitus à Maximiano quòd esset Christianus, mortem pro Christo subiret. Quidquid tamen de Nestoris Martyrio sit.

X. Certum est, S. Demetrium in utraque Ecclesia ut celebrem Martyrem coli. Corpus ejus nocte Martyrium sequente ab aliquibus Christianis tumulatum eodem in loco secretò fuit, ibi diù occultum jacens; donec Leontius Præfectus Prætorii in Illyrio Ecclesiam ei erexit, quæ postea celebris evasit ob insignia ibi patrata miracula, quæ Græci narrant. Inter quæ Thessalonica à Barbaris obsessa ejus intercessione fertur liberata, teste Allatio de Simeonibus: & Michael IV. Imperator ejusdem patrocinio implorato victoriam de Bulgaris, ut narrat Historia Græca, reportavit; Deo sic honorante eos, qui in testimonium veritatis vitam pro eo dederunt.

§. XXIV.

SS. Theodora, & Didymus Alexandriæ Martyres.

I. THeodora ex nobilioribus Alexandriæ Familiis progenita Christi Fidem amplexa virginitatem suam Domino consecraverat. Postquam Diocletianus initio anni 304. ferale promulgavit Edictum, quo Christiani omnes aut Dæmoniis sacrificare aut mori jubebantur, Theodora comprehensa & carceri tradita fuit circa Martii seu Aprilis mensem. Ibi aliquandiù mansit, donec Proculus, seu Eustratius, Præses eam ad se vocavit: qui ab ea petiit, an ingenua esset an ancilla. Illa autem respondit, se Christianam esse, & à Christo Jesu liberatam à servitute peccati; cæterùm, quod ad hoc seculum attinet, se ab ingenuis parentibus genitam esse. Cùmque Lucius Urbis curator testimonio suo Ingenuitatem & honestatem Theodoræ confirmasset, ei dixit Judex: si ingenua es, quare nubere noluisti? at illa: Propter Christum, inquit, qui adveniens in carne in hunc Mundum nos eripuit à corruptione, & vitam æternam promisit. Ego autem confido in eo, si ejus Fidem servavero, me quoque corpore intactam permansuram.

II. Tunc Judex ait: Nescis Imperatores jussisse, ut vos virgines aut Diis sacrificetis aut locis infamibus exponamini? Illa verò respondit: Puto non ignorare te, quoniam Dominus voluntatem castitatis respicit; quòd si contra meam voluntatem egeris, violentia erit, mihi tamen non erit crimen: at Judex: cognoscens, inquit, te ingenuam esse & parcens speciei tuæ, misereor tui; moneo te, ne contemnas me, nihil enim proficis per Deos omnes. Cùmque ei repeteret Imperatorum jussionem, illa eodem responso repulit, nempè quòd si cogatur hoc facere, hoc sibi ad fornicationem non imputabitur: addens: quod si autem volueris caput meum abscindere, aut manum aut pedem aut totum corpus dissipare, hæc violentiæ opera sunt, non voluntatis: Deo castitatem meam voto commisi, ipse eam custodiet & columbam suam sibi servabit: cùmque instaret Judex, ne vellet generis sui nobilitatem perpetuâ infamiâ polluere; quid enim à Christo Crucifixo sperare poterat? Illa fervore accensa: Ita, inquit, spero in Jesum Christum sub Pontio Pilato crucifixum, quòd ille castitatem meam adversùs omnes hominum violentias intactam servabit, quousque ei Fidem servavero: ac Judici minanti, se, nisi pareret, tanquam vilem ancillam tractaturum,

San-

Sancta Virgo respondit: Parata sum corpus meum præstare in quod habes potestatem, sed animæ solus Deus potestatem habet: quibus accensus Judex: Expalmate, inquit, istam arctiùs, & dicite illi, noli esse stulta, sed accede & sacrifica Diis: stulta! ne me cogas injuriam tibi facere. At respondente illâ: Stulta non sum Dominum confitendo; & quam tu vocas injuriam, honor mihi & gloria erit in seculum. Judex videns se nihil proficere, supersedendum duxit.

III. Quare ad eam conversus: do, inquit, tibi tridui spatium: & per Deos nisi consenseris, jubebo te ad lupanar duci, ut omnes Mulieres videant & exemplo tuo confundantur. Theodora respondit: Hi tres dies mihi jam transierunt, fac itaque quod vis: solùm rogo te, ut immaculatam me serves, donec pronunties sententiam: tunc Judex ait: Jubeo Theodoram sub idonea custodia ad tres usque dies custodiri, si fortè pœnitentiâ ducta à contumaci sua persuasione resiliat. Nulla sanè ei violentia ingeratur, optimo enim genere est. Sicque triduò Sancta Virgo in custodia mansit. Post tres autem dies pro Tribunali sedens Judex vocari Theodoram jussit eique dixit: si te jam emendasti, sacrifica & vade. Dico autem tibi, quòd si in hoc permaneas proposito, non eris pudica. Sed ad hæc dicente ipsâ, quòd Christus, cui suam castitatem promisit, scit quomodò agnam ancillam suam custodiat: Præses ait, hactenùs distuli mandata exequi Imperatorum, ut viderem, si tuam vincere contumaciam possem; nunc, quoniam ita vis, ad locum infamem ibis, & videbimus, si tuus Christus, pro quo adeò obstinatè restitisti, ibi te custodiet.

IV. Ad lupanar ergo perducta Sancta Virgo, oculos ad Cœlum elevans dixit: „ Pater Domini nostri Jesu Christi, adjuva „ me & libera me de hoc infami loco, qui adjuvisti Petrum „ cùm esset in carcere, qui eduxisti eum sine contumelia, educ „ me sine macula hinc; ut omnes videant, quoniam tua sum „ ancilla „. Populus interea velut lupus ad prædam exteriùs stabat, circumspiciens, quis ad illam prior intraret. Dominus autem Jesus, qui in eum confidentibus adest, suscitavit quendam Christianum, qui militari veste indutus ad eam ingressus est. Quem videns illa tali habitu indutum expavit, & per angulos cubiculi circumfugere cœpit. At Didymus, non sum, inquit, qualem me vides. Frater tuus sum voluntate ac fide, qui hunc habitum, ut te hinc liberarem, assumsi. Veni itaque, vestimenta mutemus, Tu meum suscipe, quod tibi timorem incussit & egredere; ego hic manebo vestem ac personam tuam gerens.

Co-

Cognoſcens Theodora, hunc eſſe Angelum, quem poſtulaverat, à Deo miſſum, conſenſit; & veſte ſuâ femineâ traditâ Didymo, induit ipſa habitum Militis, & capite pileo, quem ad hoc ipſe attulerat, ad frontem uſque cooperto, demiſſo vultu quaſi erubeſcens, ac nemini ad portam loquens, ut ipſe monuerat, feliciter egreſſa eſt, manente Didymo femineâ veſte induto & capite cooperto. Cùmque jam turbam declinaſſet illa, Deo liberatori gratias egit.

V. Jam hora tranſierat, cùm alius quidam ingreſſus eſt; & inveniens pro femina virum ſtupefactus intra ſe dixit: Ergo ne virgines in viros demutat Jeſus? Ille qui intraverat, jam exivit; quis eſt ergo hic qui ſedet? ubi eſt virgo huc deducta? Audieram, Jeſum aquam mutaſſe in vinum & fabulam exiſtimabam: nunc quod majus eſt video, quoniam virginem demutavit in virum; timeo, ne me demutet in mulierem. At Didymus ſe ipſum manifeſtans impavidè dixit, non mutavit me Dominus, ſed me & illam coronavit. Nam quam habebatis non habetis, quem autem habetis accipite.

VI. Egreſſus ergo qui intraverat, rem pandit, cujus famâ ad Præſidem perlatâ, adduci jubetur Didymus, qui introductus ac interrogatus, quis eſſet, quis eum miſiſſet, ut hoc faceret, reſpondit: Didymus vocor: & Deus me miſit, ut hoc facerem. Tunc Præſes, confitere, inquit, ante tormenta: ubi eſt Theodora? reſpondit. Per Jeſum Chriſtum Filium Dei vivi neſcio ubi ſit. Hoc quidèm ſcio, quòd ancilla Dei eſt, & confeſſa Chriſtum illæſa permanſit. Judex ait, Didyme, cujus conditionis es? reſpondit: Chriſtianus ſum, liberatus à Chriſto. Judex ergò eum dupliciter torqueri juſſit, & quòd Chriſtianus nollet Diis ſacrificare, & quòd Theodoram fraude liberaſſet. Sed cùm eum conſtantem reperiret, caput ei amputari, & reliquum corpus igne cremari præcepit; quod impletum fuit. Hic finiunt Acta, nec quem exitum S. Theodora habuerit, indicant.

VII. Attamen ex S. Ambroſio L. 2. de Virginibus cap. 4. colligit inter cæteros P. Ruinart in Act. Mart., eam cum Didymo Martyrio coronatam fuiſſe. Cùm enim audiſſet, Didymum capite damnatum, ad locum ſupplicii feſtina cucurriſſe fertur, & de corona cum eo contendere cœpiſſe. Cùmque Didymus diceret: Mea eſt corona, qui jam ſententiâ damnatus ſum; mea eſt, ajebat illa, nolo, de tua morte culpabilem vivere, ſed magis innocentem mori. Conſenſi, ut meum quidèm ſalvares pudorem, ſed non vitam; infamiam fugi quidèm, ſed non mortem: ſi tu Martyrio me privaveris, me fefelliſti. Sic duo contende-

runt,

runt, & ambo vicerunt, quia utrique corona Martyrii reddita est. Dubitant tamen aliqui, an Virgo, de qua Ambrosius loquitur, fuerit Theodora, de qua nos; & an ille, qui sub habitu Militis ejus servavit pudorem, fuerit Didymus. Nam Ambrosius neutrius nomen indicat; imò hæc Antiochiæ contigisse non Alexandriæ dicit. Et insuper proponit hoc tanquam recèns secutum. Hæc tamen facilè concordari posse videntur. Nam historia, quam Ambrosius narrat, omninò concordat cum iis, quæ de Theodora & Didymo dicta sunt. Quòd utriusque nomen tacuerit, solùm arguit, historiam non adeò distinctè Ambrosio perspectam fuisse, quâ ratione pro Alexandria potuisse Antiochiam credere, par est; nisi dicatur, hanc mutationem exscriptorum vitio accidisse. Nec officit, quòd Ambrosius hanc historiam proponat tanquam recentem; nam cùm Theodoræ passio eodem seculo, quo vixit Ambrosius contigerit, recens & nupera dici potuit; maximè in comparatione Theclæ, de qua paulò ante mentionem fecerat. Nec tandem obest, quòd Acta supra relata Theodoræ mortem omittant; nam multa, quæ in Actis desunt à sequentibus auctoribus suppleta fuisse, sexcenta exempla demonstrant.

VIII. S. Theodoram cum Didymo Martyrium subiisse, confirmant Latini in Martyrol. Rom. 28. Aprilis his verbis: *Alexandriæ passio Sanctæ Theodoræ Virginis, quæ Idolis sacrificare contemnens, cùm esset in lupanar tradita, repentè quidam ex fratribus nomine Didymus miro Dei favore commutatis vestibus illam eripuit, qui postea in Persecutione Diocletiani sub Eustratio Præside simul cum eadem percussus simul coronatus est*. Græci etiam in Menol. Basilii die 27. Maii totam historiam sic perstringunt. *Sancta Theodora claruit temporibus Diocletiani. Cùm autem ad Præfectum Alexandriæ adducta Christum profiteretur, in lupanar conjecta est. Verùm fusis ad Deum precibus, incorruptam se servavit: nam Christianus quidam nomine Didymus, Deo inspirante, habitu militari indutus, ad eam accessit. Illa verò timore perculsa, in angulum domus profugit. At Didymus bono animo illam esse jubens, nec quidquam mali suspicari, Militari stolâ indutam è domo exire mandat; ipse verò muliebri habitu amictus, & caput velo tegens loco illius mansit. Cùm autem impurus quidam ingressus esset, & sub muliebri specie virum deprehendisset, rem totam Præfecto enarravit. Quare statim comprehensus Sanctus capite plexus fuit. Post hæc capta est & Sancta Theodora; cùmque ipsi caput amputatum esset, in flammas cadaver injectum fuit.*

§.XXV.

§. XXV.

S. Irenæus Episcopus Sirmii, Montanus, & Pollio.

I. Sirmium apud profanæ historiæ Scriptores celebris Panno-niæ Civitas fuit. Probo Imperatori natalia dedit ac simul sepulcrum: nam propè illam à Militibus irritatis, quòd nimio labore eos jussisset ad majorem aeris salubritatem aquas è vicinis agris divertere, occisus fuit. Cognita est quoque in Ecclesiastica Historia infausto nomine Photini Hæresiarchæ ejus Episcopi seculo 4., & Germani inter Arianos præcipui, & duplici Synodo in ea coacta, à Catholicis una, à Semi-Arianis altera. Æquè tamen eam illustrem reddidere diversi sancti Viri, quos post Evangelium susceptum Christo dedit, inter quos Principem locum tenet S. Irenæus, de quo hìc agemus. Modò tamen stragibus Gothorum Hunnorum & plurium Barbarorum devastata ad pagum redacta, nomen Comitatui in Ungaria reliquit.

II. Sanctus Irenæus probabiliter Sirmii oriundus erat. Nam tota ejus familia ejus Martyrio adfuit, quæ toto conatu studuit eum ad præferendam Fidei vitam adhortari, ut statim dicam. Ex quo inferri videtur, omnes è sua domo fuisse Paganos vel Fidei desertores. Ipse tamen à prima ætate piæ alicujus Personæ instinctu Jesum colere cœpit. Uxorem habebat & plures filios adhuc parvulos, quando Martyrium subiit. Ætate adhuc valdè juvenis erat, pietate verò & Fide provectus, ceterisque Christianis virtutibus adeò ornatus, ut meruerit in Episcopum Sirmiensis Urbis in adolescentia sua eligi, & ad palmam Martyrii pro Fide & Populo sibi credito constanter pugnando pervenire, imperante Diocletiano 8. Idus Aprilis anni 304. Res ita contigit.

III. Probo Pannoniam gubernante, Irenæus Episcopus comprehensus & coram ipso adductus fuit. Probus ei statim præcepit, ut Diis sacrificando Imperatoris mandata faceret, alioquin tormentis subjiceretur. Cumque Irenæus respondisset, se quævis tormenta pati malle, quàm Deo negato Dæmoniis quales sunt Dii sacrificare; nam qui Diis & non Deo sacrificat eradicabitur; iratus Probus dixit: aut sacrifica, aut faciam te torqueri. Cui Irenæus: Gaudeo, inquit, si feceris, ut Domini mei passionum particeps inveniar. Quare Præses jussit eum torqueri. Cùmque acerbè vexaretur, dixit ei Probus: Quid dicis Irenæe? Sacrifica. At ille: Sacrifico, inquit, per bonam confessionem Deo meo, cui semper sacrificavi. Tunc accesserunt

pa-

parentes ejus uxor filii cognati & amici ejus, qui videntes eum torqueri, lacrymis & plorantibus eum flectere conabantur. Hinc pueri pedes ejus amplectentes dicebant: miserere tui & nostri pater uxor quoque ejus lugens vultum & ætatem ejus precabatur; parentum verò & omnium luctus & fletus erat super eum, domesticorum gemitus, vicinorum ululatus & lamentatio amicorum, qui omnes clamantes ad eum dicebant: teneræ adolescentiæ tuæ miserere. Sed ille meliore cupiditate detentus, sententiam Domini ante oculos habens, qui dixit: *Si quis me negaverit coram hominibus, & ego negabo eum coram Patre meo, qui est in Cœlis*: omnes despiciens, nulli eorum respondit. Probus autem Præses ait: quid dicis? Flectere horum lacrymis ab insania tua, & consulens adolescentiæ tuæ, sacrifica. At Irenæus: Consulo mihi, inquit, in perpetuum, si non sacrificavero. Tunc Probus recipi eum jussit in custodiam carceris; ubi plurimis diebus clausus diversis pœnis est afflictus.

IV. Post hæc, residente pro Tribunali Probo, mediâ nocte Irenæus adductus est, à quo semel & iterùm jussus ut sacrificaret, cùm ille constans negaret dicens: fac quod jussus es; hoc à me ne expectes; fustibus cæsus est. Sed nihil proficiens Probus eum interrogat: uxorem habes? Irenæus respondit: non habeo inquit. Iterùm: Parentes habes? respondit: non habeo: tunc Probus ait: Et qui fuerunt illi, qui in præterita flebant sessione? Respondit Irenæus: Præceptum Domini mei Jesu Christi est dicentis: Qui diligit patrem aut matrem aut uxorem aut filios aut fratres aut parentes super me, non est me dignus. Et hæc dicens oculos ad Cœlum levabat, ostendens se neminem nosse super terram. Unde dicenti Probo: sacrifica saltem propter filios, respondit: filii mei Deum habent, quem & ego, qui potest eos salvare: tu autem fac quod tibi præceptum est. Iratus Probus: dabo, inquit, in te sententiam. Respondit Irenæus: gratulor si feceris. Tunc sententiam protulit: quòd Irenæus præceptis Regalibus inobediens præcipitetur in fluvium: quam audiens Irenæus dixit: Post tot minas & tormenta nil aliud in me decernis? expectabam, ut ferro me subjiceres. Hoc facias oro; & discas, quòd Christiani propter Fidem, quæ est in Deo, mortem contemnere consueverunt. Tandem fiduciâ percussus Præses, jussit, eum etiam gladio percuti. Quibus Sanctus Martyr gratias agens ductus fuit in pontem supra Savum, ubi expolians se vestimentis suis, commendans animam suam Deo, & Sirmiensis Populi in Fide constantiam, truncato capite Martyrium consummavit, & Corpus ejus in Savum fluvium projectum fuit sexto seu octavo Idus Aprilis.

V. Hujus tamen memoriam celebrant Latini in Martyrol. die 25. Martii his verbis: *Sirmii passio Sancti Irenæi Episcopi & Martyris, qui tempore Maximiani Imperatoris sub Præside Probo, primùm tormentis acerrimis vexatus, deinde diebus plurimis in carcere cruciatus, novissimè abscisso capite consummatus est*. Græci verò de eo agunt die 23. Augusti, ubi in Menol. Basil. hæc habent: *Sacer Christi Martyr Irenæus imperante Diocletiano fuit. Edocens autem eos, qui ad ipsum adventabant, atque in Christi veritate instituens & Christum apertè prædicans, delatus est ab Idololatris apud Probum Præfectum, ac detentus & catenis devinctus stetit ante illum. Interrogatus verò, cujus nominis fortunæ Religionis patriæ atque instituti esset, cæteris omnibus ipse omissis, se Jesu Christi servum confessus est. Acriter igitur percussus custodiæ traditur, & magnas ibidem pertulit calamitates; jussis carceris custodibus, non modò quàm diligenter ipsum asservare, sed nemini permittere, ut ad illum curandum, seu ad aliqua ei afferendum esculenta introiret. Ergo post multos dies de carcere eductus ac denuò coactus desciscere à Christo, Idolisque sacrificare, & nullo modo ad id se induci passus, flagellis vehementer contunditur. Post hæc gladii subiens sententiam, capite plectitur*.

VI. Acta S. Pollionis (de quo statim) mentionem faciunt Sancti Montani Presbyteri Ecclesiæ Singidunensis sub eodem Probo, qui exordium Persecutionis ab Ecclesiasticis præcipuè sumebat, Martyrio coronati. Huic Martyrol. Romanum Sanctam Maximam ejus uxorem Martyrii sociam adjungit: sic enim 26. Martii habet: *Sirmii Sanctorum Martyrum Montani & Maximæ, qui ob Christi Fidem in flumen demersi sunt*. Pleraque alia Martyrologia quadraginta eis in passione socios tribuunt. Monet tamen Baronius in Notis ibi: „ Cùm Montanum & Maximam audis, ne quid tibi subrepat ob similitudinem nominum de Montano illo & Maximilla, qui fuerunt hæresiarchæ Cataphrygarum dogmatis, qui nec Martyres occubuere, sed ut scribit Apollinaris Hierapolitanus Episcopus apud Eusebium L 5. cap. 15., arrepti malo spiritu, sibi ipsis laqueo mortem consciverere: hi autem pro Fide Christi certantes, in flumen demersi sunt.

VII. Nunc de S. Pollione seu Pullione sermo fit. Probi crudelitas cùm Irenæi & Montani sanguine Sirmii fuso satiata non fuisset, vicinas peragrandas esse censuit Civitates. Cùmque sub specie publicæ necessitatis ad Urbem Cybalitarum pervenisset (Urbem claram natalibus Valentiniani Imperatoris & Eusebii illius Episcopi certamine, qui in superiori Persecutione pro Christi nomine de Diabolo triumphaverat) contigit, ut eodem die

die comprehensus Pullio, primus inter Lectores & Fidei ardore notissimus, à Ministris ei offerretur dicentibus: Hic in tantam superbiam prorupit, ut Deos ac Principes blasphemare non cesset. Cybalis olim Urbis Episcopalis modò vix ullum extat vestigium; inter Sirmium & Mursam sita erat.

VIII. Adstantem ergo Pollionem Probus interrogavit, quis esset, cujus Religionis, & quo munere fungeretur. Cui respondit: Christianus sum & Primicerius Lectorum. At quorum Lectorum? inquit Probus. Eorum Pollio respondit, qui eloquentiam Divinam Populis legere consueverunt. Ita (ait Probus) illi nimirùm, qui leves mulierculas, dum vetant ne nubant, pervertere, & ad vanam castitatem suadere dicuntur? Respondit Pollio: „ Leves & vani illi sunt, qui relicto Creatore suo ve-
„ stris superstitionibus acquiescunt; cæterùm devoti & constan-
„ tes illi sunt, qui Regi æterno servant fidem, qui mandata quæ
„ legerint, etiam tormentis prohibentibus implere contendunt„.
At Probus: Cujus Regis & quæ sunt hæc mandata? Tunc Pollio ait: „ Christi Regis sunt pia & sancta mandata, quæ nimirùm
„ unum Deum in Cœlis indicant tonantem, quæ non posse
„ Deum dici ex ligno & lapide formatum testantur, quæ corri-
„ gunt noxas & emendant, quæ innocentes in perseverantia
„ corroborant; quæ Virgines custodire docent virginitatem,
„ nuptas continentiam in procreatione filiorum: quæ dominis
„ in servos plus pietate quàm tumore dominari persuadent,
„ ac Regibus justa imperantibus obedire, reddere honorem
„ parentibus, amicis vicem, inimicis veniam, affectum civi-
„ bus, hospitibus humanitatem, pauperibus misericordiam, ca-
„ ritatem cunctis, malum nemini facere, accipere patienter
„ injurias, facere omninò nullas; suis bonis cedere, aliena ne
„ oculorum quidèm delectatione concupiscere; in perpetuum
„ esse victurum, qui pro Fide momentaneam mortem, quam
„ vos potestis inferre, contemserit. Hæc si displicent, optimè
„ cognita tuo judicio, poteris derogare„. Ita invictus Martyr Pollio.

IX. Hæc cùm audisset Probus ait: Et quid proderit, si homo interfectus hâc luce careat, & bona corporis sui universa deperdat? Proderit sanè, respondit Pollio: quia hâc brevi melior est lux illa perpetua, & dulciora sunt quæ permanent, quàm quæ pereunt bona; nec est prudentiæ caducis postponere sempiterna: at Probus nolens intelligere ait, quid ista? fac quod jusserunt Imperatores: respondit Pollio, quid est hoc? Probus dixit: ut sacrifices. Cui Pollio: Fac, inquit, quod tibi præce-

ptum eſt: ego hoc facturus non ſum, quia ſcriptum eſt: Sacrificans Dæmoniis & non Deo eradicabitur. Probus dixit: Gladio ferieris, ſi non ſacrificaveris: cui Pollio: fac, inquit, quod tibi præceptum eſt. Me autem Epiſcoporum, Presbyterorum & omnium Patrum, quorum doctrinis imbutus ſum, ſequi totâ veritate veſtigia oportet. Unde & omnia, quæ inferre volueris, totâ exultatione ſuſcipio. Quibus auditis datâ ſententiâ, juſſit Probus flammis eum exuri. Moxque raptus â miniſtris Diaboli & ductus milliario longè à Civitate, agonem ſuum gloriosè complevit anno 304. 27. Aprilis, quamvis in Martyrol. die 28. notetur.

§. XXVI.

SS. Soteris Virgo, Pancratius, Marcellinus Papa & Agnes Martyres.

I. DE Sancta Sotere Virgine & Martyre illuſtre dat teſtimonium S. Ambroſius L. de Exhort. Virg. cap.12., & L.3. de Virginibus cap.6., ex quibus locis colligitur, eam fuiſſe genere nobilem, & ex eadem familia, quâ S. Ambroſius; ideòque eam proponit Marcellinæ ſorori tanquam exemplum domeſticum, & à quo trahebat ipſa originem. Nobilitati generis Conſulatibus & Præfecturis clari, caſtitatis amorem & Fidei ſervandæ zelum Sancta Soteris conjunxit, ut ætate adhuc juvenis Martyrium pati pro Chriſto non formidarit anno 304.: quod Martyrol. Rom. his verbis die 10. Aprilis commemorat: *Romæ viâ Appiâ Sanctæ Soteris Virginis & Martyris, quæ, ut ſcribit S. Ambroſius, nobili genere nata parentum & Conſulatus & Præfecturas contemſit, juſſaque immolare non aquieſcens, & graviter & diutiſſimè alapbis cæſa eſt, & cùm cætera quoque pœnarum genera viciſſet, percuſſa gladio læta migravit ad Sponſum.*

II. At audiamus S. Ambroſium L.de Exhort.Virginis c.11., ubi Sanctæ Soteris exemplo Virgines à Mundi vanitatibus & illecebris avocans ait: *At non Sancta Soteris, ut domeſticum piæ parentis proferamus exemplum .... At non ut dixi Soteris vultus ſui curam gerebat: quæ cùm eſſet decora facie valdè & nobilis Virgo Majorum proſapiâ, Conſulatus & Præfecturas parentum ſacrâ poſtbabuit Fide, & immolare juſſa non adquievit, quam Perſecutor immanis palmis cædi præcepit, ut tenera Virgo dolori cederet aut pudori. At illa ubi audivit hanc vocem, vultum aperuit, ſoli invelata atque intecta Martyrio: & volens injuriæ occurrit, vultum offerens, ut ibi Martyrii fieret Sacrificium, ubi ſolet eſſe tentamentum pudo-*

pudoris. Gaudebat enim dispendio pulchritudinis periculum integritatis auferri. Sed illi potuerunt quidèm vultum ejus vulnerum vibicibus exarare, faciem tamen virtutis ejus & gratiam decoris interni nequaquam exarare potuerunt. Et L. 3. de Virg. cap.6. Marcellinæ sorori Soterem proponit in exemplum domesticum dicens: *Sed quid alienigenis apud te, soror, utor exemplis, quam hæreditariæ castitatis insperata succeffio, parentis insusione Martyris erudivit?* Inde Soteris constantiam celebrans: *Non vultum*, inquit, *inflexit, non ora convertit; non gemitum, non lacrymam dedit. Denique cùm cætera pœnarum genera vicisset, gladium, quem quærebat, invenit*. Hæc aliaque de S. Sotere Ambrosius.

III. Ex dictis colligitur, Sanctam hanc Virginem non in Oriente fuisse passam, ut apud Martyrologia Usuardi Adonis Bedæ invenitur, sed in Italia, & quidèm Romæ. Et hoc ex Sancto Ambrosio certum videtur; nam post allata Pelagiæ, aliarumque Antiochenarum Virginum, quæ in Oriente passæ fuerant, exempla, ad Soterem transiens ait, se relinquere *alienigenas*, & *domesticum* proferre exemplum: cùmque eam proponat tanquam de suo genere & familia, quæ Romana erat, fit, ut Soteris Romana fuerit & Romæ passa.

IV. Romæ pariter eodem tempore Martyrio coronatur Sanctus Pancratius, & ipse adolescentulus, cùm ætatem 14. annorum non excederet. Fuit hic genere nobilis, qui cùm in teneris annis orphanus relictus esset sub Dionysii patrui sui tutela, ab isto è Synnada Phrygiæ Urbe Romam ducitur. Ubi cùm propè domum, in qua Summus Pontifex (fortè tunc Marcellinus) latitabat, hospitium statuissent, illius permoti virtutibus & miraculis, quamvis Persecutio tunc violenter desæviret, Fidem Christi ambo amplexi sunt, & ab ipso Pontifice baptizati. Quindecim elapsis diebus, Dionysius vitâ functus est: cujus memoria in Martyrologiis, etiam Romano, unà cum S. Pancratio nepote 12. Maii colitur.

V. Pancratius non diù post comprehensus, quamvis quartum decimum ætatis annum nondum egressus esset, summâ tamen alacritate Christum confitetur. Quare Persecutores, ne pudore suffunderentur, se à puero vinci, omissis aliis tormentis, cum illicò capite plectunt. Quod 12. Maii anni 304. impletum fuit, ideòque in Martyrol. eâdem die legitur: *Romæ viâ Aureliâ Sancti Pancratii Martyris, qui cùm esset annorum quatuordecim sub Diocletiano Martyrium capitis obtruncatione complevit*. In hujus præclari Martyris memoriam in suæ confessionis & sepulcri loco à Symmacho Papa erecta fuit Ecclesia propè muros Romæ,

quæ S. Pancratii nomen adhuc præfert, ficut & Porta quæ ad eam ducit antea Aurelia dicta, modò S. Pancratii nuncupatur. Ad ejus fepulcrum, Gregorio Turon. tefte L. de Glor. Mart. cap.39., mirabile hoc Deus operabatur, ut qui falfo juramento adftricti ad illud accederent, ftatim à Dæmone correpti in terram mortui caderent. S. Gregorius Magnus die fefto ipfius magno Populi interventu habuit homiliam 27. in Evangelia. Sed cùm præfata Ecclefia à quibufdam Clericis adminiftraretur & diebus Dominicis à Miffæ celebratione deficerent, idem S. Pontifex Mauro Abbati Monachis ac fuccefforibus eam tradidit, injungens eis: *Ut ibidem ad facratiffimum Corpus Beati Pancratii quotidie opus Dei proculdubiò peragatur*. (L. 4. Epift. Epift. 18.) quæ tamen hodie ad PP. Carmelitas Excalceatos tranfiit, qui fummâ religiofitate in ea facris miniftrant. Inter Titulos Cardinalitios computatur. Quo honore ac Titulo licèt immeritus ipfe in præfens fruor.

VI. Marcellinus Papa, qui SS. Dionyfium & Pancratium (ut fupra) baptizaverat, eodem anno Martyrio coronatus fertur. Licèt autem de hoc multi dubitent, Martyrol. tamen Romanum 26. Aprilis eum cum fociis Martyrem recitat dicens: *Romæ Sancti Marcellini Papæ & Martyris, qui fub Diocletiano pro Fide Chrifti una cum Claudio Cyrino & Antonino capite truncatus eft: quo tempore magna fuit Perfecutio, ita ut intra unum menfem decem & feptem millia Chriftianorum Martyrio coronarentur*. Idem inter alios fentit Anaftafius Biblioth. L. de Vit. Pont., qui tamen corrigendus eft in eo quod dicit, S. Marcellinum thus adoleviffe Idolis, fed poftea pœnitentiâ ductum, ab eodem Diocletiano capite damnatum fuiffe. Quod enim S. Marcellinus Papa thus Diis adoleverit, falfam fuiffe calumniam à Donatiftis Ecclefiæ Romanæ infenfis fabricatam, demonftrat S. Auguftinus L. de unico Bapt. contra Petilianum cap. 16.; eamque refutat dicens: *Marcellinus, & Presbyteri ejus Melchiades Marcellus & Silvefter, traditionis Codicum Divinorum & thurificationis ab eo* (Petiliano) *crimine arguuntur: fed nunquid ideo etiam convincuntur, aut convicti aliquâ documentorum firmitate monftrantur? Ipfe fceleratos & facrilegos fuiffe dicit; ego innocentes fuiffe refpondeo. Quid laborem probare defenfionem meam, cùm ille nec tenuiter probare conatus fit accufationem fuam?* Eam propterea ut culumniofum hæreticorum inventum Catholici omnes eruditi cum S. Auguftino contemnunt.

VII. S. Agnetis quoque Martyrio celebris anno 304. Roma imò univerfa Ecclefia fuit, cujus in caftitate & Fide conftan-

tiam Patres commendarunt. Virgo ista genere nobili, piis parentibus nata & in Fide Christi educata, cujus sicut & castitatis servandæ ardore flagrabat, vix tertium decimum ætatis annum attigerat, cùm ad certamen pro utraque vocatur: quod Hymno 14. descripsit Prudentius, & S. Ambrosius L.1. de Virgin. cap.2. celebravit; quibus addi potest S. Augustinus Serm.274. Causam Martyrii fuisse ferunt aliqui filium Symphronii Romæ Præfecti, qui eam sibi sponsam exoptans, ab illa, quæ virginitatem suam Christo dicaverat, repulsam passus fuerat. Quæcumque tamen fuerit causa, certum est, Sanctam Virginem comprehensam, & ad Idolis immolandum violenter raptam, signo Crucis se muniendo viriliter repugnasse. Quare Judex putans, ei magis sensibilem fore virginitatis jacturam, quàm quodcumque supplicium, minatus ei fuit, si Minervam non adorasset, & ab ea veniam non petiisset, se ejus pudicitiam publicè violandam expositurum. Quod illa Jesu Christo castitatis tutori confidens infracto contemsit animo.

VIII. Igitur nudata prorsùs vestibus fuit exposita, sed illicò propriis capillis fuit miraculosè crescentibus obtecta, ut nemo ad illam accedere, imò vel in eam oculos convertere auderet. Unus solus impudens juvenis minùs castè eam inspicere ausus, illicò Divinam ultionem expertus fuit; nam ignis ad modum fulminis (seu Angelus) è Cœlo oculos ejus feriens, infelicem obcæcatum ac semimortuum in terram prostravit, adeò ut socii ejus flentes inde asportarent, Sanctâ interim Virgine Deum orante, ut misero illi lucem ac sanitatem restitueret. Illustre hoc factum ita canit Prudentius.

En ales ignis fulminis in modum
Vibratur ardens, atque oculos ferit:
Cæcus corusco lumine corruit,
Atque in plateæ pulvere palpitat.
Tollunt sodales seminecem solo
Verbisque deflent exsequialibus.
Ibat triumphans Virgo, Deum Patrem
Christumque sacro carmine concinens,
Quòd sub profani labe periculi
Castum lupanar nec violabile
Experta victrix virginitas foret.
Sunt, qui rogatam retulerint preces
Fudisse Christo, redderet ut reo
Lucem jacenti: tum juveni habitum
Vitæ innovatum visibus integris.

IX. Huic

IX. Huic primæ coronæ aliam Sanctam Agnes adjunxit; Persecutor enim victum se cernens, eam capite damnavit. Tunc videns Carnificem Sancta Virgo exultavit, atque ad supplicium velut ad nuptias, plorantibus omnibus, imò & carnifice trepidante, sola triumphans ibat. Quò cùm pervenisset, collum in preces inclinatum gladio exhibuit, quo tremente Carnificis manu truncatum fuit. S. Ambrosius hoc enarrans loco supra laudato: *Stetit*, inquit, *oravit*, *cervicem inflexit*. *Cerneres trepidare carnificem*, *quasi ipse addictus fuisset*: *tremere percussoris dexteram*, *pallere ora alieno timentis periculo*, *cùm puella non timeret suo*. *Habes igitur in una hostia duplex Martyrium*, *pudoris & religionis*. *Et Virgo permansit*, *& Martyrium obtinuit*.

Ejus Corpus sepultum fuit viâ Nomentanâ prope Romam in agro, quem ejus parentes possidebant, quò cùm Christiani convenissent, à Paganis lapidibus ejecti, & multi vulnerati fuere. Ibi Sancta Emerentiana ejus collactanea adhuc Catechumena ad sepulcrum ejus orans lapidibus obruta remansit, & sequenti nocte in eodem loco sepulta. Ejus memoria die 23. Januarii in Martyrol. Rom. colitur. Hoc tamen non obstitit, quin S. Agnetis parentes ad ejus sepulcrum vigilias prosequerentur. Unde octavo die eis apparuit habens agnum lateri suo assidentem, &, ut alii dicunt, Choro Sanctarum Virginum comitata, eosque de gloria, quâ in Cœlis fruebatur, certiores fecit. Hujus apparitionis memoria die 28. Januarii agitur. Fertur, quòd Constantia seu Constantina Magni Constantini filia adhuc pagana ad ejus sepulcrum miraculosè sanata, ad Christum conversa ei suam virginitatem devovit. Hæc tamen narratio suspecta redditur (inquit Baronius ad ann. 324. §. 107. & 108.) ob difficultates, quas ibi elevat, & quas nostrum non est hìc expedire. Duæ in honorem S. Agnetis Romæ honorantur Ecclesiæ. Una viâ Nomentanâ extra Portam, Piam nuncupatam, in qua ejus Corpus, vel saltem maxima pars adhuc custoditur, quæ à Constantina filia (vel à Constantino Patre ad ejus preces) erecta fuisse, & in ea Constantina ipsa unà cum Constantia amita Licinii vidua sepulta traditur, seu ut alii volunt à Liberio vel Honorio I. Pontificibus extructa seu reparata. Altera in medio Romæ sita loco, qui olim dicebatur Circus Agonalis (modò *Piazza Navona*) in quo profana Gentilitatis lupanaria erant; & ad quem tracta S. Agnes ut violaretur, intacta ut dixi indè exivit.

§. XXVII.

SS. Marciana, Nabor, Felix, Victor, & Euplius Diaconus Martyres.

I. SAnctæ Marcianæ Virginis & Martyris in Martyrologiis Latinorum celebre nomen est. De ea enim agunt die 9. Januarii, qui Martyrii dies creditur; & rursùs 12. Julii, qui putatur dies Translationis Corporis ejus Toletum: unde in Breviario facer Hymnùs legitur, in quo ejus Martyrium describitur. Inde factum est, ut ex Hispanis aliqui eam ex suâ Gente fuisse autumarint: cùm tamen reverà ex Mauritania fuerit, & patriam Rusuccurrum (hodie Alger) Cæsareæ Mauritaniæ Coloniam habuerit. Ita enim in Martyrol. 9. Januarii notatur: *In Mauritania Cæsariensi Sanctæ Marcianæ Virginis, quæ bestiis tradita Martyrium consummavit*. Ejus Martyrii tempus, etsi certò statui non possit, probabiliter tamen Vincentius Belluacensis & alii sub Diocletiano eam passam fuisse arbitrantur.

II. Marciana ex Familia illustri orta, divitiis & oris venustate donata fuit. Hæc tamen omnia contemnens Cæsareæ domicilium elegit, ubi in parva cellula castitatem quam Deo voverat custodiens, vitam à deliciis & seculi pompis alienam ducebat. Contigit autem, ut quâdam die Urbem pertransiens incideret in turbam Populi, qui in platea propè Portam Tipasæ Urbis propinquæ coram Dianæ statua supra fontem erecta ludos agebat; quo viso Sancta Virgo Divino correpta Spiritu statuam illam evertit & contrivit. Unde Populus in eam insiliens ictibus gravissimè percussam ad Judicis tribunal rapuit. Quò perducta, ad primam interrogationem Jesum Christum publicè confessa, Populum adhortari cœpit, ut Idola manuum suarum derelinqueret, & veri Dei cultum amplecteretur.

III. Judex fustibus à tortoribus cædi jussam, Academiæ Gladiatorum eam tradidit constuprandam; noverant enim Pagani, apud Christianas Virgines ereptionem Virginitatis tormentorum esse maximum: hinc Tertullianus Apolog. adversùs Gentes cap. 50.: *Proximè*, inquit, *ad lenonem damnando Christianam potiùs quàm ad leonem, confessi estis, labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni pœnâ & omni morte reputari*. Hoc tamen nihil territa fuit Sancta Virgo; sciebat enim, Christum Virginum Sponsum fore suæ castitatis fidum custodem; atque ita fuit. Quidam enim Gladiatorum, cui tunc ipsa in custodiam seu veriùs in

prædam tradita fuerat, Flammeus nomine, cùm ad locum, in quo Virgo Deo preces fundens manebat, noctu accederet, murum quo progredi detinebatur invenit: quo perculsus, factâ jam die ad pedes ejus procidit, plorans ac veniam petens eamque rogans, ut precibus à Deo obtineret suam à Gladiatorum cœtu liberationem; cui illa promisit, ipsâ sui Martyrii die ab illo fœdo munere fore à Deo liberandum: quod ita evenit. Evulgatâ hujus prodigii famâ, Judex alteri & sequenti die tertio Gladiatori S. Marcianam tradi præcepit; sed cùm utrique idem murus, quem Deus ad famulæ suæ tuendam castitatem erexerat, obstitisset, non ausus fuit eam ulteriùs exponere. Hæc aliaque etiam mirabiliora operatur Deus ad suarum Sponsarum castitatem tuendam. Sancta igitur Marciana videns pudorem suum in tuto positum, unicè ad Martyrium se præparabat.

IV. Propinqua loco, in quo S. Virgo morabatur, domus erat cujusdam Judæi nomine Buderii Synagogæ Principis. Cùmque quidam illius domus irrisiones & contumelias in eam effunderent, Sancta Martyr, extraordinario Spiritus Dei impulsu afflata, domui illi maledixit Deumque rogavit, ut igne è Cœlo demisso eam consumeret, nec unquam iterùm ædificari permitteret; imò è contra lapides ipsi aliò translati in ruinam aliarum domorum, si ex illis eas extruere vellent, verterentur. Quæ Oratio exaudita fuit. Ita ut eodem momento, quo Beata Virgo emisit Spiritum, igne de Cœlo lapso domus illa & aliæ vicinæ consumtæ fuerint: & quamvis Judæi eam iterùm excitare conati fuerint, statim rueret ædificium, & qui præfatos lapides vellent assumere, sepulcra potiùs sibi, quàm domos erigerent.

V. Dies ejus Martyrii seu veriùs triumphi jam advenerat. Gladiatores in Amphitheatrum ad pugnam descenderant: & Flammeus voce clamantis Populi, ut Marciana promiserat, liberatus est. At ipsa eodem Populo postulante palo alligata ferocissimo leoni exponitur, qui furenti impetu in eam irruens vix ei pectus unguibus tetigit, cùm illicò destitit ac illæsam reliquit. Quo prodigio stupefactus Populus volebat, ut libera dimitteretur. Sed Buderius, qui ibi cum filiis suis aliisque Judæis spectator aderat, tumultu facto clamare cœpit, ut in eam taurus immitteretur; quod annuente Judice obtinuit. Quare taurus cornu in altero ex uberibus infigens, eam semimortuam & sanguine conspersam prostravit, inde in hospitium deducta ac sanguine coercito, ad novam & extremam coronam recipiendam perducitur. Ubi illa voce elatâ exclamavit, Domine te video te

te sequor: ancillæ tuæ spiritum suscipe. Tu qui mecum in carcere fuisti & dignatus es castitatem meam custodire. Quibus indignatus Judex immisit in eam leopardum, qui dentibus ei pectus lanians, felicem animam à corpore separavit. Quis ex tanta in Virgine constantia & tot patratis pro ea prodigiis Divinam potentiam & Christianæ Religionis veritatem non fateatur?

VI. SS. Nabor Felix & Victor celebri Martyrio Mediolanum decorarunt. Eos proinde laudat Ambrosius infra referendus. Natione Mauritani erant, professione Milites seu Militiæ Officiales tres omnes erant. Christi Fidem profitebantur; sed eorum Fides erat granum sinapis, quod nondum tritum suum non spargebat odorem. Venit Persecutio, & ipsi depositis armis caput gladio deponentes Martyrio suo odorem Fidei suæ toto Orbe diffuderunt. Ita S. Ambrosius L. 7. in Luc. cap. 13.: *Felix Nábor & Victor .... habebant odorem Fidei, sed latebant. Venit Persecutio, arma posuerunt, colla flexerunt: contriti gladio, per totos terminos Mundi gratiam sui sparsere Martyrii, ut jure dicatur: In omnem terram exivit sonus eorum.*

VII. S. Victorem cum SS. Nabore & Felici passum fuisse circa mensem Aprilis anni 304. probabiliter censetur. Martyrologium tamen Romanum diversis diebus eorum Martyria affigit: nempè S. Victoris diei 9. Maii, & SS. Naboris & Felicis 12. Julii. Eorum Acta fratres fuisse supponunt. Cùm ergo Maximianus Herculius Mediolani tunc moram traheret, ac eos Christianos esse rescivisset, comprehendi jussit, eorumque constantiâ minis ac terroribus frustra tentatâ, duodecim diebus nec panem nec aquam eis ministrando carcere clausos detinuit. Quo elapso tempore iterùm Maximiano præsentatos ad Anulinum Consiliarium eos remisit; à quo post quinque alios carceris dies fustibus cœsi & ungulis ferreis laniati, igni deinde applicati pœnâ incendii damnati fuere: ex quo, ut Acta ferunt, exierunt illæsi & ad carcerem reducti. Maximianus autem Laudam proficiscens, eos secum adduci jussit, ubi iterùm fustigati tandem capite damnati fuere.

VIII. Eorum Corpora Femina religiosissima Savina collegit, ac Mediolanum, ubi hactenùs jacent, deportavit. Hujus Sanctæ Mulieris Festum Mediolani celebratur, & die 30. Januarii in Martyrol. Rom. notatur. De hac tamen nil aliud scimus, nisi quòd orans ad sepulcrum SS. Naboris & Felicis obdormivit in Domino, & quòd S. Carolus cùm anno 1571. ejus sepulcrum aperuisset, reperit & corpus & vestimenta absque ulla corruptione integra.

IX. De S. Victore specialiter Acta ferunt, quòd ad Maximianum delatus & FidemChristi coram ipso generosè confessus, sex diebus carcere clausus absque cibo & potu detentus mansit, deinde denuò interrogatus ac fustibus cæsus, cùm Maximiani & Anulini minas contemneret, iterùm cæsus & ferreis compedibus vinctus fuit. Postridie eum Imperator ad se vocavit omnia instrumenta supplicii ei ostendens; quæ cùm sprevisset, totum corpus ejus liquenti plumbo jussit perfundi: cùmque S. Victor nec ea sentire indicaret, eum ad portam Vercellinam trahi jussit; ubi dum dormirent Milites in stabulum se abscondit: sed à custodibus inventus, tandem à Maximiano jussus decollari, Martyrium gloriosè consummavit. De eo Martyrol. Rom. 8. Maii hæc habet: *Mediolani natalis S. Victoris Martyris, qui natione Maurus, & à primæva ætate Christianus, cùm esset in castris Imperialibus Miles, compellente Maximiano, ut Idolis sacrificaret, in confessione Domini fortissimè perseverans, primò graviter fustibus cæsus, sed Deo protegente doloris expers, deinde liquenti plumbo perfusus, sed nihil penitùs læsus, novissimè gloriosi Martyrii cursum capitis abscissione complevit.*

X. S. Euplius natione Siculus, patriâ Catanensis, ministerio Diaconus erat, vitam adeò pauperem agens, ut domum se non habere coram Judice confessus sit. Dum Populo Evangelium legeret à Militibus Christianos perquirentibus captus, ad Calvisianum Siciliæ Gubernatorem pro Tribunali sedentem trahitur secum ferens Librum Evangelii; quo tempore sacros Libros vel retinere, pœnis rigorosissimis vetabatur. Cùm stetisset in atrio ante locum, ubi sedebat judex, altâ voce exclamavit, mori se velle, quia Christianus erat; quare introductus fuit. Sed cùm Maximianus Senator Romanus, qui cùm Calvisiano aderat, vidisset eum Librum Evangelii manibus gestantem, infrenduit, quòd Edicta Principum tantâ audaciâ violarentur. Tunc ab eo petiit, an ipse Librum illum tulisset; & Euplio affirmante, jussit ut aliqua de eo legeret. Aperto autem Libro inter alia Euplius legit illud Matth. 5. v. 10.: *Beati qui Persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum*. Et illud Matth. 16. v. 24.: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me*. Quæ cùm Calvisianus audisset, ait: Quæ sunt hæc? respondit Euplius: Hæc est Domini mei Jesu Christi Lex. Tunc Calvisianus, quoniam, inquit, hujus confessio clara est, interrogetur publicè in quæstione, & tradatur tortoribus; interim autem custodiatur.

XI. Die 12. Augusti S. Euplius coram Calvisiano iterùm sisti-

ſiſtitur: à quo interrogatus, an in præfata confeſſione perſiſteret, facto ſupra frontem ſacræ Crucis ſigno, ac tenens ſacri Evangelii Librum reſpondit: Quod jam dixi, confirmo: Chriſtianus ſum & ſacras Scripturas lego. Cùmque Judex diceret: cur Scripturas iſtas detines contra Imperatorum Edicta, & non potiùs tradis? repetiit Euplius: Chriſtianus ſum, ideòque eas tradere mihi non licet; mori potiùs volo, ac vitam iſtam amittere, quàm æternam. Quare quæſtioni ſubjectus tandiù cædi juſſus eſt, quamdiù ſe Diis ſacrificaturum non promitteret. Sed ille inter tormenta Deo gratias agens eum rogabat, ut in Fide, pro qua patiebatur, conſervaret. Cùmque diù tormentum protraheretur, Calviſianus præcepit tortoribus, ut deſiſterent, & ad Euplium converſus dixit: Infelix, Deos adora, Martem, Apollinem, & Euſculapium. Cui Euplius: Ego, inquit, adoro Patrem Filium & Sanctum Spiritum. Ego adoro Sanctam Trinitatem, extra quam nullus eſt Deus. Pereant Dii, qui non fecerunt Cœlum & terram, & quæ in eis ſunt: Chriſtianus ſum. Et cùm Præſes rursùs inſtaret: Sacrifica, ſi vis liberari; reſpondit: Sacrifico modò Chriſto Deo me ipſum, quid ultra faciam non habeo; Chriſtianus ſum. Tunc Calviſianus præcepit iterùm acriùs torqueri: at ille dum torqueretur dicebat: Gratias tibi Chriſte, ſuccurre Chriſte, propter te hæc patior Chriſte: & deficientibus viribus labiis tantùm hæc aliaque proferebat.

XII. Quamobrem Calviſianus velum interiùs ingrediens dictavit ſententiam, quam foràs egreſſus ex tabella legit: nimirum Euplium Chriſtianum Edicta Principum contemnentem, Deos blaſphemantem nec reſipiſcentem, gladio animadverti jubeo: ducite eum. Tunc appenſum eſt ad collum ejus Evangelium cum quo apprehenſus fuerat; & proclamante præcone: Euplius Chriſtianus inimicus Deorum & Imperatorum; Euplius dicebat ſemper: Gratias Chriſto meo. Et cùm ad locum perductus eſſet, prolixiùs oravit, & iterùm gratias agens præbuit jugulum, & à carnifice decollatus eſt. Sublatum eſt poſtea à Chriſtianis Corpus ejus, & aromatibus conditum ſepultum eſt. Ad ejus ſepulcrum plura patrata feruntur miracula. Hujus Martyris memoria celebratur à Latinis 12. Auguſti, à Græcis verò 11. ejuſdem menſis, ubi in Menol. Baſilii, poſt equuleum, manicas, unguiculas ferreas, & malleo oſſa concuſſa, addunt: *Poſtea ex equuleo depoſitus in carcerem detruditur: ubi ſitiens, nec aquam ad bibendum habens, fuſis ad Deum precibus fontem aquæ ex terra eduxit; bibenſque gratias Deo egit. Tum è carcere extractus, auribus ſubulis perforatis, poſtremùm gladio cæſus eſt*. Ubi aliquas adjungunt tormentorum

rum species, & prodigium aquæ salientis, quorum in Actis supra relatis nulla mentio fit.

§. XXVIII.

SS. Afra & sociæ, Julianus, & Ferreolus Martyres.

I. AUgusta Rhetiæ Urbs S. Afræ patria fuit. In ea insigne Divinæ misericordiæ donum eluxit, quam velut alteram Magdalenam è peccatrice fecit Sanctam, imò & Martyrem. In lupanari prostituta sui corporis diù copiam fecerat, ideòque infamiæ notam apud totam Civitatem contraxerat. A Beato Narcisso (de quo supra §. 21. num. 12., & cap. 12. §. 4. num. 5. & 6.) conversa ad Fidem Christi & baptizata unà cum Digna Eunomia & Eutropia ejus ancillis quæ cum ea in peccato fuerant, & Hilaria ejus matre, tanto dolore præterita crimina detestabatur, ut quamvis sciret, ea sibi in Baptismo fuisse misericordiâ Dei remissa, attamen tanquam præsentia recogitabat in concupiscentia & pravis habitibus, quos amaro fletu extinguere assiduè conabatur. Propterea abjectis divitiis, quas suis criminibus cumulaverat, ad extremam paupertatem redacta fuit, humili patientiâ tolerans ignominias, quibus à plerisque despiciebatur.

II. Cùm ergo Persecutio advenisset, Afra cum matre & ancillis comprehensa ad Judicem nomine Gajum ducta fuit. Qui cùm quæ esset, præscivisset, dixit ei: Sacrifica Diis, quia expedit tibi magis vivere, quàm inter tormenta deficere. Afra respondit: Sufficiunt mihi peccata mea, quæ ignorans Deum gessi; hoc autem quod me jubes facere, nunquam factura sum. Tunc Gajus: Accedens, inquit, ad Capitolium sacrifica. Afra tamen respondit: „ Capitolium meum Christus est, quem habeo ante oculos meos; ipsi quotidie crimina mea & peccata mea confiteor: & quia indigna sum ipsi sacrificium offerre, me ipsam pro nomine ejus cupio sacrificare, ut corpus in quo peccavi, dum pœnas pertulerit, abluatur „. Quæ audiens Gajus dixit: Ut audio, meretrix es: sacrifica, quia aliena es à Deo Christianorum. At illa respondit: „ Dominus meus Jesus Christus dixit, se pro peccatoribus descendisse de Cœlo. Nam & Evangelia ejus testantur, quòd Meretrix rigaverit lacrymis pedes ejus, & indulgentiam acceperit; & Meretrices & Publicanos nunquam despexerit, quos etiam secum manducare permisit.

III. Hâc

III. Hâc viâ nihil se proficere videns Judex, aliam excogitavit. Eam ergo adhortari cœpit, ut sacrificando pristinam resumeret vitam, ut sic diligeretur ab amatoribus suis, & sibi pecuniæ multæ inferrentur ab eis. Exhorruit ad hæc verba Afra & protestata est, se nunquam execrabiles, quas jam projectas, quia malâ conscientiâ acquisitas, pecunias admissuram. Quare Judex ad priora reversus, jam te, inquit, Christus dignam non habet: sine causa vis eum Deum tuum dicere, qui te suam esse non cognoscit. Meretrix enim quæ est, dici Christiana non potest. (Hoc judicium de puritate Religionis Christianæ vel Gentiles ipsi ferebant): respondit Afra: „ Christiana ego quidèm „ dici non mereor, nec vocari; sed misericordiâ Dei, qui non „ de merito sed de sua pietate judicat, ipse me ad hoc nomen „ admisit „. Petente autem Judice: unde hoc sciret? ait: „ In „ hoc me cognosco, à facie Dei non esse projectam, quia ad „ gloriosam confessionem sui Sancti Nominis permittor accede„ re, per quam me credo omnium scelerum meorum indulgen„ tiam accepturam „: At Judex has esse fabulas dicens, eam Diis sacrificare jussit, per quos salutem consequeretur. Cui cùm respondisset, salutem suam Christum esse, qui in Cruce pendens latroni confitenti bona Paradisi pollicitus est. Tunc Gajus sacrifica, inquit, alioquin te cædi faciam in conspectu amatorum tuorum. At illa ait: Confusio mihi nulla est, nisi de peccatis meis.

IV. Propterea videns Gajus, se cum ea operam perdere, dixit ei: Sacrifica, alioquin occideris; & Afra respondente: „ Hoc est quod opto, si tamen merear, ut per hanc confessio„ nem digna efficiar requiem invenire. Corpus in quo peccavi „ torqueatur; nam animam meam Sacrificiis Dæmonum non „ coinquinabo „. Impius Judex dictavit sententiam, ut viva incenderetur. Statim igitur à Ministris rapta, & in Insulam Lyci fluminis ducta, vestibus expoliata ad stipitem ligata fuit: Illa autem Deum precabatur, ut suarum immemor iniquitatum per hunc ignem temporalem ab igne æterno corpus & animam liberare dignaretur. Quibus dictis sarmentis circumdata, ac igne supposito, vox ejus audiebatur dicentis: „ Domine Jesu Chri„ ste, qui me dignatus es hostiam habere pro nomine tuo, qui „ pro toto Mundo solus hostia oblatus es in Cruce, justus pro „ injustis, benedictus pro maledictis, mundus è peccato pro „ peccatoribus universis, Tibi offero Sacrificium meum, qui „ cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas Deus in secula se„ culorum. Amen „. Et hæc dicens emisit spiritum. Ejus memo-

moria in Martyrologio Romano die 5. Augusti celebratur.

V. Porrò dum Beata Afra Martyrium consummasset, stabant juxta ripam fluminis Digna Eunomia & Eutropia, quæ fuerunt ejus ancillæ, simulque fuerunt in peccato, & simul à Sancto Narcisso Episcopo baptizatæ. Hæ precibus obtinuerunt, ut in Insulam transferrentur, ibique S. Afræ Corpus prorsùs integrum invenerunt. Puer autem, qui cum ipsis erat, transnatavit & nuntiavit matri ejus Hilariæ: quæ noctu veniens cum Sacerdotibus Dei, tulit Corpus ejus & posuit secundo milliario à Civitate Augusta in monumento, quod sibi suisque construxerat. Quod cum Gajo Judici nuntiatum esset, misit ad monumentum, ubi Beatæ Mulieres manebant dicens: Ite & tenete eas: & si consenserint vobis ad sacrificandum, cum honore eas adducite ad me; si verò eas contumaces reperieritis, eas in monumento ipso comburite. Euntes autem Milites, priùs blando sermone eas provocabant, deinde terroribus impellebant. At ubi viderunt, omnes simul contemnere Sacrificia, repleverunt sarmentis & spinis aridis sepulcrum illudque clauserunt, ac supposito igne abjerunt. Sicque factum est, ut eâdem die, quâ sepulta est Afra, simul etiam mater ejus Hilaria & famulæ ejus Digna Eutropia & Eunomia simul Martyrii coronam acciperent. Hæc ex sinceris Actis apud Ruinart desumta sunt.

VI. De his Martyrol. Rom. agit 12. Augusti, ubi alios quoque Martyres adjungens, hæc habet: *Augustæ Vindelicorum S. Hilariæ Matris Beatæ Afræ Martyris, quæ cùm ad sepulcrum illius excubaret, ibidem pro Fide Christi â Persecutoribus igni tradita est cum Digna & Eutropia & Eunomia ancillis suis. Passi sunt etiam eâdem die in præfata Urbe Quiriacus, Largio, Crescennus, Nimmia, & Juliana cum aliis viginti*. Hæc anno 304. contigisse creduntur. Quomodò autem hæ omnes in eodem sepulcro concrematæ fuerint facilè concipietur, si advertatur, apud Antiquos sepulcra fuisse structuræ elevatæ, & sepè etiam spatiosa, ut plures in eis hospitari possent. Unde in ea loca (etiam Catacumbas dicta) ardente Persecutione ad preces fundendas convenire solebant Christiani.

VII. SS. Julianum & Ferreolum simul proponam, quia eorum gesta conjuncta sunt. S. Julianus origine Viennensis in Delphinatu ex illustri familia natus erat; Militiam ad provectam usque ætatem, in qua Martyrium subiit, secutus fuit; Fidem Christi fuerat amplexatus, quam palàm profitebatur. Fidei respondebant opera, & præcipuè Caritas, quâ ejus anima flagrabat.

bat. Apud Sanctum Ferreolum morabatur; qui Tribunus erat, Christianus & ipse estò minùs apertè talem se proderet, ac summopere S. Julianum diligebat ejus pietatis causâ: sicque inter eos vera conjunctio erat, quia pietatis & caritatis vinculo tenebatur.

VIII. Interim excitatâ sub Crispino Consulari in Civitate Viennensi Persecutione, ut creditur anno 304., in hac tempestate prævidens Ferreolus, quòd Julianus Martyrii amore flagrans nullatenùs occultari se pateretur, cœpit omni instantiâ agere, ut antequam Persecutorum rabies ulteriùs procederet, Vir Dei occultè discederet, & in solamen superstitum Christianorum se reservaret. Itaque ab amico suasus & exoratus, quamvis anxiè Martyrium sitiret, ejus monitis S. Julianus parere non distulit. Cui accedebat metus, ne si Viennæ maneret, parentes & amici officiis suis Martyrii coronam ei præripuissent. His ergo apud se collatis propria quæque relinquens juxta Beati Ferreoli consilium clam discessit, & in Arvernæ Urbis territorio divertens, non alibi nisi in Brojatensi vico, in quo phanatici erroris næniæ colebantur, latitare disposuit. Unde manifestum fit, eum non metu mortis ab Urbe Viennensi secessisse, sed ob hoc potiùs ut Christi præceptum de fugiendo ab una Civitate in aliam impleret, & suis omnibus qui obstare potuissent relictis, optati stadium certaminis liberiùs currere posset.

IX. Deus non distulit diù, Crispinus enim, comperto quòd Vir Sanctus clandestino discessu fugiens in Arvernæ Urbis territorio latitaret, Milites misit exitiali imposito præcepto, ut ubicumque invenirent, caput ei truncarent. Festini iverunt, cùmque ad locum qui Vinicella vocatur pervenissent, unus ex eis oculos in Sanctum Julianum conjiciens eum contemplabatur; at iste quorumdam Senum tugurium quasi latebras quærens ingreditur: sed quia Vir Sanctus sensit se à Deo vocari, etsi Senes eum abscondere conarentur ne quid periculi à Persecutoribus eis immineret, foràs exiliens: Quem poscitis, inquit, quem quæritis, ecce adsum: in me convertite ferrum. Cùmque illi ad tantam constantiam hæsitarent, ille constantior adjecit: Nolo ampliùs in hoc seculo commorari, quia Christum totâ animi aviditate sitio; ecce occurro obvius, caput subdo intrepidus: cùmque orasset Deum, ex lictoribus unus eductâ frameâ caput illi amputavit.

X. Caput Beati Martyris abscissum, ac in vicino fonte ablutum ab ipsis Militibus Viennam delatum, in manus S. Ferreoli tandem pervenit. Corpus verò à loco, in quo percussum,

Brivatum aſportatum fuit, & à duobus memoratis Senibus honorificè ſepultum: quo in pietatis opere vigore juventutis in corpore à Deo donati fuere: ex quo colligitur, eos jam fuiſſe Chriſtianos. De aquis verò illius fontis, in quo S. Juliani caput ablutum fuit, multæ ſanitates tributæ ſunt infirmis; ab his enim cæci illuminati ſunt, febres fugatæ, incendia paucis earum guttis extincta: tandem Sanctus iſte omnes ad ſe confugientes præſente Domino Jeſu Chriſto lætos dimittit. Omnia hæc ex S. Gregorio Turonenſi excerpta ſunt.

XI. S. Ferreolus, ut dixi, Viennæ morabatur gradum Tribuni Militum exercens; ſub militari tamen habitu, quem geſtabat exteriùs, Chriſtianæ pietatis ſpiritum cuſtodiebat, eſtò coram Paganis illum publicè non proderet. Caput tamen S. Juliani, quod ſive pecuniâ ſive ſuâ auctoritate acquiſierat, imminentis ſibi Martyrii pignus fuit. Ferreolum itaque Chriſtianum eſſe rumor exiit, qui cùm ad Criſpini aures perveniſſet & ad ſuum Tribunal eum adduxiſſet, ei dixit: Ferreole, tu qui Imperatorum beneficientiâ cæteris præſtas, etiam obedientiâ eorum mandatis eminere ac cæteris exemplo tuo præire debes. Sacrificare ergo Diis juſſùs es; quid moraris? Tunc S. Ferreolus ait:
„ Chriſtianus ſum; ſacrificare Diis non debeo. Imperatoribus
„ quamdiù ſalvâ Religione licuit, militavi, juſtis Legibus pa-
„ rui; ſacrilegiis nunquam ſervivi, ſacrificare autem iis quos
„ vocas Deos, ſacrilegium eſt. Stipendia, honores, non requi-
„ ro. Paſcat ſacrilegum Militem ſacrilegus Imperator; mihi
„ ſufficit ſi ſalvâ Religione liceat vivere Chriſtianum: quòd ſi
„ id non liceat, paratus ſum mori.

XII. At Criſpinus: unde hæc, inquit, tanta moriendi fiducia? an ex injuriâ Legum & contumeliâ, quâ Principes adhuc affeciſti, venit hæc deſperatio vivendi? Scias tamen, modò dictorum tuorum te pœniteat, & Legibus ac Principibus obſequaris reprobando Sectam Chriſtianorum & numinibus ſacrificando, omne crimen tuum humanitate meâ fore abolendum. Quibus reſpondit Ferreolus, ſe nullius criminis reum eſſe, qui veram Divinitatem adorat; illos potiùs eſſe reos, qui Divinitati detrahunt & ſenſibilia ac caduca venerantur: ideòque ſe nullâ veniâ indigere, nec injurium Imperatoribus fuiſſe, dum Legem Dei Legibus eorum præpoſuit. His & aliis teſtatus fuit, ſe nec minis nec cruciatibus unquam Chriſto renuntiaturum. Quare Judex ſiſti eum præcepit ac diutiùs verberari. Cùmque nec ſic, ſuccedentibus ſibi ex more tortoribus, eum flecti poſſe videret, ſqualido carcere includi juſſit: ſtatimque Miniſtri oneratum ferro

in carcerem conjecerunt adhibitis custodibus denuò præsentandum.

XIII. Illic verò biduo exacto, summo mane tertiæ diei, ut fit, graviori somno oppressis custodibus, spontè solutis vinculis, liberum se Dei servus agnovit, & lento gradu ad ostium accedens, illud sibi patere cernit: quare juxta Evangelium Persecutionem fugiens, ad extraneam properat Regionem. Egressus foràs Portam Lugdunensem, ancipiti defixus consilio constitit, quærens secum, cui potissimùm viæ insisteret, & ut nulla posset relinquere indicia ipsum insecuturis. Præmissâ itaque oratione, difficili natatu Rhodanum transfretare instituit. Armatus igitur Fide amnem fidus ingreditur, quem sibi incumbentem leni tergo solidior unda suspendit; unde paucis natandi conatibus Beatus Martyr fluvium trajicit,& in ulteriorem ripam exit securus. Dehinc concito gradu ingressus aggerem publicum usque ad Jarem (vulgò Gere) fluvium percurrit, ubi incidens in Persecutores, & ab eis comprehensus, cùm revinctis post tergum manibus duceretur in eum locum, ubi sacrum ejus Corpus conditum fuit, gladio percussus occubuit. Hactenùs ex Actis apud Ruinart erutis à pluribus Manuscriptis, quæ fidelia reputantur, locutus sum.

Ejus Corpus eodem in loco à Fidelibus sepultum fuit, tenens unâ manu caput S. Juliani, alterâ proprium supra pectus. Ei postea erecta fuit Ecclesia à quodam ex Viennæ Primoribus nomine Castulo, adhuc Catechumeno: quam cùm S. Mamentus Viennensis Episcopus anno 470. periculo imminentis Rhodani expositam videret, aliam extruxit, ad quam sacrum ejus Corpus & S. Juliani Caput transtulit. S. Ferreolum pro speciali Patrono à Viennensibus suo tempore habitum, testatur Fortunatus L. 8. Poem. 4., ubi singularum Provinciarum vel Urbium Sanctos Tutelares recensens, ait:

Privatum Gabalus, Julianus Arvernus abundans:
Ferreolum pariter pulchra Vienna gerit.

XIV. Quia tamen duplicem Ferreolum Martyrem Gallicana Ecclesia veneratur, ideo ut tollatur æquivocatio, sciendum, unum fuisse Presbyterum, qui cum Ferrutione Diacono à S. Irenæo in Gallias ad prædicandum Verbum Dei missus, postea sub Claudio Judice ambo diversis pœnis excruciati gladio percussi sunt: & de his agit Martyrol. Rom. 16. Junii; & ad eorum intercessionem sororis suæ Virum à febre vehementiori fuisse sanatum, scribit Gregorius Turon. L. 1. de Gloria Mart. cap. 7.: Alterum Ferreolum fuisse Militem, & Tribunitiæ potestatis sub Diocle-

 tia-

tiano passum, de quo Martyrol. 18. Septembris, cujus Acta hic descripsi.

§. XXIX.

SS. Tarachus Probus & Andronicus in Cilicia Martyres.

I. Tarachus & Socii in Cilicia passi sunt Diocletiano imperante, ut creditur anno 304.. Tarachus Romanus erat Militaris familiæ, Claudiopoli tamen in Isauria natus. Aliquandiù sub nomine Victoris arma gestavit: quia tamen Christianus erat, suo annuente Duce Polybione ea dimisit; ideòque privilegiis Militiæ adhuc fruebatur. Ætatis 65. annos habebat. Probus Taracho ætate minor ex Thracia oriundus erat, natus tamen in Pamphylia, sive Tide sive Perge, conditione humilis sed fortunæ bonis dives; quæ tamen dimiserat, ut soli Deo serviret. Andronicus valdè juvenis Ephesius erat, familiâ illius Urbis præclarâ.

II. Quomodò hi tres Sancti Viri simul convenerint, ignoratur. Scitur solùm, à duobus Militibus Eutolmio & Palladio Ciliciæ Præsidi Flavio Numerio (seu Numeriano Maximo) Pompejopoli ejusdem Provinciæ Urbe fuisse præsentatos; sed quid de illis tunc ibi actum sit, latet. Ex eorum Actis solùm habetur, quòd 25. Martii cùm idem Præses Maximus Tarsi moraretur, Demetrius Centurio eos iterùm præsentavit. Interrogatus Tarachus quia ætate minor, quis esset, respondit, Christianus sum. Et quamvis Præses ei diceret, ut hanc impiam professionem taceret, ipse tamèn iteratò, Christianus, inquit, sum. Quare Præses eum in maxillis percuti jussit: cùmque ab eo tandem audisset nomen, patriam, dimissionem Militiæ, ut Christo serviret, ac ætatem; Maximus eum adhortari cœpit, ut suæ senectutis misertus adoraret Deos, quos Imperatores adorabant, Cui Tarachus respondit: Non miror, si homines decipiantur; à Satana enim seducuntur. Ego Deo meo sacrifico, non sanguine, quia his sacrificiis non eget, sed corde puro. Et quamvis Judex ei maxillas acriùs contundi jussisset, quòd Imperatores à Satana seductos pronuntiasset, Tarachus tamen impavidus: jam dixi, inquit, & repeto; impietatem admittere nolo, Legem Dei mei honoro. At Maximus ait: Miser! num adest alia lex Principis? Ita sanè respondit Tarachus, & hæc est, quâ vos impii lapides & ligna opera hominum adoratis. Et cùm Præses super cervicem eum cædi jussisset dicens: noli vanus esse; respon-

ſpondit: ego de vanitate iſta non recedo, quæ me ſalvum facit; fac quod vis, poteſtatem habes in corpus meum.

III. Tunc Maximus expoliari eum & virgis cædi præcepit: ſed dum torqueretur, dicebat: nunc verò prudentem me feciſti plagis confortans me; opto ut magis ac magis augeatur vigor iſte in nomine Dei & Chriſti ſui. Hæc audiens Maximus dixit: tu ergo duos Deos colis; at cur noſtros adorare recuſas? Sanctus verò æquum non judicans in tam ſublimis myſterii explicationem cum illo intrare, continuit ſe dicens, Chriſtum eſſe Deum Filium Dei & ſpem Chriſtianorum. Tunc Demetrius, ut voluit ſe immiſcere ſuadendo Tarachum, ut Diis immolaret, ab eo hoc reſponſo rejectus fuit: recede à me cum conſilio tuo, Miniſter Satanæ. Quare Maximus interrogatoriis ſolutis, S. Tarachum ferreis vinculis oneratum in carcerem detrudi mandavit.

IV. Poſt hæc à Demetrio Centurione Probus adducitur: cui Maximus amicitiam ſuam & favorem Principis, ſi Fidei renuntiaret, promiſit, ſed incaſsùm; Probo ei reſpondente, ſe neque honorem Principum velle, nec amicum ejus eſſe cupere, imò divitias ſuas non paucas reliquiſſe, ut liberiùs Deo vivo ſerviret. Maximus eum expoliari pallio ac cæteris veſtibus, & in equuleo vinctum extendi nerviſque bubulis cædi præcepit, ut terra ſanguine ejus cooperiretur. Quod videns Demetrius, ut ſui ipſius pietate moveretur, eum adhortari cœpit; ſed Probus illi reſpondit: Corpus meum ante vos eſt; mihi autem tormenta veſtra remedium & balſamum ſunt. cùmque eum percutere ceſſaſſent, Maximus ait: Exurge miſer à vanitate à duritia tua. Sed reſpondente Probo: non ſum vanus ſed prudentior vobis; ideò Dæmoniis non ſacrifico; iratus Maximus dixit: Gyrate illum, & ſuper ventrem cædite. Et quia Probus dicebat: Auxiliare ſervo tuo Domine. Maximus ait: Cædentes illum dicite illi: Ubi eſt auxiliator tuus? at Probus reſpondit: Et modò auxiliatur & auxiliabitur in futurum: ſic enim pro nihilo habeo tormenta tua, ut non acquieſcam tibi; nam quantò plus corpus meum pro Jeſu Chriſto patitur, tantò plus ſanitatis & vitæ anima mea acquirit. Quare Maximus juſſit ambas manus & pedes ei in nervo ſtringi, & ſic trahi alligatum, detrudi in carcerem: ut nemo ad eum accederet ſeverè prohibuit.

V. Subinde tertius, nempè Andronicus à Demetrio præſentatur: qui præfatis pulſatus interrogationibus, in confeſſione Chriſtiani nominis ſicut cæteri perſtitit. Maximus ejus adoleſcentiâ commotus, ſicut Pater filium blandè eum monere cœpit,

pit, ut ſtultitiâ depoſitâ Principes ac Deos ut Patres venerarentur. Sed cùm reſponderet Andronicus: Benè illos patres nominatis, quoniam vos ipſi patrem habetis Satanam; nam filii Diaboli eſtis facti, & opera ejus perficitis. Maximus dixit: Adoleſcentia pueritiæ tuæ adhuc me compeſcit, ſcias enim magna tibi tormenta parari. Verùm Andronicus: Adoleſcens, inquit, tibi videor in annis, homo tamen perfectus in anima & in omnibus ſum: ne me credas ita ſtultum ac debilem, ut minor in conſtantia quàm cæteri inveniar; paratus ſum tibi ad omnia tormenta. Tunc igitur veſtibus ſpoliatus in equuleo extenditur: atque interim dum in tormento cruciatur, Maximus Demetrius & Athanaſius Cornicularius variis ſuaſionibus ad ſacrificandum Diis eum inducere conantur. Sed Andronico conſtanter reſiſtente, eorumque monita ſolidè rejiciente, jubet Maximus crura ei graviter torqueri, deinde coſtas lacerari, ſale plagas aſpergi & acutis teſtulis radi; comminatus, ſe minutatim corpus ejus conciſurum. Sed cùm ille, ac ſi tot tormentorum nec ſenſum haberet, hilaris reſponderet: non timeo comminationes tuas, ſenſus enim meus melior eſt cogitatione malitiæ tuæ: confortaſti corpus meum in plagis, propterea contemno tormenta tua. Maximus ſe vincere illum deſperans, juſſit ligari ejus pedes & collum ferro, & ſub cuſtodia haberi; rigoroſo impoſito præcepto, ne quis ad carcerem accedere permitteretur; volens, ut plagis ſenſim tabeſcentibus ſic interiret. Sed contra Deum inanes ſunt cogitationes hominum, nam Andronici plagæ nullo curante miraculosè ſanatæ ſunt.

VI. Poſt aliquod tempus, licèt ignota ſit dies, Mopſveſtiæ celebri Ciliciæ Urbe tres Sancti Martyres iterùm in judicium vocantur. Maximus ad Tarachum converſus dixit: Scio, quòd ſenectutis character & gloria eſt ſapienter ac prudenter cogitare ac decernere; ſpero igitur, te ſaniori conſilio decreviſſe Diis ſacrificare, ut ſic merearis honores, quos à Principum clementia ſperare licet. Tarachus reſpondit: Si Principes & quotquot cum illis ſentiunt, qui ſint veri honores, intelligerent, omnes cæcitatem cogitationum vanitatis ſuæ deponerent, & meliori vitâ ac lumine à Deo illuſtrarentur. Hæc Maximus accipiens tanquam Principibus injurioſa, os ei lapidibus frangi juſſit, adeout dentes exciderent, dicens, recede à ſtultitia tua. At Tarachus: Si, inquit, ſtultus ero, ſicut vos eſtis: dentes jam contritos habeo; ſed mihi non ſuadetis, nam ſi etiam omnia membra mea collidas, ego ſto fortis in eo, qui vobis fortior eſt.

VII. Tunc Maximus in equuleo eum extendi & nervis crudis

dis cædi jussit: Taracho autem nihil respondente, ait, cædite illum in os, ut respondeat. At Tarachus: maxillæ meæ, inquit, fractæ sunt, quomodò respondeam tibi? sed si corpus meum infirmasti, animam meam certè non infirmasti: fac ergo quod vis; conatus tuos omnes superabo, quia vigor meus Deus est. Tunc jussit super manus ejus ignem expandi, quæ exustæ remanserunt. Sed Tarachus: Ignem tuum, inquit, temporalem non timeo; timeo autem, si consensero tibi, ne fortè ignis æternus in me dominetur. Tunc jussit eum à pedibus ligatum capite deorsùm in altum suspendi, & acrem fumum ad faciem ejus supponi; minatus, se in eo statu relicturum, donec sacrificet. Sed Vir Dei nihil territus ait: Ignem tuum contemsi & fumum tuum timere debeo? sacrifica tu, qui solitus es sacrificare hominibus; mihi hoc non licet. Tunc Maximus acetum acre jussit afferri & in naribus ejus infundi, sinapi cum aceto immixto: verùm irridente Taracho & dicente: fallunt te Ministri tui, Præses; mel pro aceto infuderunt mihi: Maximus victus, cogitabo, inquit, proximâ sessione alia tormenta, ut resipiscas à stultitia tua: cui, & me ad omnia tormenta paratum invenies, Tarachus respondit: quare eum catenis ligatum in custodiam trahi & alterum jam addùci præcepit.

VIII. Adductus itaque Probus fuit, cui Præses ait: Cogitasti ne recedere à stultitia tua, & Diis, quibus sacrificant Principes, immolare? respondit Probus: Si ipsi faciunt, ego nunquam faciam: audacter hoc dico: in confessione veri Dei persisto. Quæ passus sum, ad ulteriora & graviora pro Deo meo perferenda robur mihi addiderunt; et si volueris, proba. Cùmque in ostendenda vanitate Idolorum & stultitia eorum, qui ligna adorant & lapides, sermonem protraheret, dixit Judex: an me errantem putas stulte, Diis sacrifica. Probus verbis Scripturæ respondit: Dii, qui non fecerunt Cœlum & terram, exterminabuntur. Judice autem suadente, ut saltem Jovem adoraret, hâc occasione acceptâ Vir Dei: Illum, inquit, dicis Deum, qui cum sua sorore fornicatus est, & alia multa fecit, quæ non possum dicere; hunc Deum dicis? Cùmque Judex cædi eum in ore ut blasphemum jussisset, ait, quid me cædis? omnes, qui ei immolant, hoc dicunt, sicut & tu ipse optimè nosti.

Tunc Maximus ignitum ferrum stantis pedibus jussit substerni; sed quamvis verè ardens esset, Vir Dei se vix tepidum illum experiri dicebat, & ministros ei illudere. Quare in equuleo extendi, nervis crudis cædi & aperiri dorsum ejus mandavit: Probo interim dicente: Ignem tuum non timui; tormenta tua con-

contemno: sed si habes aliam cogitationem, adhibe, ut cognoscas, qui est in me Deus. Jussit ergo illi radi caput & prunas igneas ei superponi: cùm autem Sanctus Martyr diceret: Ustulasti mihi pedes & caput, & probasti, quia servus Dei sum, & tolero iram tuam. Judex vanâ felicitate eorum, qui gratiâ & favore Deorum ac Principum fruuntur, cùm ipse ob contumaciam suam omnibus esset execrabilis, eum seducere conatur. At Probus ait: Crede mihi, omnes hi perierunt, qui servierunt Idolis & verum Deum dereliquerunt, nisi ad eum conversi pœnitentiam egerint. Cùmque Maximus diceret: Frangite faciem ejus, ut non dicat *Deum*, sed *Deos*. Vir Sanctus conquestus est, quòd quia veritatem dixerit, os ei frangi mandaverit. Et comminante, se non os solùm, sed etiam linguam ei incisurum, respondit: Etsi exteriorem incideris, habeo interiorem & immortalem linguam, quâ tibi respondebo.

IX. Tandem jussit Maximus, ut Probo in custodiam misso, Andronicus sisteretur. Hunc coram se positum ita est allocutus. Qui ante interrogati sunt, post multa tormenta ad sacrificandum Diis tandem conversi sunt, propter quod magnum honorem accepturi sunt à Principibus. Tu ergo lucrare tormenta & sacrifica Diis nostris & honorabilis eris. Quod si nolueris, juro tibi per Deos & Principes nostros, quia de manibus non evades. Cui Andronicus compertâ fraude ac mendacio: Miser, inquit, & mendax, quid me fallis? Fratres enim mei non potuerunt Dominum negare & stultitiæ tuæ consentire: existima ergo, quòd & me talem invenies. Armatus à Deo ante assisto, neque Deos tuos sciens, neque Principes, neque Tribunal tuum metuens: exequere ergo in me omnia pœnarum genera, quæ cogitasti. Tunc Maximus quatuor palis tendi & nervis bubulis eum dirè cædi præcepit. At Sanctus quasi irridens hoc tormentum: Ad hoc, inquit, omnes minæ tuæ devenerunt? propter hoc per Deos & Principes tuos jurare oportebat? Cùmque Athanasius Cornicularius ei diceret: Totum Corpus tuum laceratum est, & pro nihilo habes omnia ista, miser? ei respondit: Qui Deum vivum diligunt, ista omnia contemnunt.

Tunc Maximus dixit, sale fricate ei dorsum. Andronicus verò: Jube, inquit, plus salis mitti, ut possim conditus non corrumpi à malignitate tua. Maximus iterùm ait: Convertite eum & in ventrem cædite, ut priores plagæ excitentur, & usque ad medullam descendant. Andronicus verò respondit: A plagis, quas in prima quæstione mihi inflixisti, perfectè ut vides sanatus sum. Qui me sanavit, iterùm me sanabit. Cùm ergo sana-

natio esset visibilis, Maximus arguere cœpit custodes, quasi ejus præceptum adducendo medicum violassent. At Pegasio Commentariense per caput suum protestante, neminem omninò ad eum accessisse, quomodò autem sanatus se nescire, subdidit Andronicus: Medicus noster grandis est; non medicamentum ponit aut emplastum, sed solo sermone curat omnes qui sperant in eum. Habitat in Cœlo, præsens est ubique; sed tu insensate non agnoscis. His auditis dixit Maximus: hi sermones nihil serviunt; accede & Diis sacrifica. Cui Andronicus respondit: Quæ semel ac iterùm dixi tibi, nunc repeto; puer non sum, ut sermonibus tuis seducar. Et dicente Maximo: non patiar, me à vobis vinci; reposuit Andronicus: nec tu tormentis ac terroribus tuis vinces nos, erimus Athletæ invincibiles in eo qui nos confortat Jesu Christo. Maximus verò atrociora tormenta parare cogitans dimisit sessionem, mandans, Andronicum in vinculis ferreis recipi in custodiam, ad quam nemo accederet.

X. Tertia sessio interrogatoria Anazarbe Ciliciæ Urbe fuit; ubi Maximus Demetrio Centurioni, vocate, inquit, impios Christianos. Et Taracho adducto dixit: Audi me & sacrifica Diis, per quos omnia stant. Cui Tarachus respondit: Peribunt qui talia sentiunt; paratus est enim ignis æternus illis & omnibus, qui talibus Mundi Gubernatoribus obediunt. Cùmque Maximus minaretur, se impudentiam suam capitis abscissione, ni recederet, puniturum: dixit Tarachus: Hoc à te non peto, nimis enim breve meum certamen foret; adauge potiùs tormenta, ut mihi augeatur corona. Tunc Maximus: Et quid speras, inquit, miser, post mortem adeò turpem ac funestam? Tarachus respondit: Non tibi licet de hoc interrogare, neque scire, quam præparavit Deus nobis positam mercedem in Cœlis: propterea sustinemus iram tuam & minas ac tormenta tua. Indignatus Maximus ait: Tu mihi ita loqueris, maledicte, ac si esses consors meus? Respondit Tarachus: Consors tuus non sum, sed habeo potestatem loquendi, & nemo potest me compescere, per eum qui me confortat; hic est Deus. Et eum adhortante Maximo, ut sacrificaret Diis: Jam dixi, inquit Tarachus, in prima & secunda mea confessione, quòd Christianus sum; & hoc idem modò tibi confirmo, nec aliud à me expectare potes: non sacrifico; si me pœnituisset, in primis & secundis interrogationibus voluntati tuæ consensissem; de meo corpore fac quod vis, in tua enim est potestate.

XI. Maximus ergo dixit: Suspendite eum in equuleo, quia stul-

ſtultus eſt. Stultus eſſem, inquit Tarachus, ſi tuæ voluntati conſentirem. Antequam tamen ſuſpenſus quæſtioni ſubjiceretur, dixit ei Maximus, Militiæ privilegio eum à quæſtione exemptum eſſe, & hoc Diocletianum declaraſſe; ſed Milites pro ſalute Principum ſemper Diis ſacrificant; tu autem cùm ſis peſſimus, quòd & fugiſti militiam, oportet majora pati tormenta; noli putare te ſemel damnari, ſed particulatim te exterminabo, & reliquias tuas beſtiis dabo. Cùmque Tarachus nihil territus reſpondiſſet: Quod facturus es, fac citiùs, noli ſermonibus promittere; Maximus ſubjunxit: Putas, quia mulierculæ aliquæ poſt mortem corpus tuum habent aromatibus vel unguentis condire, nequiſſime? cogitabo, ut reliquias tuas exterminem. Tarachus reſpondit: Et nunc quæ vis corpori meo adhibe & poſt mortem fac quod vis. Cùmque inſtaret, ut priùs Diis ſacrificaret, ſubjecit Tarachus: ſæpiùs dixi tibi, ſtulte, quòd nec Diis tuis ſacrificare nec abominationes tuas adorare volo.

XII. Tunc iratus Præſes faciem ejus frangi, & labia concidi præcepit. Cui Tarachus: Etſi, inquit, faciem meam exterminaſti, animam tamen meam armis Dei protectam vivificaſti. At Maximus ait: Ubi ſunt iſta arma? video quidèm te coopertum, ſed plagis, cæterùm te nudum conſpicio. Cui Tarachus: Tu, inquit, arma mea videre capax non es, quia cæcus es. Quia verò Maximus eum accuſabat tanquam Magum & impoſtorem, Vir Dei negavit & addidit: Magi titulus iis congruit, qui adorant Dæmonia; ego adoro Deum meum vivum, qui mihi dabit patientiam, & quid dicam quidque loquar ad te. Tunc Maximus obeliſcos igniri, & ſupra mamillas poni præcepit, deinde ſuper dorſum, poſtea ad latera. Et cùm Tarachus diceret: Deus vidit & judicat: ait Maximus: Quem Deum invocas, miſer? Illum, inquit Tarachus, quem tu neſcis, & qui unicuique reddet ſecundùm opera ſua. Juſſit deinde aures illi abſcindi & novacula caput decorticari. Poſt hæc comminatus Maximus ſe eum flammis abſumturum, & cineres in ventum ſparſurum ne colligerentur, reduci juſſit in cuſtodiam beſtiis exponendum.

XIII. Probus deinde juſſus acceſſit, cui ſimiliter, ut Andronico, perſuadere Maximus ſtuduit, alios tandem ſocios victos ceſſiſſe & Idolis ſacrificare promiſiſſe. Sed Probo id verum eſſe negante: Ergo, inquit Maximus, omnes Diis non ſacrificare conſpiraſtis. Reſpondit Probus: Modò verum loqueris: ſenſus noſter unus eſt, quia uni vero Deo ſervimus: noli putare, te à nobis aliud audire, quàm audiſti & didiciſti; quoniam non

po-

potes convertere nos, nec irâ tuâ virtutem nostram extinguere. Audax præstò sum tibi hodie contemnens omnem contentionem tuam: quid expectas? Inde protestatur, numquam fore, ut vel ipse vel Dæmones vel qui ei dederunt potestatem torquendi, separarent eos à Fide & caritate Jesu Christi. His auditis Maximus, pedibus in altum eum suspendi & ignitis unguibus latera ejus cruciari præcepit, Probo interim Deum invocante & ab eo fortitudinem ac patientiam postulante. Tunc Maximus (Diabolo certè cogitatum hunc suggerente) de vino & carnibus Diis immolatis, in os ejus per vim infundi mandavit, dicens: Vides, miser, ecce jam de Sacrificio accepisti, quid habes facere? Probus autem Deo in testem suæ voluntatis & violentiæ sibi allatæ vindicem invocato, dixit: Nunquam tibi benè sit; ut vincas propositum meum & inquines confessionem meam. Hoc enim scire debes, quoniam etsi omne inquinamentum Ararum tuarum totum liques & infundas mihi, nihil indè inquinabor; scit enim Deus & videt vim quam patior.

XIV. Maximus ergo iterùm ad tormenta confugiens, ferreas ungues igniri & super femora ei imponi præcepit, & ustulatos clavos manibus ejus infigi. Probus autem gratias Deo egit, quòd dignus effectus fuerit pro nomine ejus crucifigi. Cùmque Maximo insultanti respondisset, multam potestatem quam habebat, non solùm stultum sed & cæcum eum fecisse, non enim sciebat, quid faceret; Et offensus diceret: Insensatum & cæcum ausus es me dicere, quoniam super pios Deos agonizor? respondit Probus: Utinam cæcus esses oculis & non corde; nunc autem cùm te speras videre, in tenebris es & non vides. At Maximus putans, quòd adeò liberè loqueretur, quia licèt toto corpore læsus, oculos tamen adhuc sanos haberet, jussit oculos ejus minutatim pungi, ut lumine privaretur. Sed cùm Sanctus intrepidè diceret, sibi quidèm oculos corporis abstulisse, sed interiores cordis auferre ei non posse, crudelem eum & tyrannum vocans, Præses dixit: mortuus es totus in carne, & non cessas à multiloquio, iniquissime? Probus autem: Usquequò, inquit, habeo spiritum meum in me, non tacebo in Deo meo, qui me fortem facit. At Maximus ait: Post ista tormenta vivere te speras? aut putas dimittam te lætum mori? paulatim te plagis interficiam, ut dignus es. Respondit Probus: In hoc pugno agonizans, ut testimonium integrum ac perfectum Jesu Christo feram; tu vitam mihi sinè misericordia eripe. His dictis custodiæ traditur in proximo bestiis exponendus, imposito præcepto, ne quisquam ad eum accederet.

XV. Postremus Audientiæ præsentatur Andronicus. Ei multa promisit Maximus, si ætati suæ consulens Diis sacrificaret: at ipse cum horrore hanc propositionem excipiens protestatus est, nihil se impediturum, quo minùs usque ad mortem in confessione Fidei Jesu Christi persisteret. Quod cùm summâ efficaciâ protulisset, dixit ei Maximus: Videris mihi furiosus esse, & Dæmonium habere. Cui Andronicus ait: Si Dæmonium haberem, consentirem tibi; nunc autem sine Dæmonio sum, quia Dæmoniis non acquiesco: tu autem Dæmon es totus, & quæ Dæmoniorum sunt, ipsa operaris. Maximus tamen vincere eum volens, dixit: Qui ante te voluerunt loqui, multa ante tormenta locuti sunt, postea autem plagis & pœnis subacti pios se esse confessi sunt, Diis ac Principibus sacrificantes: sed ad hoc mendacium irridens Andronicus respondit: Conari veritatem mendaciis obruere proprium tui est, & eorum quos adoras: cave, ne Deus qui veritas est, te confundat. Quare Maximus jussit ferri papyrum, & ex eo manipulis factis, ignem ventri ejus apponi. At Servus Dei: Etsi, inquit, totus arsero non me vinces; præstò enim est qui confortat me Deus meus. Maximo autem eum increpanti, quousque non acquiescis, insensate? dixit: Quousque vivo, vincam malitiam tuam; totum membratim me interfice, festina; hæc enim mihi gloria est apud Deum. Jussit ergo obeliscos idest ferrea acumina incendi, & inter digitos figi: ille ridens ajebat, se habere secum Christum, & omnia proinde contemnere. Quod audiens Maximus ait: iniquissime, non scis, quem invocas Christum, hominem quemdam fuisse sub Pontio Pilato punitum? At Vir Dei: Obmutesce, inquit, inique; non licet tibi de ipso loqui: si dignus esses ejus Majestatem agnoscere, non ita in servos ejus ageres; sed tu & qui tibi consentiunt perditi estis.

XVI. Post varia, dixit Maximus: Nolo tormentis aliis pœnas tibi adjicere, aut semel te morti tradere; bestiis te faciam dari, ut videas membra tua singula ab eis ante mortem tuam discerpi. Andronicus verò: Ne loquaris, inquit, de bestiis; tu enim bestia omnium crudelissima es, dum nullius criminis reos velut homicidas lanias. Adhibe ergo, quæ paras tormenta, & fortem me invenies in Christo Deo meo. Tunc Maximus jussit ei per vim os aperiri & violenter cibos & vinum de Sacrificio intrudi. Atrocius Servo Dei cæteris omnibus hoc tormentum fuit: eodem tamen tempore cum S. Probo dolorem lenivit, quòd non volens sed coactus & repugnans hoc passus sit, sperans, se quamprimùm ab ira Satanæ liberandum, quòd multis ser-

ſermonibus expreſſit. Quare Maximus furore accenſus, comminatus ei dixit: Faciam tibi linguam incidi, ut vel ſic non loquaris. Cui Andronicus gratias agens dixit: Hoc eſt quod à te peto, ut abſcindas linguam & labia mea, in quæ putas ſordes tuas immiſiſſe. Et Maximo ei inſultanti: ecce ſicut præcepi guſtaſti de Sacrificiis: accenſus zelo Vir Dei maledixit illi & eis, qui dederunt ei hanc poteſtatem; cùmque Maximus diceret: Maledicis Principibus, qui diuturnam pacem præſtiterunt? Andronicus velut prophetico afflatus ſpiritu ait: Maledixi & maledico poteſtates & ſanguinarios, qui ſeculum everterunt: quos Deus brachio ſuo evertat & conterat & perdat & det ſuper eos iram, ut ſciant, quòd agant in Servos Dei.

XVII. Tunc Maximus ampliùs ferre non valens: Mittite, inquit, ferrum in os ejus & excutite ei dentes & malam, & blaſpemam linguam excidite, ut diſcat non blaſphemare in Principes. Dentes autem ejus & blaſphemam linguam tollite & comburite & cinerem facite & ubique ſpargite, ut nemo de conſortibus ejus impiis aut de mulierculis aliqua colligat, ut ſervet, quaſi pretioſum aliquid aut ſanctum æſtimet. Ipſum autem tollite & in carcere cuſtodite eum, ut ſimul cum ſociis ſuis offeraratur beſtiis,

XVIII. Eâdem die Maximus vocavit Terentianum Ciliciæ Pontificem(quaſi Ciliciarcham utpotè totius CiliciæTempla ſub ſua habentem poteſtate, ut notat Valeſius in Euſeb. Lib.8.c.18.) eique injunxit, ut pro die ſequenti pararet Gladiatorum & beſtiarum certamen. Terentianus autem juſſis iis, qui præerant beſtiis, omnia in craſtinum diſpoſuit. Mane igitur facto tota Civitas, Viri, Mulieres, pueri ad amphitheatrum uno milliari ab Urbe diſtans convenere. Plures etiam ex Chriſtianis, etiam Presbyteris & Eccleſiaſticis in locum, unde omnia ſpectari poterant, vicinum fortè montem (ipſi autem in abſcondito erant) ſe receperunt, cum metu & lacrymis quid futurum eſſet expectantes. Interea cùm Amphitheatrum plenum Populo fuiſſet, Maximo adveniente, Gladiatorum & beſtiarum cœpta eſt pugna, & ad plures horas protracta, in qua multi ſive à Gladiatoribus cæſi, ſive à beſtiis laniati occubuerunt.

XIX. Tandem impius Maximus Sanctos adduci Martyres jubet: ſed cùm tormentis fracti incedere non poſſent, oportuit ut aliqui ad eos humeris portandos adigerentur: quos cùm ita delatos, & in medio Amphitheatri ſemivivos relictos vidiſſet Populus fremere, & (quod in Actis Martyrum rarum eſt) injuſtum Judicem proclamare cœpit: quin & multi tale horrentes ſpe-

spectaculum ex Amphitheatro discesserunt. Quod advertens Maximus Militibus injunxit, ut eos qui discedebant, notarent. Christiani verò è loco, in quo se abdiderant per fixuras petrarum videntes SS. Martyres confratres suos ita adductos, cum magna deprecatione lacrymas fundebant.

Jussit ergo Maximus, adversùs Martyres plures bestias laxari, nulla tamen ex illis illorum corpora tangere ausa est. Quare ardens irâ Maximus vocatos ferarum custodes cædi jussit, & severâ comminatione dixit eis, ut dimitterent atrocissimam feram, quam haberent. Illi autem timore perculsi dimiserunt ursum ferocissimum, quem dicebant ipsâ die tres homines occidisse. Ursus ergo ad Corpora Sanctorum accedens nullum eorum tetigit, imò ad S. Andronicum veniens & sedens lingebat vulnera ejus. Et quamvis Andronicus poneret caput suum super ursum, illumque instigaret, ut irascens celeriùs eum occideret; ursus tamen quasi mansuetus subitò factus est. Quare irâ repletus Maximus jussit eum occidi, & ante pedes S. Andronici occisus fuit. Terentianus metuens implacabilem Præsidis iram, produci jussit leænam, quæ missa illi fuerat ab Herode Asiarcha. idest Pontifice Syriæ Antiochiâ. Cùmque rugitu magno exiens timorem omnibus incussisset, perveniens tamen ad S. Tarachum super genua ejus procubuit, quasi eum adorans. S. autem Tarachus trahebat eam manu per crines & aures ad se, ut bestiâ iratâ citiùs consummaretur; Leæna tamen velut ovis mansueta ad ejus pedes jacebat. Crudelior Maximus eam ad furorem provocari jussit; & illa quidèm furens surrexit sed fracto postico irruit, ut omnis Populus clamaret: Claudatur in sui cubili leæna. Maximus extremo furore captus, volens suæ impietati aliquo modo satisfacere, vocato Terentiano jussit, Gladiatores introduci, ut Sanctos Dei Martyres interficerent: quod statim impletum est; nam gladio consumti, testimonium pro Fidei Christianæ veritate gloriosum suâ constantiâ reliquerunt.

XX. Post expletam suæ insaniæ rabiem Maximus ex Amphitheatro recedens, reliquit ibi decem Milites, præcipiens eis, ut Corpora Sanctorum inter corpora cæsorum Gladiatorum confunderent, ut discerni non possent. Quæ cùm Milites facerent, Christiani, qui è vicino monte omnia conspexerant, viso Maximi discessu, Amphitheatro appropinquarunt, & genibus flexis Deum deprecati sunt, ut dignaretur Sanctorum Reliquias eis ostendere. Et cùm ad theatrum pervenissent, viderunt custodes cœnantes & focum ante se habentes propter vigilias noctis. Tunc iterùm genuflexi Deum rogarunt, ut desiderium eorum, mit-

mittens ex alto auxilium suum, impleret. Tunc subitò terræmotus factus est magnus & tonitrua & fulgura, & nimia tempestas, imbrium descendebat. Et cùm cessasset, rursùs Deum oraverunt, & ad Corpora appropinquantes invenerunt focum à tempestate extinctum, & Milites & custodes territos aufugisse. Tunc Sanctorum Martyrum Corpora inquirere cœperunt elevantes ad Deum manus, ut ea sibi discernere concederetur. Cùm subitò misericors Deus stellam splendidam de Cœlo misit, quæ sedebat super singula Corpora Sanctorum; & ipsi cum gaudio ea rapuerunt; sanctus autem stellæ splendor (velut olìm Magis) antecedebat eos iter demonstrans. Et cùm fuissent in via præ lassitudine defecti, deposuerunt Corpora & quieverunt; stella autem ab eis non recedebat. Cùmque cogitarent, ubi Corpora Beatorum absconsè sepelirent, deprecati sunt Dominùm, ut opus, quod ipse inchoaverat, perficeret: & fortitudine ac fiduciâ repleti, bajulantes Corpora Sanctorum pervenerunt in quandam montis partem; & cùm stella ab eis recessisset, viderunt in parte montis petram apertam & in ea Sanctorum Corpora collocarunt; & cum magna diligentia, ne detegerentur, absconderunt, speluncæ aditum obstruentes.

XXI. Deinde ad Urbem venientes invenerunt custodes à Maximo punitos, eò quòd Sanctorum Corpora non invenisset; ipsi autem in hymnis Deo gratias egerunt, quòd per eos hoc operari dignatus sit. Hi sunt qui Acta trium Sanctorum conscripserunt: & quoad Gesta in tribus Interrogatoriis, ea hauserunt à quodam Milite, nomine Sabasto, Spiculatore ducentis denariis comparata, qui omnibus adfuerat, eaque scripto notaverat, quibus ipsi addiderunt ea, quæ de consummatione Martyrii propriis oculis conspexerant. De his omnibus litteras dederunt ad Fideles Iconii, rogantes ut eas transmitterent etiam ad eos, qui erant Pisidiæ & Pamphyliæ. Litteræ Iconium datæ nomina undecim Christianorum præferunt, qui sunt: Pamphylus, Marcianus, Lysias, Agathocles, Parmenas, Deodorus, Felix, Gemellus, Athenion, Tarachus, & Orosius. Ex qua Epistola, quæ hactenùs dixi sumta sunt apud P. Ruinart, Tilmontium, Fleury &c.

Horum Martyrum illustrem memoriam Latini celebrant in Martyrol. Rom. 11. Octobris, quamvis *Tarsi*, non *Anazarbe*, uti reverâ contigisse Acta ostendunt. Græci etiam in Menol. Basil. eam colunt, sed die sequenti, qui tamen volunt Mopsuestiæ eos fuisse passos. Hæc puto conciliari posse dicendo, in hisce tribus locis verè passos fuisse; nam in Tarso passionem inchoarunt

runt, Mopsuestiæ eam prosecuti sunt, sed Anazarbe eam consummarunt, ibique eorum Corpora sepulta fuerunt. Hoc præter dicta confirmari potest; nam cùm seculo quarto exeunte Auxentius Mopsuestiæ Episcopus Arianus Ecclesiam in honorem eorumdem Martyrum extruxisset, ab Anazarbensibus obtinuit, ut Sanctorum Martyrum tumuli reserarentur, & aliquid ex eorum sacris Reliquiis sibi concederetur. Sed apertis tumulis tot prodigia acciderunt, ut nemo sacra Corpora contingere ausus fuerit: fortè indignante Deo, quòd Reliquiæ eorum, qui pro Fide sua tuenda tot tantaque passi fuerant, homini à Fide extorri, quia Ariano, concederentur.

§. XXX.

SS. Vitalis & Agricola, Proculus, Crispina, Chrysogonus, & Anastasia.

I. Pauca, quæ de hisce Martyribus scimus, Sancto Ambrosio debemus L. de Exhort. ad Virg. cap. 1. & 2.. Agricola ergo & Vitalis Itali & Bononienses erant, Agricola herus, Vitalis verò ejus famulus & discipulus, nam Agricola eum Fide Christi imbuerat; & sic qui conditione ipsi inferior erat, in Fide sibi æqualem reddidit. Agricola genio suavis ac mitis erat, ut vel ipsi Infideles eum diligerent; Vitalis fortior & animosior. Exortâ Persecutione, omni tormentorum genere Vitalis constantiam labefactare Infideles priùs tentarunt; sed illé tormenta contemnens & in eis altâ voce Christum confiteri perseverans, tot denique plagis coopertus fuit, ut nullus in ejus corpore vulneri locus ampliùs superesset. Quare Jesum Christum deprecatus, ut spiritum suum susciperet, eique ab Angelo sibi ostensam coronam redderet, tradidit animam. Persecutores rati, Vitalis tormenta animum Agricolæ quem diligebant fregisse vel saltem conterruisse, ejus passionem aliquantulùm distulerunt. Sed videntes, eum Vitalis animatum exemplo ejus fortem æmulari, & conqueri primatum in Martyrio sibi à servo ereptum fuisse, eum clavis Cruci affixerunt, & tanto clavorum numero corpus ejus perfoderunt, ut plura essent vulnera quàm membra. Eorum Corpora simul cum Cruce sepulta fuere.

II. Audiendus est Ambrosius, citato loco eorum Martyrium hisce verbis celebrans: *Martyri nomen Agricola est, cui Vitalis servus fuit ante, nunc consors & collega Martyrii. Præcessit servus, ut provideret locum; secutus est dominus, securus quòd Fide ser-*

servuli jam inveniret paratum. Non aliena laudamus, passio enim servi Domini disciplina est: hic instituit, ille implevit; nihil illi decerpitur, quomodò enim minui potest quod Christus donavit? Egregiè & ille qui homini servivit, serviendo didicit quomodò Christo placeret: hic tamen geminam laudem acquisivit, in illo magisterii, in se Martyrii. Certaverunt tamen inter se invicem beneficiis, postquam æquales esse meruerunt; hic illum ad Martyrium præmisit, iste illum accersivit. Nullum ergo ad commendationem hominis conditio affert impedimentum, nec dignitas prosapiæ meritum sed Fides affert: sive servus sive liber, omnis in Christo unum sumus, & unusquisque quod fecerit bonum, hoc recipiet à Domino &c. Et infra.

III. *Cùmque Sanctus Vitalis cogeretur à persequentibus, ut Christum negaret, & ille ampliùs profiteretur Dominum Jesum Christum; omnia tormentorum genera in eum exercentes, ut non esset in corpore ejus sine vulnere locus, Orationem fudit ad Dominum dicens: Domine Jesu Christe Salvator meus & Deus meus, jube suscipi spiritum meum, quia jam desidero, ut accipiam coronam, quam Angelus tuus Sanctus mihi ostendit. Et completâ Oratione emisit spiritum. Sanctus verò Agricola mitior habebatur moribus, ut ab ipsis etiam inimicis diligeretur; ideòque differebant ejus passionem: sed hæc Persecutorum honorificentia erat omni immanitate acerbior, quæ invidebat Martyrium. Denique ubi non acquievit Sanctus Agricola, crucifixus est; ut advertamus, illas blanditias eorum non sedulitatis fuisse sed fraudis: supplicio servi Dominum terrere voluerunt; vertit hoc Deus in gratiam, ut Martyrio servi Dominus invitaretur.*

IV. Hucusque S. Ambrosius: qui addit, Corpora Martyrum sepulta fuisse in solo inter Judæorum sepulcra; & quòd Judæi, qui vivos persecuti fuerant æquè ac illum pro quo fuerant passi, mortuos honorabant & sepulcrum habere cum ipsis exoptabant. Ad eorum corporum translationem S. Ambrosius invitatus Bononiam accessit, ut ipse ibidem testatur, & corporum inventionem ac inde translationem describens ait: *Illic igitur Martyris exuvias requirebamus, tanquam inter spinas rosam legentes, circumfundebamur Judæis cùm sacræ Reliquiæ eveherentur. Aderat Populus Ecclesiæ cum plausu & lætitia*. Et addit, propriis manibus se sustulisse Crucem & clavos, quibus S. Agricola confixus fuerat, sicut & de sanguine ejusdem: quæ omnia ad Ecclesiam summo plausu delata fuerunt; & insuper partem ligni Crucis & sanguinis S. Agricolæ sibi retinuisse.

V. Concordant hæc cum Martyrol. Rom. 4. Novembris, ubi

ubi hæc habet: *Bononiæ Sanctorum Martyrum Vitalis & Agricolæ, quorum prior posterioris servus antea fuit, postea consors & collega Martyrii; in quem Persecutores omnia tormentorum genera exercuerunt, ita ut non esset in corpore ejus sine vulnere locus. Quæ constanter perferens in oratione spiritum Deo reddidit. Agricolam verò plurimis clavis cruci affigentes interemerunt. Eorum translationi S. Ambrosius cùm interesset, Martyris clavos sanguinem triumphalem & Crucis lignum se collegisse refert, ac sub sacris Altaribus condidisse.* Adventus autem S. Ambrosii Bononiam (ex Paulino in ejus Vita) contigisse videtur anno 393., quo, ut declinaret occursum Eugenii Tyranni tunc in Italiam venientis, relictâ Mediolanensi ad Bononiensem Civitatem emigravit; ubi rogatus inventioni & translationi Corporum præfatorum Martyrum interfuit; quæ ibidem decenter collocata fuerunt. Unde S. Paulinus Nolanus Poemate 24. ait:

Vitalem, Agricolam, Proculumque Bononia condit,
Quos jurata fides pietatis in arma vocavit,
Parque salutiferis texit victoria palmis,
Corpora transfixos trabalibus inclita clavis.

VI. Quia verò S. Paulinus memorat etiam S. Proculum Bononiensem Martyrem, & Bononiæ passum, de quo ibi Festum agitur die 1. Junii; cùm ejus Acta deperdita sint, de eo nil certi dicere possum. Bononienses colunt eum tanquam Militem clavis ut Sanctum Agricolam confixum, quod videtur indicare S. Paulinus; Romanum tamen Martyrol. 1. Junii facit eum Episcopum dicens: *Bononiæ S. Proculi Episcopi & Martyris, qui sub Maximiano Imperatore passus est*: Ughellius tamen inter Episcopos Bononienses eum non recenset. De S. Proculo notat Baronius in Notis ad 1. Junii, quòd usque ad sua tempora percrebuerat opinio, quòd passus sit temporibus Theodorici Regis Ariani, ea de causa quòd zelo Fidei in Arianum Præfectum Catholicis infensissimum insiliens eum occidisset. Sed hæc vana esse, ostendunt tum Martyrol. quod eum sub Maximiano passum dicit, tum ea quæ S. Paulinus, qui longè tempora Theodorici præcessit, supra relatus de eo canit tanquam uno ex Italiæ Martyribus. Cujus auctoritate motus Gabriel Card. Paleotus Archiep. Bonon. tabulas pristinas illius Ecclesiæ emendavit. ita Baronius. An verò fuerit Episcopus vel Miles, mei argumenti non est modò inquirere.

VII. Crispinam inter Africanas Martyres celeberrimam fuisse, testatur pluribus in locis S. Augustinus: in Psalmum enim 120. num. 13. de ejus genere & fortitudine: *Sæviebant,* in-

inquit, *Persecutores in Crispinam, cujus hodie natalitia celebramus, sæviebant in Feminam divitem & delicatam: sed fortis erat, quia Dominus tegumentum ejus.... Hanc enim, Fratres, numquid est qui in Africa ignoret? clarissima enim fuit nobilis genere, abundans divitiis. Sed hæc omnia sinistra erant, sub capite erant. Venit inimicus, qui feriret caput, & sinistra illi objecta est, quæ erat sub capite* &c. In Psalm. 137. num. 3.: *Gaudet iniquus in popina; gaudet Martyr in catena. Quomodò gaudebat Sancta ista Crispina, cujus hodie solemnitas celebratur? Gaudebat cùm tenebatur, cùm in carcerem mittebatur, cùm ligata producebatur, cùm in catasta levabatur, cùm audiebatur, cùm damnabatur: in his omnibus gaudebat, & eam miseri miseram putabant, quæ coram Angelis gaudebat.* Eam insuper laudat n. 14. & 17. ejusdem Enarrat.; & Serm. 286. & 354. eam cum Agnete comparans, hànc licèt non Virginem, non minùs dignam Martyrio pronuntians, quàm Agnetem quæ Virgo fuit.

VIII. Fuit ergo Crispina genere nobilis, divitiis abundans, corpore delicata, sed in Christi Fide quam semper tenuerat, confitenda fortis & robusta. Thagaris ei patria fuit. Virum habuit, ex quo plures filios genuerat: nihilominùs omnia propter Christum contemnens, coram Anulino Proconsule accusata & capta, nec filiorum ploratus eam tanquam crudelem & non matrem sed novercam appellantium curabat; sed se ad Judicem rapi, in carcerem detrudi, catenis onerari, in catasta levari, & vitam temporalem amittere pro lucranda æterna summoperè lætabatur.

IX. Anno 304. ad Anulinum Thagasten è Thagari ducta ab eo interrogatur, an notum illi sit sacrum præceptum? Cui cùm illa diceret se nescire, ait ille: Præceptum est à Dominis Imperatoribus, ut omnibus Diis nostris pro salute eorum sacrifices. Respondit Crispina: Numquam ego sacrificavi, nec sacrifico, nisi uni Deo, & Domino nostro Jesu Christo Filio ejus qui natus est & passus, nec alium novi. Et Anulino comminante, quòd si in contumacia perstiterit, incipiet vim Legum invita sustinere; Respondit; Quidquid emerserit, pro Fide mea, quam teneo, libenter patiar. Volebat Judex coram illa legi præceptum; sed cùm protestaretur, se non aliud præceptum observare, quàm Jesu Christi, Anulinus subjunxit, si non obedieris præceptis Imperatorum, perdes caput. Crispina verò ait: Nunquam benè sit illis, ut cogant me sacrificare Dæmoniis: & comminante iterùm severitatem Legum, respondit: Quod dicis non timeo; nihil est: at si Deum qui in Cœlis est contemsero, sacrilega ero,

Deus me perdet; & nec inveniar in illo die novissimo. Quid vis? ut sim sacrilega apud Deum, ut apud Imperatores non sim? Deus omnipotens est, qui fecit mare herbas & aridam terram & omnia. Et homines ipsi facti ab ipso quid mihi possunt præstare, ut ab eo defendar? Dii tui? at isti quid aliud sunt, nisi lapides & figmenta manibus hominum facta?

X. Anulinus hæc postrema verba tanquam blasphema accipiens, jussit novaculâ ei radi crines & decalvari: quod cùm impletum esset, Anulinus ei dixit: Diù vivere desideras, an mori in pœnis sicut cæteræ consortes tuæ Maxima Donatilla & Secunda? respondit: Si verè mori vellem & in interitum animam meam tradere, & in ignem æternum, tuis Dæmoniis traderem voluntatem meam. Tunc Anulinus, caput, inquit, tibi incidam, si Deos venerabiles adorare despexeris. Sed cùm illa nihil territa respondisset: Deus meus, qui est, & qui fuit, ipse me jussit nasci; ipse dedit mihi salutem per aquam sacri Baptismi; ipse mecum est, ut anima mea, sicut tu vis, non faciat sacrilegium. Anulinus in eam velut impiam sententiam capitis legi jussit. Quâ auditâ, Beata Crispina ait: Christo laudes ago, benedico Dominum, quia sic de manibus tuis me dignatus est liberare: & ita Martyrium capitis abscissione gloriosè consummavit Thebeste 5. Decembris: quod Martyrol. Rom. eâdem die ita celebrat: *Thebeste in Africa Sanctæ Crispinæ nobilissimæ Feminæ, quæ temporibus Diocletiani & Maximiani cùm sacrificare nollet, jussu Anulini Proconsulis decollata est, quam S. Augustinus sæpè laudibus celebrat.*

XI. Porrò cùm Anulinus, ut supra, memoraverit SS. Maximam Donatillam & Secundam, videntur istæ etiam sub eodem passæ fuisse ante Crispinam. Equidem in Martyrologiis, etiam Romano die 30. Julii legitur: *Tuburbi Lucernariæ in Africa Sanctarum Virginum & Martyrum Maximæ Donatillæ & Secundæ, quarum duæ primæ in Persecutione Valeriani aceto & felle potatæ, deinde plagis acerrimis cæsæ & equulei extensione cruciatæ & craticulis etiam exustæ & calce perfricatæ, postmodùm cùm Secunda Virgine duodecim annorum ad bestias simul projectæ sed ab his intactæ, novissimè gladio jugulatæ sunt.* Quas Ado & Petrus in Catal. L. 6. cap. 159. dicunt fuisse passas sub Anulino: sed cùm istæ dicantur Martyrio coronatæ sub Valeriano vel Gallieno, non sub Diocletiano & Maximiano: & insuper, cùm, ut notat Baronius ad diem 28. Julii, plures fuerint Anolini, qui Christianos persecuti variis temporibus fuere, dubium manet, an istæ eædem sint ac illæ, de quibus Anolinus

ad

ad Sanctam Crispinam, ut eam terreret, loquebatur.

XII. S. Anastasia Vidua & Martyr, de qua hìc loquar, dicitur fuisse filia cujusdam Prætextati ex Primatibus Romæ Idololatriæ summè dediti, & Mulieris Christianæ nomine Flaviæ, quæ ipsam à nativitate in vera Christiana Religione educavit, Sancto Chrysogono, de quo infra, eam instruente. Matre defunctâ, patre imperante cuidam Pagano Publio nuncupato nubere coacta, Virginitatem quam in votis habebat servasse intactam fertur, ideò à Græcis ut Virgo honoratur. At Publio ejus Viro omnia bona sua cum sui similibus perditis dissipante, ipsa summoperè angebatur, cùm ampliùs non posset in usum & opem Fidelium, ut consueverat, erogare; quod tamen ut poteterat summâ caritate prosequebatur. Hæc Publius cùm resciviset, eam repentè sub arcta custodia reclusit, tanquam Magam & sacrilegam vocans, ac ne quisquam ad eam accederet severè prohibens.

XIII. Hisce in angustiis constituta summoperè tristabatur; & maximè quia cum S. Chrysogono, qui post diversa superata tormenta, in carcere à Diocletiano tunc detinebatur, conversari non poterat. Cogitavit ergo per litteras eum de suis angustiis secretò monere, rogans, ut suis precibus à Deo suam liberationem impetraret; non quia pro Deo pati refugeret, sed quia timebat ne ad ipsi renuntiandum vi cogeretur. Hæc & similia Anastasia scripsit. Quibus per fidam vetulam acceptis, Chrysogonus, postquam cum multis aliis Confessoribus Deum pro ea deprecatus fuit, rescripsit, eam primò adhortans ad fortiter & constanter adversa tolerandum, eique promittens, non multò post Dei adjutorium ei adfuturum. Sed cùm hujus promissi implementum aliquandiù differretur, ipsa majoribus angustiis pressa iterùm Chrysogono scripsit, rogans, ut repetitis precibus Dei pro quo patiebatur opem imploraret, ut animam suam accipere dignaretur. Chrysogonus verò respondit, eam monens ad perseverandum usque in finem, sub spe vitæ æternæ & Martyrii gloriæ propter Christum consequendæ.

XIV. Quæ de liberatione ab angustiis Chrysogonus Anastasiæ prædixerat, mox evenere; Publius enim vir ejus Legatus missus ad Persas in itinere mortuus fuit. Quo Anastasia & sui & suorum bonorum libera Domina effecta, in subveniendo Fidelibus in carcere detentis illa ac semetipsam impendere cœpit, eos propriis manibus pascens. Non multò tamen post Romæ domicilium reliquit, ut Sanctum Chrysogonum Magistrum suum, qui à Diocletiano Aquilejam vocabatur, sequeretur;

quod

quod ineunte æstate anni 304. creditur evenisse. Quò perductus Chrysogonus, cùm nec promissis nec minis Diocletiani flecteretur, ejusdem jussu capite plexus fuit, ejusque corpus & caput in aquas seu mare propè Gradum projecta fuere: quæ Presbyter Zoilus postea inventa in cavea suæ domus tumulavit.

XV. S. Chrysogoni Martyrium Latini & Græci celebrant. Latini 24. Novembris, ubi in Rom. Martyrol. hæc habent: *Natalis Sancti Chrysogoni Martyris, qui post longa vincula & carceres pro constantissima Christi confessione toleratos, jubente Diocletiano Aquilejam perductus, ibidem capite cæsus, & in mare projectus Martyrium consummavit*. Græci verò die 22. Decembris in Menol. Basil. fusiùs sic de eo loquuntur. *Chrysogonus Martyr ex magna Urbe Roma fuit, Diocletiano Imperatore, vir pius Deumque timens, qui Sanctam Martyrem Anastasiam & fidem in Christum & sacras litteras docuit. Commotâ autem Persecutione captus in carcerem conjicitur. Tum verò ad eum scripsit S. Anastasia, ut pro ipsa Deum oraret, ut si Vir suus futurus esset Christianus, viveret; sin minùs moreretur, ne opes suas cum Idololatris consumeret, sed eas ipsa in Sanctorum pauperumque sumtus expenderet. Quod & contigit; factaque voti compos, omnibus facultatibus in pauperes erogatis, sumtâque pauperis stolâ circumibat, & ministrabat Sanctis in carcere detentis. Quo tempore Diocletianus ex Urbe Nicæa, ubi morabatur, litteras Romam dedit, ut Christiani omnes interficerentur; Chrysogonus verò ad se vinctus Nicæam duceretur; adductum autem decollari jussit*. His confirmant Græci, quæ supra dixi. Solùm in hoc dissident, quòd S. Chrysogonum dicunt passum Nicææ, ubi Martyrologia eum passum fuisse volunt Aquilejæ.

XVI. Nunc ad S. Anastasiam revertamur. Hæc Chrysogono Magistro suo orbata, vitam in hoc Mundo protrahebat, ut tandem omnia bona sua in membra Jesu Christi distribueret; Confessorum præcipuè, qui in carceribus detinebantur, curam gerens. Ipsa tandem comprehensa & ad Florum Illyrici Præfectum ducta, ab isto præsentata Diocletiano fuit, qui ad eumdem eam remisit, & demum in manus Ulpiani Pontificis tradita fuit. Hic post inutiliter omnibus viis eam tentatam, oculos & vitam amisit. Hujus mors Sanctam Anastasiam libertati restituit: sed paucos post dies iterùm comprehensa, in manus ejusdem Præfecti Illyrici remissa fuit, qui post varios eventus, & diversas huc atque illuc remissiones, tandem jussit, ut simul cum quodam Christiano Eutychiano nomine, & 120. reis duceretur in medium mare, ubi impositi in navi perforatâ omnes mergerentur. Sed Deo, qui dissipat consilia hominum, disponente, omnes

nes ad littus incolumes evaserunt. Quo miraculo, cùm rei omnes, qui cum Sancta Anastasia salvi facti fuerant, fuissent ad Christum conversi, Præfectus post varios cruciatus omnes interfici jussit, Sanctam verò flammis tradidit comburendam; quamvis alii velint quòd ex igne incolumis exiens eam tandem præceperit decollari: sicque agonem suum gloriosè complevit.

XVII. De ea agit Martyrol. Rom. 25. Decembris, plures tum Viros tum Mulieres in Martyrio consortes ei assignans his verbis: *Natalis Sanctæ Anastasiæ, quæ tempore Diocletiani primò diram & immitem custodiam à Viro suo Publio perpessa est, in qua tamen à Chrysogono Confessore Christi multùm consolata & confortata fuit: deinde à Floro Præfecto Illyrici diutinâ custodiâ macerata, ad ultimum manibus & pedibus extensis ligata est ad palos, & circa eam ignis accensus, in quo Martyrium consummavit in Insula Palmaria, ad quam cum ducentis Viris & septuaginta Feminis deportata fuerat, qui variis interfectionibus Martyrium celebrarunt.*

XVIII. Græci verò 22. Novembris in Menol. Basil. fusiùs loquuntur sic: *Anastasia Martyr, Diocletiano Imperatore Romæ claruit, divitibus ac nobilibus parentibus nata, atque à Matre Fidem Christi edocta, à Chrysogono verò Christianorum Doctore sacris Litteris instituta. Virum autem duxerat Publium nomine, divitem quidèm sed ethnicum. Quòd igitur Christianus non esset, eum Anastasia oderat, nec ullam ei corporis sui potestatem faciebat: erat autem benigna & liberalis in pauperes, eosque qui in vinculis detinebantur visitabat. Quamobrem in carcerem à Viro suo detruditur. Sed mortuo eo, dimissa, omnibus facultatibus suis in pauperes distributis, sedulam Sanctis operam dabat, Martyrio defunctos sepeliebat, multos ad perferendum Martyrium impellebat. Quare à multis diverso tempore Præfectis excruciata, deinde in mare, postea in ignem injecta, sed incolumis inde evadens, tandem unà cum iis quæ secum erant, mulieribus decollatur.* Ita Græci, qui S. Anastasiam decollatam volunt, & cum ea solas Mulieres memorant.

§. XXXI.

SS. Cyprianus Antiochenus & Justina Martyres.

I. CYpriani nomen illustre in Ecclesia reddidit, nedum Africa in suo Cypriano Carthaginensi Episcopo cujus præclara Gesta & Martyrium supra enarravi Cap. 11. §. 6., verùm etiam Oriens

Oriens in altero Cypriano Antiocheno Episcopo. Non latet, S. Gregorium Nazianzenum Orat. 18. visum fuisse Cyprianum Carthaginensem cum Antiocheno confundere, dum illi tribuens quæ huic conveniunt, dicit, illum ante conversionem fuisse Magum, & insano amore Justinam Virginem Antiochenam deperisse; sed ab ea fusis ad Deum precibus fuisse tandem ad Fidem conversum. Attamen S. Gregorium in hoc aliquâ æquivocatione laborasse ostenditur, quia Pontius, qui ejus vitam conscripsit, non solùm de ejus Magia & vesano amore ante conversionem nihil dicit, sed expresse ait, studia & bonas artes devotum pectus ejus imbuisse. Lactantius insuper Augustinus & Hieronymus Rhetorem quidèm & Oratorem eum fuisse dicunt, sed Magum nunquam, nec Justinæ Virginis vel verbo sermonem faciunt. Accedit, quòd Cyprianus ipse in Epist. ad Donatum ubi conversionem suam narrat, si hisce nævis inquinatus fuisset, Vir humilis certè non dissimulasset.

II. Diversum ergo esse à Cypriano Carthaginensi Cyprianum Anthiochenum, demonstratur ex diversitate temporis, Provinciæ, Civitatis, Judicis, diei & circumstantiæ Martyrii. Nam Carthaginensis sub Valeriano & Gallieno in Africa, Carthagine sub Galerio Maximo, comitibus Crescentiano & aliis tribus, 18. Kalend. Octobris passus est. Antiochenus verò sub Imperatore Diocletiano, in Bithynia, Nicomediæ, sub Judice Eutholmio cum Justina Virgine sexto Kalend. Octobris. Uterque Episcopus fuit, sed unus Carthaginis in Africa, alter Antiochiæ. Omnem tamen scrupulum tollit auctoritas Ecclesiæ, quæ de utroque diversis, ut supra, diebus celebrat, & diversa de utroque refert, ut ex Bedæ, Adonis, Usuardi, & Romano Martyrologiis apparet; quibus subscribunt Raphael Volaterranus, S. Antoninus, Vincentius Bellovacensis, Hermannus Contractus, & Critici recentiores quasi omnes.

III. His statutis: hujus S. Cypriani & S. Justinæ ejus in Martyrio sociæ historiam metricè scripsit Eudocia Leoncii filia, & Theodosii Junioris uxor anno 471. tribus libris; quorum compendium exhibet Photius in Biblioth. Cod. 184.. Extat etiam ejusdem Cypriani Confessio in Anglia manuscripta reperta, quæ ad calcem Operum S. Cypriani Edit. Maurinæ legitur. Ex his monumentis colligitur, quòd hic Cyprianus origine Antiochenus fuit, genere & divitiis clarus, ingenio etiam præditus; quo tamen ad sacrilegia addiscenda & patranda diù abusus fuit. Ex parentibus idololatris natus, ab eis vix septimo ætatis anno Mithræ mysteriis hoc est Dæmonibus offertur, atque in omnibus

nibus cæremoniis ſacrilegis ac ſtudiis ſuperſtitioſis præſertim Magiæ educatur; adeòque in hoc profecit, ut nemo unquam in Paganiſmi myſteriis ac Dæmonum præſtigiis magis inſtructus evaſerit. Ad hoc divitias impendit, labores ſuſtinuit, itinera aſſumſit. Athenas annum agens decimum à parentibus ductus, ac Civis factus, in Cereris myſteriis facem prætulit. Montem Olympum Deorum, ut ajebant, ſedem aſcendens, ibi Dæmoniacas omnes abominationes vidit. Athenis Argos tranſiit, inde in Phrygiam, ubi ad divinandi & haruſpicandi magicamque artem pertinentia multa collegit.

IV. Poſtea annos natus viginti Memphim in Ægyptum venit, penetrans uſque ad Indos, ubi mirabilia omnia & phantaſtica, quæ ars dæmoniaca facere poteſt, ſe vidiſſe narrat. Jamque ad ætatem triginta annorum pervenerat, cùm in Chaldæam progreſſus, ejuſque Gentis litteris ac myſteriis inſtitutus, aſtrologicis & magicis illuſionibus ſummè imbutus fuit. Non ſolùm enim ſub diverſis phantaſticis figuris Dæmones frequenter ſe conſpicuos ei reddebant, honoribus ac blanditiis eum demulcentes; ſed & ipſe identidem diverſas formas aſſumens uni ſub una ſpecie, alteri ſub altera apparebat; quam deinde repentè viſibiliter mutabat, ut omnibus admirationi ſimul ac terrori eſſet, & veluti Deus, aut ſaltem Jeſu Chriſto major ab obcæcatis Populis haberetur.

V. Quamvis Magia maximum in ſe crimen eſſet, Cypriano tamen initium & fons aliorum immanium criminum fuit. Nam modò ut opera ſua magica impleret, modò ut petentibus ac Dæmonibus ipſis ſatisfaceret, Viros, Mulieres, pueros, ac præſertim magno numero infantes occidebat, horumque ſanguinem velut victimam Dæmoniis offerebat. Porrò enormibus criminibus ad alia enormiora viam parabat, ut ſive propriæ ſive amicorum cupiditati avaritiæ & impudicitiæ deſerviret, & maximè expugnandæ Virginum caſtitati & ſacris matrimonii legibus violandis; ad hæc enim obtinenda Pagani plerumque incantationes adhibebant. Sic Cyprianus totus pro Dæmonibus, totus contra Deum erat. Fatebatur tamen invitus, ſolos Chriſtianos eſſe, in quos ſua maleficia nihil poſſent. Quia verò tempus Dei nondum advenerat, ejuſmodi experientiâ nil movebatur, ſicut nec cujuſdam Euſebii monitis (qui cum eo humanioribus litteris ſtuduerat & fidelis ſervus erat) nec aſſiduâ conſideratione, quòd potentia Dæmonis niſi ad malum tenderet ac injuſtitias: imò in obſtinata ſua cæcitate perſiſtens Chriſtianos ſummo odio habebat, Sacras Scripturas irridebat, Eccleſiæ Mi-

Miniſtros, Sacramenta contemnebat; Jeſum Chriſtum blaſphemabat, Virgines & nuptas calumniis atrocibus denigrabat. Factus proinde Veritatis Perſecutor, eâ quâ pollebat eloquentiâ & auctoritate, Fideles omnes ad renuntiandum Evangelio & Baptiſmo adigere conabatur: multos etiam ſuæ impietatis diſcipulos coegerat, quos in ſuis deteſtabilibus operibus erudierat; imò & plures ab amplectenda Religione Chriſtiana ſuis apparentibus prodigiis deterrebat.

VI. Talia erant Cypriani merita, quæ amplam ad æternas inferorum pœnas ei viam paraſſent, ni Deus velut alterum Saulum in exemplum ſuæ miſericordiæ illum aſſumere decreviſſet, & ut ipſum à captivitate Dæmonis ac ſuarum paſſionum eriperet, ipſos Dæmones ipſaſque paſſiones, quibus ante ſervierat ad omnia deteſtanda, inſcrutabili judicio adhibuiſſet. Quomodò autem hoc evenerit, dicam.

VII. Erat quædam Virgo genere nobilis, pulchritudine ſpecioſa nimis, Juſtina nomine, ex eadem quâ Cyprianus Antiochiæ Civitate. Primò quidèm Pagana fuerat, ſed poſtea ad Chriſtum converſa ſecum etiam parentes ſuos ad Fidem traxit. Virginitatem, quam Deo voverat, ſummâ cautelâ cuſtodiebat. Hoc tamen impedire non poterat, quin aliquandò ejus formoſitas oculis hominum appareret. Quare juvenis quidam Paganus nomine Aglaides eâ accenſus varias tentavit artes, ut eâ ad ſuam exſaturandam libidinem potiri poſſet. Sed cùm omnes conatus inutiles experiretur, ad Cyprianum confugit, putans, illius magica ſecreta ad expugnandam Virginis caſtitatem valida fore. Cyprianus, tum ut amicis, tum ut propriæ paſſioni ſatisfaceret, libenti animo opus aggreſſus eſt. Omnem ergo Magiæ vim exercuit, & ut Dæmonem ad ſatisfaciendum paſſioni, cujus ipſe auctor erat, magis accenderet, nova crimina ei promiſit, adorationes nempè & ſacrificia. Nec defuit inferorum auxilium, paratos enim omnes Dæmones habuit, quorum violentiores ac impuriores ad tentandam Virginis caſtitatem mittebat: adeòut (fatetur ipſe in ſua Confeſſione) omnes Dæmonum ſpecies, ipſum eorum principem, per dies ſeptuaginta miſerit.

VIII. Juſtina obſcenâ hâc & continuâ obſidione agitata, defenſionem ſui unicè à Deo precibus poſtulabat, ac Virginis Deiparæ in ſuæ caſtitatis tutelam opem implorans, ſuper nudam humum cubans ac jejuniis ſe macerans, decorem vultus, à quo illi tantum periculum imminebat, extenuare conabatur, hiſce macerationibus Divinam ſe flectere miſericordiam ſperans: quod

quod ei feliciter contigit, nam Dæmon signo Crucis victus ab ea fugiebat. Cyprianus tamen nondum animo destitutus Dæmones iterùm provocavit, seipsum transmutavit in Feminam; sed ut primùm attigit Justinæ vestibuli januam, ementita forma evanuit & Cyprianus remansit. Aglaidem aliquandò mutavit in passerem, qui cùm super fenestram Justinæ volasset, eumque illa conspexisset, statim periit forma passeris, ac miser Algaides ex alto stans periisset, nisi Virginis misericordiâ leniter per scalam demissus fuisset, quæ hortata ut Deum coleret, è vestibulo illum ejecit.

IX. Victus sed non animo fractus Cyprianus (seu veriùs Diabolus) variis morbis ac ærumnis illam & parentes ejus vexavit, sed invictam semper invenit (rem narrat in sua Confessione Cyprianus ipse) „ Illam à Medicis desperatam plorabant pa-„ rentes; sed illis ipsa dicebat: ne lugeatis, non enim moriar, „ nec animo deficio aut quidquid doleo, nec ullum morbum „ sentio, nisi fortè levem quemdam calorem tamquam ex aere „ mihi transmissum „. Alia contra ipsam tentarunt Dæmones, sed ipsa signo Crucis se muniens eorum pellebat operationes. Hinc ad parentes conversi, eorum greges boves & jumenta occiderunt; illa autem hortabatur, ne animum desponderent aut desperarent: ac prudenti ejus consilio evenit, ut multò plura reciperent, Deo iis qui superfuerant benedicente. Populo pestem immisit Diabolus, ac oraculum dedit, non fore liberandum nisi Justina Aglaidi jungeretur. Verùm clamantem Populum Justinæ compressit oratio & pestem simul ab Urbe propulsavit. Quibus animadversis, immutati Cives Christum celebrabant, ac Cypriano velut Urbis insidiatori convitiabantur, itaut ipse latenter prodiret & notorum occursum metueret.

X. Quare Dæmon ipse Cypriano ingenuè confessus fuit, se adversùs Justinam nihil posse. Cyprianus tamen propriâ passione & Aglaidis importunitate cruciatus Dæmonem rogavit, ut saltem ab Aglaide animum de Justina imposterùm cogitandi auferret. Statim igitur Princeps Dæmoniorum Spiritui fornicationis præcepit, ut Aglaidem liberum dimitteret, eum omni libidinis æstu erga Justinam exueret: at ille sibi hoc non licere respondit, posse quidèm â bono ad malum inducere hominem, sed illum è malo restituere in bonum non posse. Videns Cyprianus, nullum sibi extare remedium, furore suæ passionis agitatus, Dæmonem injuriis onerare cœpit, eumque etiam colaphis percutere tentavit. Dæmon timens, ne homo sibi adeò utilis eum desereret, sub Justinæ specie ipsum adiit, quasi ejus volunta-

ti ipsa tandem obtemperasset. Sed Deus volens suæ famulæ honorem simul & castitatem sartam tectam tueri, fecit, ut dum Cyprianus eam alloqui inciperet, vix pronuntiato Justinæ nomine, totum illud phantasma evanesceret.

XI. Tot tantisque excussus experientiis, Dei gratiâ oculos ejus aperiente, Dæmonis fraudes & impotentiam dignoscere & contemnere cœpit, ac simul detestari magicæ artis tum impietatem, quæ nisi ad crimina deserviret; tum vanitatem, dum tota ejus potentia coacta fuerit cedere puellæ alia arma non habenti quàm purum Christi signum. Unde ad Diabolum conversus ajebat: „ Si te umbra Christi vincit, quid facies si ipse adveniat? si tantùm nominatur Christus & tremis, quid facies „ si ipse te aggredi velit? si signum illius passionis infirmum te „ facit, coram illius potentia ubinam eris? si signat, nec audes accedere ad limitem ejus, quosnam igitur poteris ex manu illius eripere? nihil es & nihil habes solidi ad defensionem, „ nihil potes &c.. „ His aliisque improperiis irritatus Diabolus irruit in Cyprianum, & eum suffocare conabatur: cùm verò Cyprianus viribus imparem ad ei resistendum ac sensim deficientem se agnosceret, memor illius signi, quo Justina utebatur: Deus Justinæ, inquit, auxiliare mihi; & statim vires ei accesserunt. Diabolus autem ab eo velut telum recessit, sed stans ac tenens gladium eum occidere minabatur. Cyprianus autem Christi signi vim jam expertus, majori confidentiâ eo se munire & Christum invocare cœpit. Tunc ab eo discessit Diabolus minabundus ac dicens: „ Non te salvabit ex meis manibus Christus, „ nam detestatur impios, & nunc per dolum tibi auxiliatur, ut „ te morti tradat. Cùm te ergo projecerit, ego tibi ostendam, „ quid sit meum imperium contemnere. Cares igitur meâ gratiâ, nec quidquam te ille juverit, cùm meos non admittat.

XII. His Diaboli verbis exterritus Cyprianus anxiè cœpit timere ac inquirere, an Christus placatus eum recepturus esset ad pœnitentiam. Opportunè illi præstò fuit quidam servus Dei nomine Timotheus, qui ab hoc Dæmonis fraude incusso timore eum liberavit: ostendens ei, hoc esse fraudolentum Dæmonis mendacium, nec Jesum Christum cuiquam illudere; nec quemquam etsi impium, ad se tamen sincero corde accedentem, & verè pœnitentem respuere, sed benignè suscipere & amplecti: Ipse enim fallere nescius juravit, se peccatores ad se revertentes ac crimina detestantes quâcumque horâ recepturum; imò & ad hoc venisse, suamque Incarnationem, Passionem & Mortem argumentum esse suæ erga impios misericordiæ, dum in Cruce pen-

pendens, etiam pro se crucifigentibus veniam à Patre suo imploravit. His & similibus confortatus Cyprianus novum proficiendi in viam salutis robur concepit; quia enim suis illusionibus multos deceperat, solemnem coram omnibus criminum suorum ac prolixam confessionem cum gemitibus ac lacrymis emisit.

XIII. Nihilominùs Dæmon adhuc non desperans, ex ipsa sua pœnitentia novam eum tentandi occasionem sumsit. Omnia ejus enormia crimina in mentem ejus congessit, ac ex eorum gravitate tantum horrorem illi instillare studuit, ut de venia penè desperaret. Persuasus de veritate Dei Christianorum, se indignum esse, ut ad eum accederet, existimabat. Quare ante ipsum se prosternere, & sibi mortem consciscere quasi statuerat, potiùs quàm in vita tot fœdatâ criminibus perseverare. Lacerabat sibi propterea vestes, caput cineribus operiebat, & se in terram dejiciens, gemitibus & lacrymis exclamabat: me miserum! me maledictum! perditus sum: qui verò circumstabant Christiani eum lacrymis comitabantur.

XIV. Jam tres dies absque cibo & potu in hoc statu transegerat; cùm misertus Deus Eusebium veræ pietatis magistrum velut Angelum misit, qui Divinis oraculis ac sacris historiis atram diffidentiæ nubem, quâ spiritus ejus tegebatur, dissiparet, & spei lumine illustraret: quod his verbis fecit: „ Crede
„ mihi Cypriane, qui te fallere nolo. Multos novi, qui cùm
„ ad Christum non præclarè factis, sed tamen animi affectibus
„ accederent, suscepti fuere. Magi erant illi, & suscepti sunt,
„ tu quoque Magus eodem prorsùs modo ac illi recipieris.
„ Peccata tua majora fortè sunt quàm peccata illorum; at num-
„ quid misericordiâ Dei majora sunt? Quousque igitur te ipse
„ cædis & ulcisceris, quamvis admodùm infirmâ valetudine?
„ Vide, ne in hanc quoque desperationem Diabolus te conje-
„ cerit; versutus enim est: id quod tibi apertius est quàm mihi.
„ Invoca Christum, & ejus misericordiam experiere. Tempo-
„ re non indiget, sed cordis compunctione &c.

XV. His & similibus victus Cyprianus, sed non plenè, dixit, de criminibus in Justinam patratis se maximè angi, propter quam puerorum cædem & jecoris in mulieribus inspectionem & alia nefariæ artis facinora commisit: propterea optare se, ut ex Scripturis Christi ostenderet, an ex iis, qui similem impietatem professi sunt, conversum aliquem susceperit. Tunc Eusebius proposuit exempla Sanctorum Pauli & Petri, Nabucodonosoris & Manassis, qui etsi gravissimorum criminum rei, pœniten-

tentes suscepti fuere, & similes ab Ecclesia in dies suscipi ostendit; quia nullum est crimen adeò atrox, quod per Baptismum penitus non deleatur. Tandem ipsum adhortatus, ut aliquo alimento, à quo per triduum prorsùs abstinuerat, se reficeret: promisit, se ad Ecclesiam immediatè ipsum adducturum, & ad Presbyteros, qui omnibus Divini Verbi veritatem sine fastu & fuco communicant, & post hæc Episcopo se eum præsentaturum.

XVI. His auditis Cyprianus decurrit ad Eusebium, eumque complexus, collum caput & pectus exosculatur, patrem suum eum vocans. Eusebius secum illum ducens à triduano jejunio reficiendum curat, & sequenti die ante lucem in Ecclesiam perducit. Obstupuit, & quasi extra se raptus fuit Cyprianus videns ibi super terram cœtum prorsùs cælestem, & Populum simul unitum, audiens laudes Deo canentem tanto vocum concentu & consonantiâ, ut ex omnibus una vox confici videretur. Fideles vicissim viso introeunte in Ecclesiam Cypriano converso ac humiliato, admirati, de hoc prodigio gratias Deo agebant. Solus Episcopus illum rejecit, ac ejus ingressui diù restitit, sibi persuadere non valens, talem hominem Religionem Christianam sincero & vero corde amplecti velle. Sed Cyprianus evidens signum suæ veræ conversionis ei dedit, quando postridie congestos libros Magicos, quos apud se retinebat, publicè omnes Episcopi jussu combussit; & meritò, hoc enim unico testimonio conversionis sinceritas probari poterat: quod & tempore S. Pauli fecerunt Ephesii Act. 29. v. 19.. Hoc idem S. August. ad calcem Psalmi 61. factum dicit cum quodam Mathematico: *Quia talis est ars, in qua exercitatus erat, quæ suspecta esset de mendacio atque fallacia, dilatus est ne tentaret, & aliquandò tamen admissus est ne periculosiùs tentaretur.*

XVII. Non contentus tamen Cyprianus, omnes suos Libros in pœnitentiæ testimonium combussisse, omnia sua bona Christo immolare voluit, ea in pauperes distribuendo; & tandem ab Episcopo Fidem apprimè edoctus, per Eusebium obtinuit cœtui Fidelium uniri, & signo Domini per Baptismi lavacrum muniri. Porrò Eusebius, qui in tentationibus illum sustinuerat, magnam apud Deum remunerationem obtinuit, decoratus etiam Sacerdotii dignitate (si tamen antea non erat, quod non est certum). Aglaides quoque, propter quem Cyprianus tot crimina incassùm patraverat, cognitâ Dæmonum fraude, distributis in pauperes bonis suis, Christianus & ipse factus est. Justina verò tanto jubilo Cypriani conversionem audivit, ut lampadem accenderit, capillos ut eos Deo offerret sibi totonde-

derit, ornatus omnes muliebres, & quidquid ei in dotem contingere poterat, vendiderit, pretio in pauperes distributo. Parentes quoque ejus propriam domum in servitium Ecclesiæ Deo consecraverunt. Omnes demum Fideles hanc Sanctam Virginem & Eusebium tam sancti operis ministrum summâ veneratione prosequebantur.

XVIII. Interim Cyprianus totus à priori diversus, amore Dei repletus, & præteritorum criminum odio vera suæ resipiscentiæ testimonia palàm exhibebat. Modestus ac humilis erat in vestibus, omnia terrena contemnens, primus in vigiliis & aliis carnis macerationibus & pietatis operibus; & qui postremus Christi viam ingressus fuerat, omnibus, qui à longo tempore eam calcaverant, præcellebat. Ut autem superbiam humilitate contereret, petiit & obtinuit, ut purgandi ac verrendi Templi cura sibi demandaretur, seu ut ait Eudocia apud Photium Cod. 184. Templi Janitor destinaretur. Quibus & aliis Deo ita acceptus evasit, ut Charismatum donis ornatus, morbis alios, Dæmonibus alios liberaverit, nedum à corporum sed & animarum possessione Dæmonia ejiciendo, ac plures ad Christi Fidem trahendo. Et tandem meritis adeò cumulatus fuit, ut ad Ecclesiam Antiochenam post Antimum regendam elevatus fuerit.

XIX. Quid in Episcopatu gesserit, historiæ non produnt; unde ad ejus Martyrium nobis transeundum erit, quod sub Diocletiano creditur contigisse simul cum S Justina. Captus ergo Antiochiæ fuit, & ad Judicem seu Phœniciæ Præsidem (ut creditur) Antolmum nomine, Tyri residentem raptus. Justina pariter, quæ Antiochiâ relictâ Damasci Christi Fidem publicè prædicabat, comprehensa coram eodem Judice adducta fuit; disponente Deo, ut illam, per quam Cyprianus gratiam Fidei hauserat, haberet in corona sociam; & in Martyrio haberet comitem, quam in crimine non potuit habere consortem. Cùm ergo neuter impii Judicis sermonibus obedire vellet, Justina nervis bubulis cæsa fuit; Cyprianus autem in aere suspensus ungulis ferreis lateribus appositis laceratur. Verùm cum his suppliciis eorum constantia non moveretur, utrumque in carcerem separatim amandavit. Unde postea evocatos cùm verbis frustra tentasset, in æream sartaginem, pice adipe ac cerâ in eadem simul mixtis, multoque igne accenso, Martyres Dei conjecit.

XX. Ibi cùm Athletæ illi fortiter perdurarent, ac potiùs velut in rore Deum, quòd tormentis superiores evasissent, læti lau-

laudarent, Athanasius quidam Dæmonum Sacerdos Cypriano antea familiaris, & assessor tunc fortè Judicis tormenta inferentis, mentis cæcitate correptus, ausus est Deos suos familiares invocans in ignem & ipse ingredi: sed dum miraculum extenuare nititur, si & ipse sine noxa ibidem perduraret, magis illud auxit, confestim enim ab igne consumtus in cinerem versus est.

XXI. Hæsitans ergo Judex decrevit Martyres ad Diocletianum mittere, & ad eum, tum quæ pertulissent tormenta, tum quemadmodùm pœnis essent omnibus superiores, perscribere. Quæ cùm Imperator Nicomediæ intellexisset, præcepit Martyres ad vicinum Urbi flumen, cui Gallo nomen, capite truncari. Hactenùs Eudocia apud Photium: quæ addit, quòd Theoctistus quidam cùm Cyprianum salutasset, ex hoc deprehensus quòd esset Christianus, eâdem horâ Martyrium cum Cypriano & Justina passus fuit. Is fortè cum quibusdam nautis similiter Christianis Româ advenerat: qui nautæ non obstante, quòd Infideles Martyrum Corpora custodirent, ne humarentur sed à bestiis vorarentur, clam eadem abstulerunt, & navi imposita Romam asportarunt. Sed cùm Romæ quoque Persecutio vigeret, apud piam quandam Matronam aliquandiù abscondita remanserunt, donec à Ruffina, quæ generis stirpem á Claudio II. Imperatore repetebat, in honorem prædictorum Martyrum magnificum Templum propè Claudii Forum excitatum fuit. Hìc admirare Lector Dei potentiam, quæ omnia Diaboli machinamenta dissipavit, Cypriani pravam voluntatem sibi subegit, & Justinam, quam volebat in crimine, fecit ut haberet in gloria Martyrii consortem. Horum memoria in Martyrol. à Latinis colitur die 26. Septembris; in Menol. autem Græco Basilii die 2. Octobris.

§. XXXII.

SS. Julitta Quiricus Januarius Sosius & socii.

SAncta Julitta Iconii nata ex illustrioribus Licaoniæ familiis, & Regio veterum illius Regionis Principum, ut aliqui putant, sanguine originem traxit. Religione Christiana erat: cùmque Iconii nupsisset, genuit filium nomine Quiricum, seu ut aliqui putant Cirycum vel Cyrum. Hic trimulus erat, cùm mater Julitta, ut Persecutionem, quam Domitianus homo ferus Diocletiano imperante ibi exercebat, declinaret, Licaoniam omniaque sua bona reliquit, secum afferens infantem filium

filium ac duas ancillas, & Seleuciam se contulit. Sed dum vitavit Carybdim, incidit in Scyllam; Alexander enim Seleuciæ Præses, novis à Diocletiano acceptis Edictis, crudeliùs in Christianos agebat: quare Julitta consilium Christi secuta, Seleuciam deseruit, & unà cum filio & ancillis Tarsum aufugit.

II. Porrò Deus, qui eam coronare dispofuerat, fecit ut idem Alexander, cujus sævitiem declinaverat, à gubernio Seleuciæ ad Ciliciæ regimen, cujus Tarsus Urbs præcipua erat, non diù post transferretur. Is ergo Julittam comprehensam ad se adduci jussit: affuit illa suis ulnis tenellum puerum gestans, ancillis interim fugientibus & quid ageretur spectantibus. Illa tribunali adhibita, ac nomen fortunam patriamque ab Alexandro rogata, fidenti animo respondit: *Christiana sum*. Irâ itaque accensus Alexander è brachiis ejus abripi infantem & ad se adduci, matrem verò, composito atque distento super equuleo corpore, nervis bubulis crudeliter cædi mandavit. Puer à matre avulsus totus in eam gestiens nec oculos ab ea divellens ploratibus ad eam clamabat; Illa autem dum atrociter cæderetur, id unum dicebat: Christiana sum, nec Dæmoniis unquam immolabo. Infantis ejulatibus commotus Præses eum manu accepit, tum blandè deliniens à fletu cohibere nitebatur, genibusque impositum osculari tentabat: sed puer intentis in matrem luminibus, Præsidem abs se submovebat, & caput avertebat, manibusque obnitens ei faciem unguiculis scalpebat, ac veluti turturis pullus, eandem quam mater vocem pronuntians, clamavit: *Christianus sum*: calcibus quoque Judicis latus incompositè petens ab ejus manibus evadere conabatur. Quare Alexander pedis ictu ex alto tribunalis puerum ad terram dejecit; unde collisos ad graduum angulos atque contrito capite, aream cruore opplens felicem spiritum ad cœlestem gloriam emisit.

III. Hoc viso Julitta mater, nedum non plorans, sed gaudio repleta gratias agebat Deo, quòd filium suum ad coronam præmisisset. Ejus jubilus Alexandrum furore accendit; qui proinde Ministris jussit, pendenti in equuleo validè fodi latera, & ex lebete haustam picem bullientem pedibus affundi: comminatus, ni Diis sacrificare statueret, eamdem quam filius malam necem reportaturam. Sed cùm illa respondisset, se Dæmonibus ac mutis statuis numquam, sed soli Christo sacrificaturam, & festinare assequi filium suum, eique sociam fieri in Regno Cœlorum; insanus Judex sententiam capitis in eam pronuntiavit, & quòd filii corpus inter damnatorum corpora projiceretur. Confestim ergo ministri ad solitum carnificinæ locum eam duxe-

re. Quò cùm pervenissent rogavit Julitta, ut sibi brevis precandi mora concederetur, quâ expletâ, caput ei lictor abscidit, projecto corpore extra Civitatem, ubi etiam filii corpus positum erat. Contigerunt hæc 17. Kalend. Augusti seu 16. Julii anno Christi veriùs 305.. Postridie verò ambæ ejus ancillæ sublata noctu cadavera in Tarsi Urbis agro procul deposita condidere. Cùmque ad tempora Constantini datâ Ecclesiæ pace altera ancillarum superstes esset, locum manifestavit, ad quem accurrentes Fideles sacrorum pignorum reliquias ad sui præsidium asportarunt.

IV. Hæc omnia ex Epistola Theodori Iconii Episcopi desumta sunt; qui protestatur, ea sincera esse, & à fabulosis qui circumferebantur libellis discreta; iisque propterea Ruinart, aliique Critici omnimodam Fidem adhibendam esse censent. Hoc dixi, ne quemquam offendat, quòd inter libros à Gelasio I. in Concilio Romano ad apocrypha amandatos velut ab Hæreticis conscriptos, legatur *Passio Quirici* (seu Ciryci) *& Julittæ*: nam ista Theodori ab illis diversa sunt, & fabulis ab Hereticis fortè Manicheis insertis repurgata; cùm enim Episcopus quidam Zenon seu Zozimus nomine ferre non posset, quòd illa scripta tot fabulis indignis ac Fidei contrariis referta circumferrentur, præfatum Theodorum Iconii Episcopum rogavit, ut si fieri posset Acta horum Martyrum sincera inveniret. Quod ille præstitit: & ex iis, quæ aliqui Justiniani Imperatoris Ministri ex eadem Sanctorum Martyrum familia originem trahentes, Majorum suorum Traditione acceptâ narrarunt, antiquis etiam consona monumentis, prænarratam Epistolam conscripsit.

V. In hanc consentit utraque Ecclesia. Latina in Martyrol. 16. Junii his verbis: *Tharsi in Cilicia Sanctorum Martyrum Quirici & Julittæ matris ejus sub Diocletiano Imperatore: quorum Quiricus triennis puellus, cùm matrem, quæ ante Alexandrum Præsidem nervis dirissimè cædebatur, implacabili luctu lugeret, ad gradum tribunalis illisus interiit. Julitta verò post dira verbera & gravia tormenta Martyrii sui cursum capitis obtruncatione complevit.*

Græca verò in Menol. Basil. die 15. Julii fusiùs hæc habet: *Martyr Christi Julitta ex Urbe Iconio Diocletiano Imperatore claruit. Gliscente autem Iconii Persecutione, unà cum filio Cyrico trienni puero Seleuciam contendit, eamdemque ibi Persecutionem offendens, Tarsum profecta est: ubi etiam Alexander Præses homo crudelis & ferus Sanctos exagitabat. Comprehensa itaque & à puero separata tormentis subjicitur. Puero autem super genibus posito*

posito Præses interim blandiebatur: at ille averso ab illo ore, defixoque in matrem obtutu, balbutiente voce nomen Christi appellabat, & ad matrem abire conabatur. Quare ab immiti ferâ calcibus trusus & per gradus dejectus, colliso ad petram capite contritoque, exanimatus est. Mater verò Deum glorificans, post plures cruciatus etiam ipsa capite plexa fuit. Ita Græci: quæ in substantia concordant cum supra enarratis ex Epistola Theodori.

VI. Nunc de S. Januario Episcopo Beneventano & Sociis, quorum Martyrium refert Baronius in Annalibus, & in Notis ad Martyrol. 19. Septembris, ad annum 305., quem plerique Recentiores sequuntur. De S. Januario ante Episcopatum nil, saltem certi, habemus. Dum ergo Beneventi esset Episcopus, aderat in Ecclesia Miseni olim Urbis Campaniæ propè Neapolim quidam Diaconus nomine Sosius, cujus virtutis fama adeò celebris erat, ut quamvis admodùm juvenis esset trigesimum ætatis annum vix attingens, S. Januarius tamen ad eum frequenter accederet, quò ad pietatis studium magis inflammaretur, & domesticâ ejus conversatione lumina necessaria ab benè instruendum Populum sibi commissum compararet. Cùmque aliquandò eum in Ecclesia Evangelium canentem comperisset, vidit caput illius undique flammis circumdatum, ex quo prædixit eum Martyrio fore coronandum. Quod non diù post impletum fuit; cùm enim Dracontius Provinciæ Præses Misenum venisset, incitatus ab aliquibus virtutis inimicis, Sosium comprehendi jussit; & videns ejus in confessione nominis constantiam, flagellis cæsum Puteolos traduxit carceri mancipandum. Ibi ad eum visitandum & confortandum S. Januarius, & ulteriùs Proculus Diaconus Eutices & Acucius Puteolani Cives frequenter conveniebant. Hoc cùm Dracontius rescivisset, eos ad se adduci jussit, & crudeliter cæsos in carcerem detrudi.

VII. Adhuc in carcere Sancti Martyres detinebantur, cùm Diocletianus successorem in gubernio Dracontio Timotheum misit. Novus hic Præses Nolam adveniens, ac resciens caritatis officia, quæ erga Sosium S. Januarius exercebat, ad eum comprehendendum misit, & comprehensum in fornacem ardentem injici jussit; ex qua cùm illæsus omninò (ut fertur) evasisset, post immanem nervorum torturam in carcerem conjecit.

Interim Festus ejus Diaconus & Desiderius Lector, auditâ Januarii sui Episcopi capturâ, Nolam venerunt. Ibi & ipsi detenti unà cum Januario coram Timotheo præsentati fuere, quos Januarius suos ac de suo Clero esse confessus est. Quare Timotheus vinculis oneratos ante suum currum Puteolos usque duci

 man-

mandavit, ut ibi unà cum aliis ibi detentis, bestiis exponerentur. Sequenti ergo die in Amphitheatrum ducti fuere; sed cum nulla ex bestiis immissis eos læsisset, Timotheus Populi commotionem sedare volens, ex Amphitheatro in medium forum eductos omnes capite truncari præcepit: quod illicò impletum fuit.

VIII. Ad sacra præfatorum Martyrum Corpora elevanda ex diversis Urbibus Fideles certatim venerunt. Sancti Proculus Eutices & Acucius Puteolis remanserunt, S. Januarius Neapolim delatus fuit, Festus ac Desiderius Beneventum asportati fuere; Sosius verò Misenum, ubi in Ecclesia magnifica in ejus honorem erecta postmodùm repositus fuit. Si tamen Joanni Diacono credimus, S. Januarii corpus non illicò intra Neapolim delatum fuit, sed solùm circa annum 400. Severus Neapolitanus Episcopus & Joannes ejus successor è loco quodam prope Puteolos ad Ecclesiam apud Neapolim transtulere. Ut ut sit, Corpus S. Januarii modò Neapoli in Ecclesia Metropolitana summâ celebritate colitur.

IX. Gloriosum S. Januarii & Sociorum ejus agonem recolunt ac venerantur die 19. Septembris non solùm Latini in Martyrol., sed & Græci eâdem die, qui in Menolog. illum ita laudant: *Sacrosanctus Martyr Januarius unà cum Sociis Diocletiano Imperatore claruit. Erat autem Urbis Beneventi Episcopus: ob Christi verò confessionem in vincula Puteolis conjectus fuit unà cum Sosio, Proclo, Eutychio & Acustio Diaconis. Timotheus autem Regionis Præfectus Puteolos profectus, cùm Sanctum in vinculis reperisset, è carcere eductum in caminum injecit. Sed cùm inde illæsus & incolumis evasisset, majori furore correptus, præcepit lictoribus, ut nervos pedum ejus præciderent. Quod supplicii genus cùm Sanctus fortiter pertulisset, iterùm in custodiam conjicitur. Cùm autem Festus & Desiderius Clerici ex Urbe Benevento visitandi cum causâ venissent, comprehensi & ipsi, vinculis unà cum Episcopo & Diaconis in carcere constringuntur. Indè educti & ad bestias damnati, neque ab iis læsi, Præfecti jussu capite plexi sunt.*

X. Baronius in Notis ad diem 19. Septembris refert, ex quadam pervetusta Homilia in sua Bibliotheca asservata, & confirmat ex Marcellino Comite antiquo Chronographo in Chron. sub Conf. Leone Augusto quartùm & Probiano Indict. 9. ad ann. 471. vel 472.; quòd Vesuvius mons Campaniæ intestinis ignibus æstuans tantâ flammarum copiâ erupit, ut nedum proximæ adjacenti Civitati, ac circumpositis Regionibus, sed toti ferè Europæ conflagratio imminere videretur; quæ S. Januarii

pa-

patrocinio à Populis invocato fuit compressa. Cujus prodigii memoria quotannis Constantinopoli celebrabatur, ut scribit Procopius L. 2. de Bello Gothico: ex quo factum putat idem Baronius, ut ex tam insigni & toto Orbe vulgato miraculo Græci solemni cultu iteratò eumdem Martyrem celebrent, nempè & 19. Septembris, & 11. Kalend. Maii, seu 21. Aprilis: & ex remotis undique partibus frequenti cœtu Populi ad ejus sepulcrum venerandum Neapolim accurrerint & adhuc accurrant, nec non in ejus honorem multæ fuerint erectæ Ecclesiæ.

XI. Aliud quoque insigne & continuum miraculum Deus operatur, nimirùm quòd Sanguis S. Januarii, qui cùm in ampulla vitrea concretus asservatur, si tamen è conspectu capitis ejusdem Martyris collocetur, liquescit & fluit, ac si recèns effusus esset: quod miraculum non unius vel alterius testimonio, sed omnium, inter quos ipse sum, qui propriis oculis vidi, comprobatur: ut meritò dicat Baronius ibi, quòd Januarii Sanguis vocibus quibusdam, velut Abel sanguis clamans, universo Orbi Christiano atque Ethnico intonet potentiam Dei. Hujus prodigii veritatem defendi contra Piceninum & alios Acatholicos Tom. 1. Veræ Ecclesiæ cap. 2. §. 4. num. 38.; & hoc etiam ut prodigiosum proponit Ecclesia in Martyrol. 19. Septembris dicens de S. Januario: *Beatissimi Martyris Sanguis in ampulla vitrea adhuc servatur, qui in conspectu capitis illius positus velut recens liquescere & ebullire conspicitur.*

§. XXXIII.

SS. Arrianus, Apollonius, Timotheus, Maura, Asclas & alii Martyres Ægypti.

I. ARrianus crudelis Ecclesiæ Persecutor fuit, qui tempore quo Thebaidem rexit, pluribus Servis Dei vitam ademit. Fertur, in una Ægypti Civitate 547. Viros & Feminas á S. Paphnutio Anachoreta ad Christum conversos occidisse; & ipsum S. Paphnutium, post horribilia ei illata tormenta, ad Diocletianum transmisisse, à quo stipiti affixus cum aliis ferro necatis Martyrio coronatur. De hoc Latini in Martyrol. Rom. die 24. Septembris habent: *In Ægypto Passio Sanctorum Paphnutii & Sociorum Martyrum. Is vitam in solitudine agens, cùm audiret multos Christianos in vinculis retineri, Divino Spiritu concitus spontè Præfecto se offert, & Christianam Religionem liberè profitetur: à quo primùm catenis ferreis constringitur, & in equu-*

leo

leo diutissimè torquetur; deinde cum aliis plurimis ad Diocletianum mittitur, cujus jussu ipse palmæ affigitur, cæteri autem ferro necantur.

Græci verò die 25. Septembris de eodem ita dicunt in Menol. Basilii: *Impii Diocletiani Imperatoris crudelitas plurimos Christianorum non solùm ex Laicis sed ex Monachis effecit Martyres: ex quorum numero fuit Sanctus Paphnutius, qui ex Ægypto oriundus, abdicato seculo, maximam vitæ partem in eremis transegit. Sed cùm plurimos Græcorum ad Christum converteret, à Præfecto ad necem quærebatur. Multis ergo ejus causâ comprehensis, jussus ab Angelo, Præfecto se ultrò obtulit: in cujus conspectu Christum professus catenis ferreis constringitur; tum in equuleum actus eò usque depectitur, donec illius viscera in terram profluerent. Verùm cùm rursùs, illis ab Angelo compositè in locum suum restitutis, sanus effectus multos ad Christi Fidem traxisset, mittitur à Præfecto unà cum iis qui crediderant, ad Diocletianum Imperatorem, à quo palmæ affixus decessit: atque uno eodemque die quingenti quadraginta septem Martyres decollati sunt.*

II. SS. Timotheus & Maura conjuges Arriani sævitiem & ipsi experti fuere. Timotheus vici Perapis in Thebaide Lector erat, Pater ejus nomine Poiciles Presbyterio in eodem loco fungebatur: cùmque Lectoribus nuptiarum libertatem Ecclesia permittat, Timotheus Mauræ ætate quindenni ac cujusdam fabri filiæ matrimonio junctus fuit, quæ probabiliter Christiana erat. Vix à nuptiis viginti elapsis diebus Timotheus detectus à Persecutoribus, quòd Christianus esset, comprehenditur & Arriano præsentatur: qui conatur tormentorum metu eum ad sacrificandùm inducere; sed cùm responderet Timotheus, Spiritum Jesu Christi qui cum illo erat sibi non permittere, ut aliis quàm ipsi sacrificaret; nec se tormenta timere, Angeli enim Dei circa ipsum stabant; Arrianus Libros ab eo postulavit (volens procul dubio eos flammis tradere juxta Diocletiani Edictum) cui Timotheus ait, sacros Libros sibi esse tanquam filios, nec parentem filios suos morti unquam traditurum.

III. Arrianus constanti hoc responso irâ accensus ignitum ferrum in auriculas ei jussit intrudi, cujus adeò violentus fuit effectus, ut ab oculis pupillæ excussæ erumperent. Quia tamen Timotheus se ipsum consolabatur, quòd exteriori lumine orbatus, adhuc lumine Jesu Christi interiùs illustraretur; Arrianus eum columnæ pedibus appendi jussit, & saxo ad collum alligato, nec non fræno ore ejus ne loqui posset obstructo, diù in hoc crudeli tormento eum reliquit, interim oculos cordis ad Deum ele-

elevantem, & ab eo vires postulantem. Cùm verò Judici nuntiatum esset, Timotheum recèns nuptias contraxisse, & fore ut sponsæ blanditiis & amore vinceretur; eam accersiri fecit eique dixit, quòd si Virum suum salvum vellet, eum ad sacrificandum induceret, exhibens illi si hoc faceret non modicam argenti summam.

IV. Mulier nondum in Fide, ut oportebat, firma paruit, ac Viro suo quæ Dæmon ei suggerebat dixit, ac ut posset ab ipso responsum accipere, ut ab ejus ore frænum amoveretur obtinuit. At primus concessæ sibi libertatis usus fuit rogare patrem, qui aderat, ut sibi sudariolum super faciem imponeret, ne odoribus mortis, idest suffitibus qui à vestibus feminæ exibant, nares ejus profanarentur; his indicare volens horrorem, quem conjugis verba sibi ingerebant. Ipsâ tamen adhuc perseverante ut ipsum emolliret ac vinceret, & Timotheo eam adhortante, ut se generosâ Christi confessione à tanto crimine purgaret; vicit tandem Divina Gratia, & mulier infidelis Fide Viri sui facta fidelis fuit: illicò enim Spiritu Sancto in cor ejus effuso, dum Timothei verba exteriùs aures feriebant, tota interiùs mutata, se victam declarat, & in ejus sententiam venit. Timotheus tamen fortè timens, ne primus iste fervor saltem se mortuo frigesceret, eam adhortatur, ut se Judici præsentet, & coram eo Fidem suam declarans, ejus immanitatem detestetur. Cùmque illa trepidaret asserens, teneram suam ætatem tanti animi non esse, ut faciem Judicis irati & tormentorum immanitatem sustinere possit; Timotheus eam monet, ut totâ suâ fiduciâ in Jesum Christum, qui omnia vincere potest, collocatâ, nil timeat; ac simul preces Deo fundit, ut ambobus vires donet, quibus de hostibus pro gloria sui nominis triumphare possint.

V. His peractis precibus, Maura igne Sancti Spiritus accensa Præsidem adiit, eumque acriter increpat, quòd argento animam suam corrumpere ac perdere tentaverit; nec speret, se hoc consecuturum, cùm ipsa viribus Jesu Christi armata ei sese præsentet. Admiratus Arrianus ei dicit: Tu ergo magis amas mori quàm vivere; quòd si hæc tua deliberatio ex hoc procedit, quòd nolis viduam te videre, uni ex præcipuis meis Centurionibus desponsari te faciam. At illa ejusmodi propositione contemtâ, declarat, se alium sponsum nolle, quàm Jesum Christum Dei vivi Filium. Tunc iratus Præses capillos ei jussit evelli: ipsa autem læta benedixit Deum, qui à vanis complacentiis, quas fortè habuit, & à peccatis, ad quæ potuisset hisce superfluis ornatibus alios allicere, eam purificare dignatus esset. Quo re-

responso exasperatus Præses, digitos ei jussit præcidi: at illa gratias quoque egit Deo, quòd hoc supplicio sibi condonaret pravum usum, ad quem vanè se ornando digitos suos convertisset. Hâc generosâ constantiâ commotus (nondum tamen victus) Arrianus in magnum lebetem aquâ ebulliente plenum Mauram injici præcipit: Deus tamen aquæ effectum cohibuit, ut Sancta Mulier velut in temperato balneo jacens Deum laudaret, quòd à præteritis noxis eam ablueret.

VI. Hoc miraculo visus Arrianus aliquantùm emolliri, Mauram dimitti jubet. Verùm Deo nondum in corde ejus operante, confestim illam revocans minatur, se ignitos carbones in os ejus intrusurum. Ipsa autem nil aliud exoptans, quàm, ut olim Isaiæ, sibi quoque labia à culpis purgarentur, sibi gratum fore respondit, si in toto etiam corpore eam igne purificaret. Quo audito, furore abreptus Præses, totum ejus corpus sulphure ac pice ardentibus perfundit, Populo tam immanem crudelitatem palàm detestante, ipsâ verò irridente ac dicente, quòd si quanta sit Dei virtus probare vellet, eam in ardentem fornacem injiceret.

VII. Post tot tantâ constantiâ superata supplicia victus Judex sententiam protulit, ut Timotheus & Maura unus ante alium Cruci affigerentur. Ad supplicium ergo ducebantur, cùm Sanctæ Mauræ mater ploratu & gemitu accurrens, in eam se projecit, eamque rogabat, ut sui ac vestium & ornamentorum, quæ pro suis nuptiis profuderat, memor esset. At Sancta Martyr hæc omnia transeuntia se contemnere dixit, & ad coronam à Jesu Christo promissam, quæ æterna est, contendere: & è matris manibus se proripiens, ad pedes sibi destinatæ Crucis festina cucurrit. Itaque ambo Cruci affixi toto reliquo vitæ spatio (quod novem dierum fuisse, ut infra, traditur) ad constantiam mutuò se adhortabantur. Hoc tempore S. Maura visione donata fuit, quâ ei ostendebatur in Cœlo thronus elevatus & corona pro illa, & alter paulò sublimior pro Viro suo. Percontanti autem, cur duo throni separati essent, responsum fuit, hoc esse ob discrimen inter ipsam, & ipsum qui suis exhortationibus in caussa fuit, ut & ipsa coronam acciperet. Antequam spiritum redderet, adstantes monuit, ne in hisce terrenis affectum figerent; sed in Deo, â quo remissionem criminum & subinde coronam essent recepturi.

VIII. Itaque Sancti conjuges Martyrio coronati sunt: quorum agonem Latini in Martyrol. Rom. 3. Maii ita celebrant: *In Thebaide Sanctorum Martyrum Timothei & Mauræ conjugis, quos*

quos Arrianus Præfectus post multa tormenta cruci jussit affigi, in qua novem diebus vivi pendentes, ac se ipsos in Fide roborantes Martyrium consummarunt. Græci autem eâdem die expressiùs ita referunt in Menol. Basil.: *Timotheus Christi Martyr Sanctissimæ Dei Ecclesiæ Lector fuit. Cùm autem conjugii lege Mauram accepisset in uxorem, vix elapsis diebus viginti, comprehensus est ab Idololatris, & vinctus ad Arrianum Thebaidis Præsidem adductus eique traditus, qui ait ei: affer libros tuos eosque coram me combure. Cùm autem Sanctus id facere renueret, candentibus laminis ferreis in aures ejus immissis, statim exciderunt pupillæ oculorum ejus. Deinde rotæ per talos alligatur, lignumque ori ejus imponitur, & saxo ad collum alligato, inverso capite suspenditur. Cùmque nihil ei Præses persuadere potuisset, præcepit conjugi ejus, ut hortaretur eum deficere à Christo. At illa elegit potiùs Martyrium pati: quare evelli jussit crines capitis ejus, ac demum utrumque ad parietem clavis configi, ubi novem dierum spatio perseverantes, vitam consummarunt*.

IX. Arrianus impietati adhuc serviens alium Martyrem Christo dedit. Fuit hic Asclas, alio nomine Sabinus, unus ex præcipuis Hermopolis in Thebaide Civibus, qui diversa militaria munera sub duce Ægypti obierat: ejus præcipuum decus erat Jesu Christi esse discipulum. Cùm ergo Diocletiani Edicta, quibus Christiani omnes morti addicebantur, publicata essent anno 384., quibus magna in Ægypto excitata fuit Persecutio, ipse Urbe relictâ in parvam domum se recepit, ubi dies ac noctes in jejuniis & precibus transigebat. Multis Christianis eo tempore comprehensis, Arriani jussu Asclas præ cæteris inquirebatur: inventus tandem fuit proditione, ut fertur, cujusdam mendici, cui eleemosynam largiri consueverat. Comprehensus ergo cum aliis, solus catenis oneratus Præsidi præsentatus fuit. quid aliis evenerit ignoratur. Arrianus, qui tunc Hermopoli aliò iter parabat, ab uno ex suis Ministris, cui nomen Apollonides, eum interrogari fecit; cui Asclas illicò se Christianum esse respondit. Quo ad Arrianum delato, ab eo quæsivit, an sciret, quid contra Christianos præcepissent Imperatores: respondit, se audivisse de quibusdam Edictis, quæ totum Orbem turbatione impleverant, de Idolis adorandis.

X. Arrianus offensus, quòd tali contemptu de suis Diis & Principum Legibus Asclas loqueretur, minatus fuit, tormentorum vi ad se retractandum eum adacturum. Vir Sanctus ei respondit: Facito quod volueris. ego alias non agnosco ut Leges nisi quæ legitimæ sunt, & ad communem utilitatem ordinatæ,

non autem eas, quæ ad privatam passionem implendam solùm ordinantur. Comminationes tuæ nullum mihi metum incutiunt: magis timeo eum, qui animam & corpus mittere potest ad supplicia æterna, quàm eos, qui nisi corpus meum torquere possunt, & post hæc non habent ampliùs quod faciant.

XI. Ad hæc Arrianus infrendens, in equuleo eum suspendi, & ferreis ungulis adeò crudeliter lacerari præcepit, ut laceræ carnis frusta ad ejus usque pedes penderent: dumque hoc immane supplicium perduraret, Vir Dei nec verbum protulit, ut Arrianus ipse tanquam invictæ constantiæ effectum admiratus sit. Sed cùm Advocatus quidam nomine Bisamon dixisset, proximitatem morti ei abstulisse judicium, Sanctus respondit: Judicium non amisi; sed Deum qui me creavit, nunquam derelinquam. Cùm ergo ibi ulteriora instrumenta ad eum torquendum deessent, Arrianus deponi eum, & Antinoum, quò ipse ire disponebat, traduci præcepit. Quò cùm Arrianus pervenisset, Sanctum Asclam ad se vocavit, eique super costas ac ventrem ignem poni jussit, adeò ut tota ejus caro assata appareret, Viro Dei nec verbum proferente. Quare lassatus Arrianus ipse, video, inquit, te mori velle. Cui hoc solùm Asclas respondit: Mori volo, sed ut resurgam non ampliùs moriturus. Arrianus tandem convictus, nihil esse quod Fidem ei eripere possit, mandavit, ut appenso ad illius pedes saxo in aquas Nili projiceretur.

XII. Multitudo eorum, qui ad hoc spectaculum accurrebant, aliquam executioni attulit moram, atque interim cùm plures Sancto Martyri cibos, quibus reficeretur, præsentarent, abnuit ille dicens, se cibum ac potum ab hoc Mundo nolle ampliùs sumere, sed ad mensam æternam Sanctis à Deo paratam se properare, adhortans omnes qui aderant, ut eâ se dignos efficerent. Impositus itaque fuit scapho in medium fluminis projiciendus: quo tempore Christianos aliquos, qui ei propiùs aderant, rogasse fertur tanquam filios, ne Corporis sui sepulturam negligerent, sed ipsum cum lapide sibi ad pedes alligato tumularent, indicans eis locum, in quo post biduum illud essent reperturi. Quod reverà contigit; nam cùm 21. Januarii Martyrio coronatus obierit, die 23. ejusdem mensis, quâ in Martyrologiis colitur, tumulatus fuit; cujus curam assumsisse S. Apollonius Diaconus, de quo statim, ab aliquibus creditur. Fertur etiam, ad S. Asclæ sepulcrum Arrianum ipsum post suam conversionem confugisse, eumque orasse, ut sibi à Christo intercederet pro nomine ejus pati, quâ obtentâ gratiâ juxta ipsum sepultum fuisse.

XIII. S. Asclæ memoriam, ut dixi, die 23. Januarii Latini co-

colunt: *Apud Antinoum Ægypti Urbem Sancti Asclæ Martyris, qui post diversa tormenta pretiosam Deo animam in flumen præcipitatus reddidit*. Græci verò in Menol. Basil. die 13. Martii (sub nomine tamen *Sabini*) ejus Acta ita describunt: *Sabinus Christi Martyr ex Regione Ægypti fuit; propter incumbentem verò Persecutionis sævitiam seculum deserens, secessit, & extra Civitatem se abdidit in exiguam domunculam. Cùm autem magna Christianorum multitudo ab Idolorum cultoribus comprehenderetur, Sabinus etiam quæsitus est, nec inventus haud levi Infideles dolore affecit. Tunc mendicus quidam solitus ad Sabinum accedere, ab eoque accipere victui necessaria, Idololatris dixit: quid dabitis mihi, & ostendam vobis quem quæritis Sabinum?* (ecce novum Judam) *Dederunt autem ei nummos duos, eumque secuti irruerunt in domunculam, atque comprehensum Sabinum vinctumque adduxerunt ad Præsidem. Dixit porrò ad eum Præses: Quare contemnens Edictum Imperatorum magnosque Deos, ignotum quemdam Deum prædicas? respondit Sabinus: quia hunc, quem prædico Deum, præ omnibus confiteri atque credere te oportet. Itaque post tormenta in flumen projectus vitam finivit*. Hæc Græci. Quæ cùm iis quæ de Ascla supra dixi omninò consona sint, credere par est, eum fuisse binominem, & quem Latini Asclam, Græci verò Sabinum appellant, eamdem personam esse.

XIV. Post S. Asclæ seu Sabini Martyrium, omnes Urbis Antinoi Christianos comprehendi Arrianus mandavit (ultimus fuit hic impietatis ejus conatus) præcipuè verò illos, qui pietate clariores erant. Vi hujus mandati triginta septem ex Clero detenti fuere, inter quos S. Apollonius. Fuerat iste Monachus in agro propè Urbem degens, qui cùm virtute cæteris in solitudine viventibus emineret, ad Diaconatum elevatus fuerat. Quare Persecutione irruente in visitandis fratribus eisque ad Martyrium animandis totus erat. Cùm ergo captus in carcere detineretur, plures ex Paganis ad eum accedentes ei improperiis & maledictis insultabant, necnon impietatis & blasphemiæ verba miscebant. Inter istos erat quidam Philemon dictus Choraula seu fistulæ sonator famosus, & omni Populo amabilis, qui cùm multis eum fatigaret injuriis, impium scelestum & seductorem eum vocans, multaque indigna in eum evomeret, respondit ei Apollonius: Misereatur tibi Dominus, fili mi: & nihil tibi horum quæ locutus es, reputet ad peccatum. Hæc cùm audisset Philemon (proh mirabilis Dei gratia!) statim corde compunctus est, vimque verborum ejus supra humanum morem in sua mente persensit, adeo ut Christianum se repentè fateretur.

XV. Indè autem statim ad Arriani tribunal, atque in conspectu totius Populi proclamans: Injustè, inquit, agis, o Judex iniquitatis, Viros religiosos & Deo amabiles puniens; nihil enim mali Christiani vel faciunt vel docent. Audiens hæc Arrianus primò quidèm putabat, eum ex arte sua jocando loqui; sed cùm audisset hæc eum seriò prosequentem & omni constantiâ asserentem: Insanis, inquit, o Philemon, & mente captus es subitò? Ad hæc Philemon ait: Ego non insanio, sed tu injustissimus atque insanissimus Judex es, qui tot justos injustè perimis viros. Ego enim Christianus sum, quod est hominum genus optimum. Tunc Arrianus coram Populo blanditiis revocare cœpit; sed ut immobilem vidit, omnia genera tormentorum in eum exercuit. Cognito verò, quòd Apollonii verbis facta fuerit hæc mutatio, correptum etiam Apollonium gravioribus subdidit tormentis, deceptoris crimen in eum intorquens. Apollonius verò dixit ad eum: Utinam & tu, Judex, & omnes qui assistunt & audiunt me, hunc meum quem dicis errorem deceptionemque sequeremini. At ille (Arrianus) ubi hæc audivit, & ipsum & Philemonem ignibus tradi in conspectu Populi jussit. Cùmque ambo ingressi essent flammas, Apollonius cunctis audientibus clamabat: Non tradas, Domine, bestiis animas confitentium tibi; sed ostende nobis evidenter salutare tuum. Ubi hæc dixit, repente nubes repleta rore circumdedit eos, & flammas accensi ignis extinxit.

XVI. Tunc (oh inauditum Divinæ Gratiæ triumphum!) Judex ipse Arrianus & omnis Populus stupefacti unà voce clamare cœperunt: Magnus & unus est Deus Christianorum, solus immortalis est. In hoc prodigioso eventu ponderando immorari non vacat. Hoc unum dicam, quod evidens pro Veritate Religionis Christianæ exhibet argumentum. Arrianus Provinciæ Rector, implacabilis Christianorum Persecutor, eodem momento, quo sævitiam in servos Christi furens exercet, repentè mutatus, dignitati & omni quod in Mundo magnum est & amabile renuntiat, ut Religionem quam actu persequitur amplectatur, à qua aliud sperare non poterat, nisi eadem supplicia, quæ ipse aliis inflixerat. Alia in aliis servis Dei nec inferiora, ut supra dixi, viderat prodigia; nihil tamen in eo operata fuerant, sed, ut ante, impius blasphemus & persecutor permanserat. Hoc docet, aliud præter miracula ad cordis conversionem requiri; nam & Judæi qui tot tamque insignia viderant à Christo patrata miracula, adhuc perfidi eum Cruci addixere. Arriani conversio Sauli conversioni æquiparari potest; imò in

hac major gratiæ vis eluxisse videtur, quia in impietate diutiùs induratum cor expugnavit, & ad supplicia statim perferenda, quæ sub Diocletiano prævidere poterat, paratum reddidit.

XVII. Ita autem evenit. Nam Arriani famâ conversionis & aliorum Alexandriam delatâ, Præfectus Ægypti genio crudelis, hoc facto magis exasperatus, electos è Ministris sævissimos Antinoum misit, qui Arrianum Judicem & eos, per quos virtus Dei apparuerat, vinctos Alexandriam perducerent. Sed hic Divinæ Gratiæ terminus non fuit: cùm enim adducerentur, S. Apollonius eos qui se & alios ducebant Fidem Christi docere cœpit, ejusque doctrinam tantâ efficaciâ misericordia Dei roboravit, ut iidem sævissimi, qui Sanctos trahebant, Ministri eâ cordis firmitate in Christum crediderint, ut cum illis, quos secum duxerant, Alexandriæ Præfecto se præsentantes, Christianos se esse pariter profiterentur. Quos omnes Præfectus in Fide constantes expertus, unà cum Apollonio Philemone & Arriano in profundum maris demergi jubet: nesciens quid ageret; hoc enim Sanctis Dei, non mors, sed Baptismus fuit. Mare verò speciali providentiâ Dei Corpora integra reportavit ad littus, quæ ab iis qui obsequii causâ convenerant suscepta in eodem sepulcri loco collocata sunt, ubi virtutibus & miraculis coruscant.

XVIII. De his Martyrol. Rom. 8. Martii dicit: *Apud Antinoum Ægypti Urbem Sanctorum Martyrum Philemonis & Apollonii Diaconi, qui tenti & ad Judicem adducti, cùm constanter Idolis sacrificare renuissent, perforatis calcaneis per Civitatem horribiliter tracti, novissimè gladio cæsi Martyrium compleverunt. Item ibidem Passio Sanctorum Arriani Præsidis, Theotici & aliorum trium, quos Judex submersos in mare necavit, sed delphinorum obsequio Corpora eorum ad littus delata sunt.* Licèt autem Martyrologium discordet à supranarratis ex Ruffino de Vitis Patrum cap. 19., tum in loco & qualitate Martyrii; eorum tamen Martyrium confirmat, quod est præsentis Operis argumentum.

XIX. Græci verò in Menol. Basil. 14. Decembris rem aliter narrant de S. Apollonio Philemone & Arriano, quem â Præside distinguunt: ajunt enim: *Isti Sancti, Diocletiano imperante, ex Thebis Ægypti urbe orti, sex & triginta numero fuerunt. Cùm autem comprehensi fuissent, unus ex eis Apollonius nomine Clericus datâ Philemoni Cytharistæ eorum custodi pecuniâ, rogavit, ut sumtis suis vestibus iret, ac pro se Idola coleret, iisque sacrificaret. Sed Philemon, sumtis Apollonii vestibus, dum Sacra facturus iret, Christum confessus est. Quare Præfectus hujus rei ignarus, Vocate,*

ait,

ait, Cytharistam Philemonem, ut cytharam pulsans, vocum suavitate delinitos Christianos ad sacrificandum Idolis inducat. Agnitus igitur Philemon à Præfecto unà cum aliis torquetur: demum Præfectus ipse cum omnibus suis Fidem Christi suscepit. Quod ubi rescivit Diocletianus, cruciari illum jussit cum Arriano opulento homine. Postremò vinctos homines & sacco inclusos in mare projici mandavit. Ita Græci.

De hoc autem Arriano eâdem die sequentia addunt: *Postquam variis suppliciorum generibus in Sanctos Diocletianus animadvertisset, demisit Sanctum Arrianum catenis constrictum in altissimam foveam, multoque illam terræ aggere obstruxit; sedensque pro tribunali, cœpit per jocum Milites compellare & dicere: Videamus, an Christus Arriani veniat, eumque ex hac fovea educat. Vix autem sese in Regiam receperat & accubuerat, cùm lapidem & catenas, quas gestarat Arrianus, è lectulo suspensas, Arrianumque ipsum in eo jacentem videt. Quare perterritus Imperator, ratus ipsum esse Magum, & eum & Milites, qui cum ipso crediderant, in mare projecit, quorum Reliquias saccis quinque insutas delphines in Alexandriæ littus deportarunt, quæ ab Arriani servis cognitæ, honorificè in urbe Alexandriæ repositæ fuere.* His quæ de hoc miraculo afferuntur fidem nec detraho nec exhibeo. Sive Arrianus fuerit ipse Præfectus ut probabiliùs creditur, sive alius; habemus semper, quòd ille, qui in Thebaide Præfecturam gerebat, & in Sanctos Martyres sæviebat, repentè conversus fuit ad Christum.

XX. Propterea sub nomine S. Arriani proposui, quia utpotè Præfectus & Persecutor, in Martyriis Sanctorum, qui sub ipso passi sunt, veluti causa partem habuit, & omnia demum conversione suâ & Martyrio complevit. Si ergo S. Arrianus Thebaidis Præses sub Diocletiano fuit, ut hactenùs dixi, putare possumus Martyrium S. Paphnutii contigisse anno 304, eodemque anno SS. Timothei & Mauræ. Martyrium verò S. Asclæ anno 305., & paulò post mense Martio Arriani Præfecti Passionem.

§. XXXIV.

SS. Theodorus, Eutropius, Cleonius & Basiliscus Martyres.

I. DE S. Theodori gestis testem habemus S. Gregorium Nyssenum, qui in ejus laudem egregiam Orationem habuit, in qua S. Martyris non laudes solùm sed & egregiam Fidei

Fidei confeſſionem, ſummam in tormentis conſtantiam, ac tandem felicem exitum exponit. Eum proinde velut unum è præcipuis Provinciæ Tutelaribus ac Patronis invocat & veneratur: & ad ejus Feſtum undique & ex Urbibus & ex agris catervatim Fideles confluxiſſe dicit. Quia tamen Græci in Menol. duos venerantur Theodoros ambos Martyres, unum 8. Februarii Heracleæ in Ponto ſub Licinio paſſum, quem dicunt Militum Ducem fuiſſe, & ob Idola aurea & argentea confracta, & eorum pretium in pauperes diſtributum, à Licinio poſt varia tormenta capite fuiſſe plexum: Alterum verò 17. Februarii Amaſeæ in Ponto paſſum, quem *Tironem* vocant: de hoc ſecundo cum S. Gregorio Nyſſeno hic agere intendo.

II. Hic ergo Theodorus ex Oriente originem trahebat, cæterùm nec gloriâ ſeculi, nec honoribus Mundi, nec terræ divitiis eminebat. Adhuc juvenis in ſua Regione militiæ adſcriptus fuit unà cum SS. Eutropio Cleonico & Baſiliſco ejus cognatis, ut putant Græci in Menol. 3. Martii; qui & ipſi Martyrio poſtea coronati fuere, ut infra dicam. Bello autem repentè moto, non ex Barbarorum incurſione, ſed ex Lege Satanica, Edictis nempè Maximiani Galerii & Maximini, qui tunc anno 306. in Oriente imperabant, quibus Chriſtiani omnes vel Diis ſacrificare vel mortem ſubire jubebantur, Theodorus licèt in armis ſeculi adhuc juvenis, in militia tamen Chriſti veteranus, nil hoc periculo territus, Fidem in Chriſtum ubique circumferebat, quaſi inſcriptam in fronte Chriſti confeſſionem gerens. Quare ad Præſidem & Tribunum, ſicut Chriſtus ad Herodem & Pilatum, adductus fuit, qui ei dixerunt: Cur tibi tanta audacia & temeritas, ut Legem Imperatorum contemnas, nec tremens eos qui rerum potiuntur vereraris? Ille autem vultu alacri & animo imperterrito hoc eis dedit reſponſum: „ Deos quidèm neſcio: neque enim reverà ſunt. Vos quidèm erratis, „ qui Dæmones fallaces & impoſtores Dei appellatione honoratis: mihi verò Deus eſt Chriſtus, Dei Unigenitus Filius. „ Pro pietate igitur atque confeſſione illius, & qui vulnerat, „ incidat; & qui verberat, laceret; & qui cremat, flammam „ admoveat; & qui his vocibus meis offenditur, linguam eximat. Per ſingula enim membra corpus Creatori patientiam „ debet.

III. Fracti his verbis Tyranni, videntes juvenem exultantem ac velut ſuavem portum tormenta & mortem appetentem, hæſitantes cunctabantur, quid facto opus eſſet mutuò conſultantes. Tunc Miles quidam Poſidornus nomine, unus ex eis qui Ordi-

Ordines ducebant, vir facetus, responsum Martyris irridens: Est ne, inquit, o Theodore, filius tuo Deo? & generat ille ut homo carnis affectibus obnoxius? Cui Theodorus: „ Humano „ quidèm, inquit, more affectibus carnis obnoxius meus Deus „ non generavit: verùm & Filium confiteor, & nativitatem „ talem esse dico, quæ Deum deceat. Tu verò, o miser & im- „ perite, quod ad sensum & rationem attinet, an non erubescis „ ac pudore vultum demittis, qui etiam Feminam (Cibelem) „ Deum confiteris, & ut matrem duodecim liberorum adoras? „ &c. „. Sic irrisione stulto irrisori repositâ, Tyranni aliquantulùm emolliti: exiguum, inquiunt, insanienti ad deliberandum tempus concedatur: fortasse per otium, re secum meliùs perpensâ, mutabitur in melius. Theodorus ergo dimissus, in precibus & laudibus Deo dilationis tempus consecrabat.

IV. Hoc tempore Theodorus zelo extraordinario accensus maximum opus aggressus est. Erat Amaseæ Templum Cibeli, quam matrem Deorum vocabant, circa ripam amnis consecratum. Hoc Vir strenuus occasione datâ concremavit, re ipsâ responsum, quòd post deliberationem expectabant, impiis dans. Facto statim patefacto, incendium enim Urbi imminebat, tantùm abfuit, ut opus à se incœptum Theodorus occultaret, quin potiùs palàm significabat, se ob rem præclarè gestam exultare, & de dolore Populi, eversionem Templi & statuæ lugentis, supra modum gaudere. Atque ille quidèm ad tribunalia tumultuariè convolavit; Theodorus verò in medio Populi erat magnâ loquendi libertate utens; nec territus, quòd illud incendium suis manibus excitasse accusaretur & proinde atrocia ei ostentarentur supplicia, magnâ confidentiâ coram omnibus loquebatur: imò cùm Publius Præfectus eum argueret, cur locò ea adorandi, Idola incendisset: respondit, se non negare id fecisse, sed ligna incendisse, ut lapides combureret, & consequenter etiam Deos, quorum tota virtus in lapidibus clauditur. Hoc audito cædi eum præcepit, atrociora comminatus supplicia, nisi Edictis Imperatorum pareret. Sed Theodorus constans omnia despexit; &, ut quidquid vellet de se faceret, ei dixit, sperans sibi Jesum fore adjutorem.

V. Tunc Judices adhuc eum tentare volentes: Scito, inquiunt, si consilium nostrum admittere volueris, protinùs te ex obscuro nobilem, ex humili despectoque & inglorio honoratum efficiemus, ac tibi Pontificatus dignitatem promittimus. At Theodorus auditâ Pontificiâ dignitate sibi promissâ, primò quidèm irrisit, deinde deploravit talium Pontificum & ipsorum

Im-

Imperatorum cæcitatem ac perditionem, addens ut de se quod vellent facerent; sive in ignem projicerent, sive corpus lacerarent, sive minutatim conciderent, Jesu Christi Nomini numquam renuntiaturum. Et hoc dicto, elevatis ad Cœlum oculis, sancto signo Crucis totum corpus suum munivit.

VI. Tunc Judices iis, quæ contra Deos Pontifices & Imperatores suos dixerat exasperati, pietatis larvâ depositâ, Theodorum primò in equuleo suspensum lacerabant. At ille lictoribus vehementer eum torquentibus, nihil de pristina animi constantia remittens, illud Psalmi canebat: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*. Atque illi quidèm carnes cædendo diminuebant, ipse verò, quasi alius quis pœnam subiret, hilaris psallebat. Hoc modo punitum carcer excepit; sed ibi circa ipsum etiam miracula edebantur: noctu enim vox multorum psallentium audiebatur, & facum allucentium splendor ab iis, qui foris erant, conspiciebatur: adeò ut etiam carceris custos insolitâ atque mirabili visione & auditione turbatus insiliret in domunculam, & neminem inveniret præter Martyrem quiescentem & cæteros vinctos dormientes.

VII. Tandem videns Judex, se Martyris in confessione constantiam nec suasionibus nec tormentis vincere posse, sententiam tulit, ut vivus combureretur: quod illicò impletur. Dum ergo ad supplicium duceretur, signo Crucis se muniens, hilaris incedebat, donec in flammas injectus, animam Deo reddidit 17. Februarii anni 306.. Ejus corpus integrum & à flammis illæsum quædam Mulier Eusebia aromatibus condivit, & curâ ac honore sepelivit in loco Eucaites dicto, Amasæâ Ponti Metropoli unius diei itinere distante. Ad ejus sepulcrum Fideles quotannis tempore hyemis magno concursu conveniebant: &, ut Gregorius Nyssenus testatur, quibus datur sacras attingere Reliquias, *Quasi Corpus vivens & florens, qui intuentur, amplectuntur, oculis ori auribus sensuum instrumentis adhibentur: deinde officii & affectionis lacrymas Martyri, quasi integer esset & appareret superfundentes, ut pro ipsis deprecator intercedat, supplices preces offerunt, tamquam satellitem Dei orantes, quasi accipientem dona, cùm velit, invocantes*. Quæ verba Sanctorum Invocationem mirè exponunt & probant.

VIII. Sanctus iste Martyr Theodorus *Tiro* appellatur, sive quia recèns arma suscepisset: sive, ut contendit Jacobus Goar, ex una Legionum esset, quæ *Tironum* vocabatur: cui Græci, ut infra, consentiunt. In Actis vulgatis dicitur Legioni Marmaritanorum adscriptus fuisse. Dictus etiam fuit Theodorus Ama-

ſenus à loco paſſionis, Eucaites à loco ſepulcri. De eo agunt Græci in Menol. Baſil. 17. Februarii, qui addunt draconem ab eo interfectum fuiſſe, & Præfectum vocant *Cringam* his verbis: *Sanctus magnus Martyr Theodorus Tiro, Maximiano & Maximino acerbiſſimis Chriſtianorum Perſecutoribus, adoleſcens militavit in ea quam Tironum dicunt Legione, profeſſus poſtea ſub Cringa Præpoſito. Cùm autem in Amaſeæ finibus eſſet audiretque multos pro Chriſto pati, zelo incenſus voluit & ipſe Martyrium ſubire. Ad Cringam itaque Amaſeam profectus, cùm cognoviſſet draconem portentoſæ magnitudinis eſſe apud Euchaita, ſecum reputabat, ſi draconem interfeciſſet, omninò ſe ſuperaturum etiam Diabolum: quod & præſtitit. Ingreſſus autem Amaſeam Cringam adiit, Chriſtumque profeſſus, flagris cæditur. Deinde tempore ad deliberandum ei dato, Sanctus noctu Idolorum Fanum incendit. Quare indignatus Cringas Theodorum flammis adjudicavit, quibus Fanum combuſſerat. In fornacem itaque injectus agonem ſuum conficiebat: & videns Cleonicum amicum ſuum prope adſtantem ait: Cleonice, te expecto; atque ita conſumtus eſt.* Cleonicum verò ipſum in Martyrio fuiſſe ſecutum, inferiùs oſtendam.

IX. Latini verò ejus memoriam ad diem 9. Novembris dilatam ita celebrant: *Amaſeæ in Ponto natalis Sancti Theodori Militis, qui tempore Maximiani Imperatoris pro Chriſtianæ Fidei confeſſione fortiter cæſus & in carcerem miſſus, deinde Domino ſibi apparente ac movente, ut conſtanter & viriliter ageret, relevatus eſt: noviſſimè poſtquam equuleo ſuſpenſus & ungulis corraſus eſt, ita ut ejus interiora nuda apparerent, ardentibus ignibus comburendus traditur, cujus laudes Sanctus Gregorius Nyſſenus præclaro encomio celebravit.*

X. Porrò benedictio, quâ Deus S. Theodori pugnam coronavit, ad alios quoque, nempe SS. Baſiliſcum Eutropium & Cleonicum tranſivit, qui, ſicut, ut ſupra indicavi, ei ſanguine & amicitiâ conjuncti fuerant, ita & Martyrio eum ſecuti ſunt, in quo utraque Eccleſia Latina & Græca, quæ eos ut Martyres veneratur ut infra dicam, conſentit: eoſque indicaſſe viſus eſt S. Gregorius Nyſſenus in prælaudata Oratione de S. Theodoro, cùm ait: *Quòd ſi majori etiam opus fuerit advocatione ac deprecatione, fratrum tuorum Martyrum coge chorum*: quibus Theodorum unà cum præfatis tribus in adjutorium pro Populo invocat. Acta tamen, quæ de iſtis habentur, in aliquibus circumſtantiis diſſident. Unde quæ communiora ſunt exponam.

XI. Baſiliſcus ergo Eutropius & Cleonicus eidem Legioni quâ S. Theodorus, Marmaritæ dictæ; quæ Amaſeæ ſub Brinca

Tri-

Tribuno stationem habebat, adscripti fuerunt. Hi tres quia Christiani, Judici nomine Asclepiodoto præsentati fuere: & primò alligati columnis crudeliter cæsi & laniati usque ad lictorum defatigationem. Cùmque S. Eutropius nimiam Judicis sævitiem reprehendisset, in facie repetitis ictibus percussus fuit. At Jesus Christus unà cum S. Theodoro (jam mortuo) eis apparens omnes continuò sanos effecit: quo miraculo magnus hominum numerus conversus fuit; qui amittentes caput cœleste Regnum adepti fuere. Judex mutato consilio Cleonicum donis ac promissis aggredi conatur; his tamen artibus Sancti Martyris constantiam roboravit: itaque irridens stultitiam Judicis, ut suorum Deorum vanitatem ostenderet, fusis ad Deum precibus, Dianæ statuam, cui tunc Judex sacrificabat, coram ipso funditùs evertit. Quo accensus furore Judex, lebetem bitumine ac pice ardentem super tres Dei Servos effundi jussit; sed cùm sani evasissent, tandem Eutropium & Cleonicum Cruci affigi mandavit.

XII. Basiliscum verò in carcerem conjecit eos proximè secuturum. Interea loco Asclepiodoti novus Præses nomine Agrippa destinatur, in mandatis habens Christianos omnes, qui sacrificare nollent, atrocibus suppliciis interficere. Basiliscus dies in carcere mœrens transigebat Deumque deprecabatur, ne sui oblivisceretur, sed quibus socius fuerat in pugna, faceret etiam in corona consortem. Nec votis defuit clementissimus Jesus; ei enim noctu apparens dixit, ne tristarerur, quòd à sociis præventus esset, cùm & ipse alios multos foret præventurus. Iret priùs, & cognatis suis valediceret, nec timeret supplicia, quæ postea esset passurus: Ego enim, inquit, tecum sum. Hâc visione gaudio repletus fuit, sibique ostium carceris apertum esse videbatur. Cùmque illuxisset dies custodes rogabat, ut sibi quatridui spatium permitterent, qui visitatum pergeret cognatos suos, promittens eis, se illicò reversurum, ut suum verum Patrem Jesum Christum adiret. Custodes ei testati sunt, se libenter etiam prorsùs liberum dimissuros; non audere tamen vel quatriduum absentiæ illi indulgere, metuentes, ne Præses, cujus imminebat adventus, de eo statim inquireret. Obtinuit tamen, ut ab ipsis custodibus duceretur.

XIII. Cùm patriam suam Cumialem pervenisset, mater ejus fratres & cognati & noti summo gaudio ad eum convenerunt (erant enim omnes Christiani) quibus ille ostendit, per multas tribulationes oportere intrare in Regnum Dei: persisterent ergo in Fide usque ad ultimum, se eos relinquere non ampliùs rever-

ſurum, ſed pergere ad complendum ſuum Martyrium, ut Sanctis Theodoro Eutropio & Cleonico ſocius efficiatur. Tunc adſtantes omnes amplexibus ad collum ejus accurrentes cum lacrymis rogabant eum, ut poſt completum Martyrium ipſorum omniumque Chriſtianorum memor, oraret Deum, ut ceſſare faceret Tyrannorum Perſecutiones, & Sacrificia Dæmonum, omniſque terra Jeſu Chriſti nomen perſonaret.

XIV. Eâdem die, quâ Baſiliſcus Apameâ diſceſſerat, advenit Agrippa, qui in Sacrificiis die conſumto, poſtridie pro Tribunali ſedens, de eis qui in carceribus detinebantur inquirit. Ut autem de Baſiliſco, cujus nomen in regeſto ſcriptum erat, audivit, eum ad ſe arceſſiri jubet. Miniſter quidam illicò ivit ad carcerem, ſed eum non inveniens, clavigerum ſecum traxit ad Præſidem, qui eum acriter reprehendit, quòd captivo & inimico Deorum fugam permiſiſſet. Cui claviger reſpondit, pridie illum cum cuſtodibus ad patriam ſeceſſiſſe, & poſt quatriduum ſe illum præſentaturum.

XV. Tunc Præſes, indictâ pœnâ mortis, ni eum præſentaret, ſub cautione Miniſtri (defenſoris Civitatis dicti) ad Baſiliſcum perquirendum clavigerum miſit, eique ſocium dedit quemdam Magiſtrianum dictum, cui injunxit, ut Baſiliſcum alioſque detentos Cumanas quò ipſe ire diſpoſuerat duceret; addens, ſe ex hoc agniturum quantæ fidelitatis & in exequendo promtitudinis eſſet. Magiſtrianus ergo ſperans ſe novi Præſidis gratiam conſecuturum, ſi in Sanctum Dei ſummâ feritate ageret, calceos æreos clavis acutis intus armatos conſtrui fecit, & comitibus Clavigerô aliquot Militibus & Inſignio Cancellario (qui hoc optaverat fortè enim Chriſtianus erat) Cumialem iter direxit; cùmque in itinere obvium habuiſſet Baſiliſcum, qui Amaſeam revertebatur, Magiſtrianus duplici gravique catenâ eum vinciri & æreis caligis calceari præcepit; quarum acutis clavis uſque ad oſſa penetrantibus, undique ſanguis effundebatur, atque Militibus ad ſic incedendum eum adigentibus veſtigia cruore madida ſolo imprimebat.

XVI. Omnes lacrymis ſequebantur: ſola ejus mater eum ad fortiter perferendum animabat ſpe retributionis æternæ, & Chriſti, pro quo patiebatur, aſſiſtentiâ: Si homines, ajebat, te velut ſceleſtum & latronem condemnant, Latro ille qui cum Chriſto cruci affixus fuit, in Cœlum te recipiet. Quibus dictis rogans eum ut ſui memor eſſet, & Deum precans ſeceſſit. Sanctus verò Martyr ei ac tribus fratribus cæteriſque cognatis valedicens rogavit omnes, ut domum reverterentur. Quia autem

ſuper

ſuper pœna quam patiebatur amarè flebant: Ne ploretis, inquit S. Martyr, ſed Deum orate, ut mihi in hac pugna victoriam concedat, quâ Diaboli inſidias & Judicis vincam crudelitatem: cur veſtris lacrymis me affligetis? Utinam pro Domino Jeſu plus quàm ſemel mori poſſem. His dictis amplexus eos ſæpiùs rogabat ut diſcederent: cùmque adhuc reluctarent, Magiſtrianus ipſe minatus eſt, ni recederent, ſe omnes comprehenſos ad Præſidem adducturum. Baſiliſcus autem cruentis caligis calceatus Deo laudes concinens omnes præcedebat; tale ſuæ alacritatis exhibens teſtimonium, ut Magiſtrianus ipſe ſtuperet, neſciens, Deum illi lenire pœnas & eſſe in doloribus adjutorem.

XVII. Tandem circa meridiem ad vicum nomine Dacozam pervenerunt, ubi Magiſtrianus ac cæteri numero 14. (præter Baſiliſcum & Inſignium) à Vidua Pagana in eo loco nobili, Trojana nomine, ad prandium invitati, Sanctum Baſiliſcum manibus retrò vinctis & trunco arboris alligatum ac Solis caloribus expoſitum reliquerunt. Interea magna Populi pars ejus pœnas commiſerans circa ipſum ſtabat; dum ipſe Pſalmos concinens Dei potentiam ſibi adjutricem implorabat. Et quidèm exaudita fuit ejus Oratio: ſubitò enim tremore terra concuſſa fuit, & vox audita de Cœlo dicens: Quidquid poſtulaſti, tibi concedo; ne timeas, quia ego tecum ſum. Eodemque momento æreæ caligæ ut cera liquefactæ fuerunt, ferrea vincula fracta ac funes reſoluti. Ad hæc qui aderant ſtupore perculſi præcipuè Chriſtiani glorificabant Deum (paucis exceptis, qui Magiæ totum tribuebant) Magiſtrianus ipſe terræmotu perculſus, relicto cum aliis prandio, foràs prodiit, & timore adactus prodigiorum teſtis & ipſe effectus fuit: quæ in ſervo ſuo adhuc Deus auxit; nam paralytico & aliis ægrotis, qui Fidem Chriſti ſuſceperunt, ſanitatem donavit, atque Trojana cum filio ac familia tota Chriſtum confeſſa fuit, omneſque baptizati fuere.

XVIII. Ibi ergo S. Baſiliſcus uſque ad mane diei ſequentis moratus eſt. Magiſtrianus tactus quòd tot malis ſervum Dei affeciſſet, blande ad eum acceſſit, rogans ut iter proſequi vellet, metuens, ne mora in præjudicium vitæ ſibi cederet. Inde ergo diſcedentes totus Populus ſecutus eſt, cujus pars comes adhæſit uſque ad magnum pontem ſuper fluvium Irim: quibus tranſeuntibus pons totus contremuit, Sanctus autem in preces de more effuſus, Populum qui ſequebatur ad ſua remiſit. Jam triduo pedeſtri itinere S. Baſiliſcus nullo alimento refectus incedebat: quare cùm ad pagum nomine Saon perveniſſent, Magiſtrianus eum rogavit, ut aliquid in alimentum ſumeret, quod Vir Dei re-

renuit, dicens, se satis nutriri à Jesu Christo Verbo Dei, gratiâ Sancti Spiritus, Oratione, & gratiarum actione: renuit quoque ascendere in jumentum, quod ei in levamen obtulerat, asserens S. Spiritum totam quam optabat requiem sibi largiri, nec cibum aut potum gustare voluit in diversorio vespere nec mane: cùm Comanas appulsi omnes etiam Eusignius horâ decimâ refecti fuere; sed morabatur, Deum rogans, ut sibi aliisque servis suis daret constantiam in tormentis, quibus Præses Christianos agitabat; eique apparens Christus ait: Ne impiorum timeas minas; Ego enim tecum sum.

XIX. Porrò cùm Urbem essent ingressi, Magistrianus certior factus, Præsidem tunc cum toto Populo in Templo Apollinis sacrificare, ei per nuntium significavit, se Basiliscum traxisse. Quo gavisus Præses Magistrianum commendans, Militibus etiam, qui Cumialem Sanctum Virum duxerant, condonavit. Cùm autem à Magistriano audisset miracula, quæ patrarat, irridens dixit: has illusiones magicas esse, & præcepit ut Basiliscus adduceretur ad sacrificandum. Milites itaque ad eum ducendum à Præside missi, Sanctum Virum percutientes, dicebant ei, ni sacrificaret, atrociora imminere supplicia; nec rationale esse, eum mori velle pro Deo quem non videbat. Quibus ille respondit: Deus quem adoro potentiam suam satis ostendit miraculis quæ per servos suos edit, & quorum isti qui me duxerunt, testes esse possunt. Dictum Basilisci Magistrianus & alii confirmarunt, ab eoque veniam petierunt, quod malè tractassent; addentes, quòd si capitalis sententiæ metus eos non retraxisset, post tanta prodigia liberum eum dimisissent; ideòque memor eorum in suis precibus esset.

XX. Ingressus sereno vultu in Templum S. Basiliscus, à Præside interrogatur, an ipse ille sit, qui sacrificare recusat. Cui respondit: Quis tibi dixit, me non sacrificare? Ego Deo meo Sacrificium laudis offero. Judex, quæ illi dixerat non percipiens, sed putans, eum alicui ex suis Diis sacrificare velle, gaudio repletus respondit, liberum sibi cui Deo sacrificare vellet eligere. Erat in Templo magnum Apollinis simulacrum. Sanctus ergo ei appropriat, & petens quodnam illius Dei esset nomen: „Jure, inquit, hunc Apollinem, idest Destructorem „ vos appellatis, quia omnes, qui illum ut Deum adorant, pe- „ ribunt & destruentur. Ego Deum verum ac æternum adoro, „ ei laudem debitam offero. Videtis ergo quale sit meum sacri- „ ficium & quales offeram preces „. Inde celebrare cœpit bonitatem & potentiam Dei in creatione Universi, eum tandem ro-

gans,

gans, ut Idolum illud mutum ac insensibile conterat, & eos qui honores impios ei tribuunt à deceptione liberet. Quâ Oratione per Amen completâ, illicò vehementi terræmotu Templum concutitur, simulacrum evertitur & in pulverem redigitur. Hoc terribile prodigium Præsidem aliosque in fugam adegit, adeò ut solus Basiliscus dans gloriam Deo ibi remaneret.

XXI. Præses itaque eum vocari jubet, ac furiis invectus increpat quòd eum fefellisset. At Sanctus Vir non respondens secretò orabat: ac tandem dixit: Qui Deum vestrum contrivit, modò etiam Templum incendit, & hoc eodem tempore cœlestis ignis illud à fundamentis absumit; hic meus Deus est, hunc adoro, huic sacrifico. Cùmque Præses eum tanquam Magum detestaretur; respondit: Modò experientiâ discis, quis & qualis tuus Deus sit; ille ultionem de me sumat, si potest, se ipsum ac suam Divinitatem defendat. Post varia, novis eum tormentis subjicere opportunum non judicans, Præses sententiam capitis in eum tulit. Quare extra Civitatem ducitur in locum Discorum nuncupatum ad ripam Iris, & ibi spectante Populi multitudine capite truncatur. Tunc magnus Angelorum & Archangelorum numerus ad ejus animam suscipiendam è Cœlo descendere visus fuit, eam invitantium ad eorum Regnum, quo illius socii jam fruebantur: & nos omnes (addit Actorum Scriptor) qui hoc mysterium intuiti fuimus, in terram prostrati Deum adoravimus, eique gratias egimus, quòd tanti prodigii visione nos dignos effecerit.

XXII. Præceperat Præses, ut Sancti Martyris Corpus in fluvium projiceretur, comminatus tormenta & bonorum amissionem, si quis illud inde extrahere ac sepelire ausus fuisset. Cùm verò unus Militum, ut in fluvium projiceret, illud sumsisset, acceptis à Christianis triginta aureis, in manus eorum sacrum Corpus tradidit, qui illud noctu in quodam agro culto sepelierunt, & quædam legumina superseminantes, eâdem nocte germinasse invenerunt. Addunt Acta, Dæmonem Præsidis corpus invasisse, qui cruciatum se videns, Corpus Sancti Martyris ubique perquisivit, sperans, se solo illius tactu liberum evasurum. Sed cùm ei diceretur, ipso jubente projectum fuisse in flumen, nec quisque auderet pandere, quid de eo factum fuerat, ipsemet ad locum, in quo decollatus fuerat, accessit; ubi cùm guttam sanguinis à Martyre effusi invenisset, ipse suis manibus terræ permixtam collegit, eamque linteo quo cingebatur includens, statim liber evasit & in Christum credidit. Hæc de S. Basilisco verè mirabilia hausta sunt ex Actis Ensignii Scribæ & Can-

& Cancellarii nomen præferentibus, & qui se testem ocularem omnium quæ scribit, fuisse protestatur. Hic autem ut supra dixi, S. Basilisci comes in itinere ad Martyrium fuit.

XXIII. De S. Basilisco semèl atque iterùm memoriam habemus in Martyrologiis & Menologiis. Primò quidèm die 3. Martii, ubi recensetur cum SS.Eutropio & Cleonico, cum quibus ejus passio sumsit exordium. Secundò die 22. Maii, ubi solus ipse nominatur à Latinis his verbis: *Comanæ in Ponto Sancti Basilisci Martyris, qui sub Maximiano Imperatore & Agrippa Præside ferreas crepidas ignitis clavis confixas calceatus, multaque alia passus, demum capite obtruncatus & in flumen projectus Martyrii gloriam consecutus est.* Græci verò in Menol. Basil. eâdem die ajunt: *Basiliscus Christi Martyr, imperante Maximiano, fuit ex Regione Armeniacorum filius fratris Sancti magni Martyris Theodori. Cùm autem antea decertasset unà cum Sanctis Eutropio & Cleonico, qui sub Sancto Theodoro militabant, illis pro Christo occumbentibus, ipse in carcere derelictus est. Deum verò rogabat, ut certaminis cursum perficeret. Quare stimulatus fuit ab ipso, ut affinibus suis sese conjungeret, ut Martyrium Comanis subiret. Domesticis itaque suis adjunctus ab Agrippa Præside comprehenditur vinctusque Comana abducitur. Cùm verò per viam miracula edidisset, plurimos ad Christi Fidem suscipiendam induxit. Comana autem profectus, fusis ad Deum precibus, ignem è Cœlo detulit, quo Apollinis Fanum Idolumque incendit. Quamobrem capite plexus in fluvium projectus est.* Crederem hâc die ab utraque Ecclesia S. Basilisci memoriam coli, quia hâc Martyrium consummarit; nisi me detinerent ejus Acta, quæ ponunt ipsum 21. Julii passum fuisse. Sed hoc discutere præsentis argumenti non est.

§. XXXV.

SS. Apphianus & Ædesius Agapius Anicetus & Photius Martyres.

I. APphianus (seu Appianus aut Amphianus) & Ædesius fratres erant nati in quadam Lyciæ Urbe Pagas ex conspicua & valdè diviti familia. Beryti diù morati sunt, illuc à parentibus missi, ut humanioribus litteris, & fortè etiam Juri civili, de quo celebris Beryti schola erat, operam darent. Ibi à S. Pamphylo Presbytero & posteaMartyre Christi Fidem ambos fuisse edoctos sentiunt Græci, ut infra dicam. Hoc mirum est,quòd in Urbe corruptione plenâ adhuc adolescentuli vitam regulis Evangelii con-

conformem, ac proinde gravem modeſtam ac piam ducebant. Priùs ergo de Appiano qui priùs coronatus fuit, deinde dicam de Ædeſio.

II. S. Appianus decimo octavo ſuæ ætatis anno Beryto apud patrem rediit: cogitabat iſte illum ad graviora munera & primarias Urbis dignitates ſenſim promovere; at Spiritus Dei, qui Appiani animum replebat, contemtibiles ei reddebat omnes ſeculi honores & voluptates. Quod autem intolerabiliùs ferebat, erat videre ſe cum patre ac totâ familiâ paganâ: quare ſe à propria domo ſecretò ſubducere ſtatuit; & nihil ſollicitus de victu ac veſtitu, ſed unicè Divinæ providentiæ confidens, Cæſaream in Palæſtina venit; ubi apud Euſebium poſtea ejuſdem Civitatis Epiſcopum divertit, & ſacris litteris plenè imbutus fuit. Rem ipſe Euſebius L. de Mart. Palæſt. cap. 4. de Appiano ita enarrat: *Qui quidèm reverſus poſtea à Berytenſibus ſtudiis, cùm pater ipſius principem locum domi obtineret, ipſe nihilominùs cum patre & propinquis ſuis verſari non ſuſtinuit, eò quòd illi ex Divinæ Religionis præceptis vitam agere recuſarent. Sed Divino quodam Spiritu afflatus, & præ innato Philoſophiæ ſtudio, ſeu potiùs cœleſtis ac veræ Sapientiæ amore, vanam hujus ſeculi gloriam & corporis voluptates deſpiciens, clam domo aufugit: ac ne quidèm de ſumptu ad diurnum victum neceſſario ſollicitus, ob ſpem ac fiduciam, quam in Deo collocaverat, prævio & quaſi manu ipſum ducente Spiritu Sancto, Cæſaream pervenit, ubi corona Martyrii ipſum manebat. Ibi nobiſcum verſatus, cùm ex ſacrarum litterarum lectione, quantum fieri potuit, breviſſimo illo tempore fructus ſibi collegiſſet, & congruâ arctioris abſtinentiæ exercitatione ſemet roboraſſet; tandem ejuſmodi exitu inclaruit, quem quiſquis viſu accepit, fieri nullo modo poteſt, quin ſimul obſtupuerit.*

III. Hoc ita contigiſſe refert. Nam cùm Maximinus ſecundum promulgaſſet Edictum anno Perſecutionis tertio nimirùm 306. ineunte, quo Rectores jubebantur operam dare, ut omnes omnium Urbium Incolæ Diis publicè ſacrificarent: cùmque præcones per univerſam Cæſaream cunctos patres-familias ad Dæmonum Templum juſſu Præſidis vocarent, & ſingulorum nomina à Tribuno citarentur, omnibus ubique Chriſtianis ſummo angore ac metu percuſſis, Appianus nemini nec etiam domeſticis communicato conſilio, penetratâ cohorte, ad Urbanum tunc Palæſtinæ Præſidem intrepidus acceſſit, dum iſte Diis ſuis actu libabat; ac fidenti animo comprehensâ ejus dexterâ, è veſtigio Sacrificium omittere ipſum coegit. Mox cœpit ipſum Divinâ quâdam gravitate monere, ut ab errore deſiſteret, nec ve-

rum Deum falsis Diis ac veris Dæmonibus posthaberet, summâ libertate publicè prædicans.

IV. Tam audaci perpetrato facinore, Sanctus juvenis à militibus qui Præsidi apparebant tamquam à feris bestiis discerptus, & toto corpore cæsus, in carcerem conjicitur; ubi cùm noctis ac diei unius spatio pedibus in nervo distentis mansisset, postero die in judicium adducitur. Compulsus deinde à Judice Diis sacrificare, constanterque renuens, horrendos cruciatus invictè superavit: lateribus enim non semel sed iterùm ac sæpiùs ad ipsa usque ossa & viscera sulcatis, tot plumbatarum ictibus in os ac cervicem verberatus fuit, ut contusâ ac tumefactâ facie, ne ab illis quidèm qui eum optimè norant cognosceretur. Verùm cùm ille tantis doloribus nullatenùs cederet, tortores jussu Præsidis linum oleo madefactum pedibus ejus circumponentes, ignem postea subjecerunt; quo tanto dolore affectus fuit, ut ignis consumtis carnibus ad ossa usque penetraret, & universus humor corporis ceræ instar liquefactus stillatim deflueret. Tantâ Martyris fortitudine animum despondentes, quasi victi adversarii, eum in carcerem conjiciunt. Tertio autem die Judici oblatus, & constantior repertus, licèt semivivus, in profundum mare demersus est. Hactenùs cum Eusebio locutus sum.

V. Id quod postea subsecutum fuit (addit Eusebius) licèt incredibile videatur, verum tamen est, & omnium utriusque sexus ac ætatis, qui tunc aderant, testimonio comprobatum. Vix Sancti Martyris Corpus in medium mare projectum fuit, cùm repentè tantus motus tantusque fragor non solùm mare, verùm etiam aerem totum concussit, ut terra quoque & ipsa Cæsariensium Civitas eo motu quateretur. Eodemque temporis momento Divini Martyris cadaver à fluctibus ante portas Civitatis ejectum est. Hujusmodi fuit exitus Appiani verè admirandi die secundo mensis Xanthici, qui est dies quartus ante Nonas Aprilis, feriâ sexta: quâ die de illo agit Martyrol. Rom., ubi sub nomine Amphiani de eo dicit: *Cæsareæ in Palæstina S. Amphiani Martyris, qui in Persecutione Maximini cùm Urbanum Præsidem Idolis immolantem arguisset, sævè dilaniatus, ac pedibus lino in oleum intincto eoque accenso volutis, acerbissimè cruciatus, demum in mare demersus, transiens per ignem & aquam eductus est in refrigerium*. De eodem die 2. Aprilis agunt Græci in Menol. Basil. simul cum S. Ædesio, ut infra dicam. Passus est Beatus Appianus seu Amphianus annum agens circa vigesimum.

VI. S. Ædesius, ut dixi, S. Amphiani seu Appiani ex patre, vel, ut Græci volunt, ex matre non solùm secundùm carnem, sed

ſed & ſecundùm ſpiritum frater, ut idem Euſebius L. de Mart. Palæſt. cap. 5. refert, in ſtudiis præſertim philoſophicis plus quàm Appianus profecerat, unde philoſophicum pallium geſtabat; ejus tamen philoſophia magis Chriſtiana erat quàm humana. Pluriès Chriſtum confeſſus, pluriès etiam carceres & vinculorum cruciatus ſuſtinuit, donec Judicum ſententiâ ad metalla in Palæſtina damnatus fuit. *Tandem* (inquit Euſebius) *apud Alexandriam cùm Judicem, qui de Chriſtianis quæſtionem habebat, ſupra modum debacchantem atque inſultantem vidiſſet; & nunc quidèm Viros graves variis afficientem contumeliis, nunc Mulieres eximiâ caſtitate præditas atque etiam Virgines Deo devotas lenonibus ad omne genus turpitudinis dedentem; idem ac frater facere conatus eſt: cùm enim hæc ipſi intolerabilia viderentur, ingenti animi fiduciâ acceſſit ad Judicem; cùmque verbis ſimul ac factis illum pudore atque ignominiâ perfudiſſet, poſt hæc multiplices tormentorum cruciatus fortiter perpeſſus, tandem in mare præcipitatus, eodem quo frater genere mortis interiit. Et hæc quidèm Ædeſio, tametſi aliquantò poſt tempore, ad hunc modum contigerunt.*

VII. Hujus memoriam colit Martyrol. Rom. 8. Aprilis dicens: *Alexandriæ Sancti Ædeſii Martyris fratris Beati Amphiani; qui cùm impium Judicem, quòd Deo dicatas Virgines lenonibus traderet, palàm argueret, à Militibus tentus ſæviſſimiſque affectus ſuppliciis in mare demerſus eſt pro Chriſto Domino.*

Utriuſque fratris Appiani & Ædeſii Menol., ut dixi, die 2. Aprilis Martyrium ita celebrat: *Apphianus & Ædeſius Chriſti Martyres ex matre fratres, Maximiano imperante, ex Lydiæ Regione ortum duxerunt. Cùm autem Berytum veniſſent, Chriſti Fidem à Pamphylo Martyre edocti ſunt. Unde comprehenſi ad Præſidem Civitatis adducti fuerunt. Et primùm quidèm Apphianus palàm & liberè Chriſtum prædicans in facie percuſſus fuit, atque in terram corruens Militum pedibus conculcatus eſt, lignoque ſuſpenſus calcium ictibus tumefactus fuit & diſruptus. Permanens autem adhuc conſtanter in Chriſti confeſſione, in profundum maris projectus, ibi vitam abſolvit. At verò Ædeſius condemnatus, ut in metallis effodiendis puniretur, miſſus eſt Alexandriam, ubi cùm quâdam die Urbis Præſidem vidiſſet acriter in Chriſtianos deſævientem, accurrens illum virga percuſſit. Unde multis priùs cruciatibus vexatus, in mare demum demerſus Martyrium conſummavit.* Ita Græci in aliquibus diverſi ab iis, quæ ſupra retulimus ex Euſebio; cui tamen magis ſtandum eſt, utpotè qui Cæſareæ domeſticè cum Appiano converſatus, & fortè teſtis ocularis fuit multorum quæ refert.

VIII. Præfatis Martyribus adjungit idem Eusebius L. de Mart. Palæst. cap. 6. S. Agapium, quem ultimò fuisse passum dicit an. 306., Persecutionis quarto, Cæsareæ ante duodecimum Kalend. Decembris feriâ sextâ. Sanctus iste, ut notat idem Eusebius, antea pro confessione Christi ter carceri mancipatus fuerat, & multis tormentis cum S. Timotheo cruciatus, ac demum bestiis exponendus fuerat anno 304. vel 305.. Præses tamen executionem sententiæ distulerat, sive pietate erga ipsum motus, sive confidens, ipsum tandem à proposito se abducere posse (quam plurium Judicum subdolam fuisse artem testatur Lactantius L.6. Inst. cap.21.) Cùm verò Maximinus Cæsaream adventasset, & ob diem natalem suum spectaculum exhibere Populo statuisset (quod præcipuè in exponendis miseris ferarum voracitati exercebatur,ut rem gratam Populo faceret)S. Agapium unà cum servo quodam,qui dominum suum peremisse ferebatur, in stadium adduci jussit. In quo innovatum fuit quod Christo evenerat cum Barabba; nam servus homicida bestiis expositus veniam à clementia Imperatoris obtinuit, & publicis acclamationibus super Imperatoris benignâ indulgentiâ totum amphitheatrum personavit: inde verò Agapium Imperator accivit: *Cùmque ab eo postularetur, ut Fidei suæ propositum abjuraret, promissâ sibi, si id faceret, libertate; contentâ voce professus est, se non ob aliquod crimen, sed pro pietate in Deum omnium conditorem quæcumque sibi inferrentur supplicia, non modò alacri & forti animo, sed etiam cum voluptate esse subiturum. Hæc locutus, simul cum dictis facta conjungens, ursæ, quæ adversùs ipsum immissa fuerat, concito cursu obviàm occurrit, seque ipsum bestiæ devorandum libentissimè obtulit. Post cujus laniatus adhuc spirans in carcerem reportatur: ubi cùm diei spatio supervixisset, sequenti die appensis ad pedes ejus lapidibus medio mari submersus est*. Ita Eusebius.

IX. Hujus memoriam celebrant Latini die 20. Septembris, quæ, secundùm Eusebium ut supra, dies est sive illius agonis in amphitheatro coram Maximino, sive mortis quæ die sequenti contigit. Græci verò in Menol. de illo agunt 19. Augusti simul cum SS. Timotheo & Thecla (non quidèm Protomartyre, sed aliâ ejusdem nominis posteriore): verùm S. Agapius illis quidèm in certamine quo coronati sunt socius fuit, sed ut dixi ad aliud certamen reservatus.

X. Hoc eodem anno 306. statui potest Martyrium SS. Aniceti Comitis & Photini seu Photii ejus fratris seu nepotis, de quibus Latini 12. Augusti; Græci verò in Menol. Basil. eâdem die hæc habent: *Photius atque Anicetus Christi Martyres Diocle-*

cletiano Imperatore claruerunt. Erat autem Photius Aniceti nepos: cùm verò ad Nicomediæ Populum concionem Diocletianus haberet, cunctaque in medium tormenta proferret, comminatur, fore ut morti succumberet qui se Christianum consiteretur. Adstans Anicetus Christianum sese clarâ voce enuntiavit; comprehensusque vehementer est cæsus, & belluas in eum immissas ovibus mitiores effecit; orans deinde Herculis contrivit Idolum. Acceptâ autem gladii sententiâ, dum jam caput illi esset amputandum, fusis precibus, manum tortoris aridam reddidit. Tunc accurrens Photius illum amplexatur, detentusque simul cum eo vinctus est: ac uterque diversis affectus cruciatibus, tandem fuit igne consumptus. Ita Græci.

§. XXXVI.

SS. Acacius Garias Samonas & Abibus.

I. ACacius ex Acacia originem traxit, & familiâ nedum Christianâ, sed quæ plures Ecclesiæ ministros dederat. In Cappadocia ubi pater ejus degebat natus, apud Ecclesiasticos educatus, de litteris humanis vix tantum hausit, quantum Sacræ Scripturæ legendæ satis erat. Militiæ nomen dedit in numero Martensium sub Flavio Firmo Duce, ac proinde stationem habuit in Thracia. Quidam Centurionis gradum ei tribuunt, quidam verò simplicem Militem eum fuisse volunt: non diù tamen in hoc munere perstitit, nam vigesimo quinto ætatis anno Martyrium subiit, ad quod plures alios suæ militiæ & ætatis se præcedere vidit; quorum gloriâ sibi à Deo revelatâ, ipse testatur, se accensum fuisse ad præferendam cuicumque honori mundano Martyrii coronam.

II. Ineunte igitur anno 306., ut putatur, novis Maximiani Galerii Edictis iterùm accensâ Persecutione, Firmus Tribunus milites suos omnes recensere censuit, ut qui essent Christiani ad Sacrificia compelleret. Plures illius sive blanditiis sive terroribus cessere; Acacius tamen, se esse Christianum altâ voce declarat. Firmus ter inutiliter tentatum eum ad Ducem superiorem Bibienum nomine Perinthum remittit, datis litteris causam missionis exponens. Crastinâ die cùm Perinthum pervenisset, Bibieno tunc alios Christi Confessores interroganti præsentatus fuit. Apparuit hilari vultu Acacius, & quis esset requisitus respondit, suum ac totius familiæ suæ esse nomen Christiani, pluraque alia adeò fortia & docta addidit, ut Bibienus ipse non modicam de eo æstimationem se concepisse testatus fuerit. Nihilo-

hilominùs ab eo petiit, an sacrificare vellet: cùmque respondisset, se paratum potiùs esse quæcumque supplicia pati; tunc præcepit, quatuor palis eum alligari ac nervis bubulis cædi: quod tantâ immanitate super dorsum & ventrem impletum est, ut undique sanguis in terram diffluerет, Acacio interim nil aliud dicente, quam: Jesu Christe miserere servi tui, ne me deseras, Domine. Judex ipse aliquâ tactus miseratione, an sacrificare vellet, iterùm petiit; at ille: Tua, inquit, tormenta fortiorem me reddiderunt; antea aliquâ timoris & horroris specie ea respiciebam, sed dum modò quid sit pro Jesu Christo pati experior, & simul gaudium & vires quibus à Deo perfundor, totum me ipsi trado paratum absque hæsitatione omnia propter ipsum pati. Tu quod facis fac citiùs: quantò plura in me supplicia congesseris, tantò plus gratiæ apud Dominum meum cumulabis. Videns itaque Judex eum se vincere non posse, lictores ab eo torquendo cessare jussit: cùmque Commentariensis nomine Antoninus eum argueret, quòd tot se malis exponeret potiùs quàm obedire: eas, inquit Acacius, tu, ac pro te hæc monita custodi: ego mei Dei munitus gratiâ judicem minas & tormenta contemno; tu autem præsumis ut te audiam?

III. Tunc Babienus in carcerem eum trudi fecit, præcipiens, ut ferreis catenis toto corpore oneratus in loco obscuriori custodiretur, ne quisquam Christianorum seu alius ad illum accederet, sed solus ille qui cibum ei esset allaturus: hoc medio cogitans, se ejus constantiam utpotè juvenilem frangere posse. Antoninus, cui custodia demandata fuit, majori etiam rigore jussa complevit, & septem diebus Sanctus Martyr plenus gaudio & fiduciâ in Deum, qui non fallit, permansit. Quibus elapsis è carcere extractus fuit, Byzantium cum aliis detentis adducendus, quò Flaccinus Provinciæ Proconsul Bibienum advocarat. In hoc itinere voluit Deus, ut Acacius onera fragilitatis humanæ experiretur. Plagarum dolor, catenarum pondus, itineris 25. leucarum labor, alimenti quo nutriebatur parvitas, Militum ad iter ipsum urgentium sævities nemine ipsum animante, corporis & spiritus vires adeò debilitaverant, ut crederet in via se moriturum. Non tamen desperans, sed obtento brevi ad quiescendum spatio, Deum precatus est, ne gratiâ suâ illum desereret sed corporis & spiritus vires augeret, quibus vitam suam Judicis sententiâ pro ipso dare posset.

IV. Tunc ab omnibus audita fertur vox adhortantis ipsum ad fortiter tolerandum, quâ quotquot cum illo vincti ducebantur, ad Christum conversi, ejus instructiones avidè suscipiebant.

Ad-

Additur, ſequenti nocte in loco ad quem diverterant, & alterâ in domo, ubi Byzantium appulſi eum collocarunt, qui cum eo tenebantur vidiſſe plures ad eum accedere, eum conſolantes & plagas ejus curantes, quos Angelos fuiſſe exiſtimarunt. Poſtridie in tetrum carcerem catenis oneratus & compedibus vinctus conjicitur; hoc tamen non abſtulit, quin ſequentibus noctibus idem miraculum repeteretur. Viderunt hoc qui in carcere proximo detinebantur, & Cuſtodi nomine Caſſio renuntiaverunt, qui & ipſe teſtis eſſe voluit: imò ſæpiùs carcerem ingreſſus fuit, ut dignoſceret, quinam eſſent illi, quos cum Acacio conſpexerat, ſed ingreſſus alium neminem inveniebat, niſi Acacium ſolum aliquandò quieſcentem plerùmque tamen orantem. Interea Sanctus Dei perfectè ſanus apparuit, viribus fortis ac robuſtus, & novâ vultus formoſitate vividus & decorus: quod Caſſius iſte pluribus amicis ſuis indicavit.

V. Biduo vel triduo poſt Byzantium Bibienus advenit, qui videns Sanctum Acacium ad ſe adductum in ſtatu adeò florenti ac diverſo ab eo, in quem tot mala, quibus afflictus fuerat, eum redegiſſe cogitaverat, miniſtros ſuos acriter increpavit, quòd mandata fideliter non impleviſſent: ſed Antonino affirmante, ſe rigore ſibi demandato omnia executum, & oſtendente catenas, quibus adhuc Servus Dei onerabatur, accerſito Caſſio cuſtodi improperavit, quòd alimentis nimìs lautè illum veluti Athletam paviſſet: quod verbum reſumens Acacius: Verè, inquit, Athleta ſum tecum pugnaturus non in hoc mundo, ſed ante Tribunal Dei, qui verbo ſuo me ſanavit. Tunc Judex juſſit ei contundi dentes, quòd auſus fuiſſet non quæſitus ita loqui. Referente autem Caſſio cuſtode miracula, quæ in carcere contigerant, & quorum teſtis ipſe fuerat, nihil motus Bibienus Sanctum Virum in collo cædi juſſit, aſſerens eum à Chriſtianis pecuniam accepiſſe.

VI. Interim mediis in doloribus S. Acacius ridebat: cùmque Judex ob id magis irâ accenderetur, Sanctus Vir ei dixit: Non irrideo ob mala ad quæ per totam æternitatem feſtinas, ſed ob hæc maximè doleo. Tuam ſtultitiam irrideo, quâ tuum deſeris Creatorem, ut ligna & lapides adores. Cui Judex: Ergone, inquit, in tua ſtultitia perſiſtens nunquam ſacrificabis? At Acacius pari efficaciâ reſpondit: Tu verò à laniandis hominibus nullius criminis reis nec tibi in aliquo injuriis numquam ceſſabis? His auditis furens Bibienus nucis arbori appenſum virgis immaniter cædi ſuper dorſum & ventrem præcepit. (Nux illa Arcadii temporibus adhuc perſeverabat anno ſcilicet 404., juxta quam

quam parva Basilica erecta fuerat, teste Socrate L.6. hist. c.23.). Sancto autem Acacio in suis excessivis doloribus Deum invocante, vox eum confortans de Cœlo audita tortores sinè verbo & motu semianimes reliquit.

VII. Quamobrem victus ejus constantiâ Bibienus, audito, quòd Byzantium Flaccinus advenisset, Sanctum Acacium unà cum verbali processu & litteris suam crudelitatem & Martyris invictam constantiam abundè testantibus ad eum remisit. Flaccini uxorem fuisse Christianam certò traditur, quæ ab eo etiam sub juramento obtinuerat, ut in judiciis supra Christianos saltem ab iis diù torquendis abstineret. Acceptis ergo à Bibieno processu & litteris, Sanctum Acacium carceri tradi jussit, absque catenis tamen & absque severa custodia. Quinque post dies adduci ad se Sanctum Martyrem & legi processum jussit. Audiens autem quòd adeò immaniter in eum actum fuisset, detestatus est, asserens erga Virum militarem celerem expeditionem esse adhibendam. Ne ergo quod in alio damnabat ipse faceret, sententiam capitis in S. Acacium illicò pronuntiavit. Quâ auditâ Sanctus Martyr summo gaudio perfusus fuit, ac Deo gratias agens ad locum supplicii ductus, obtento brevi ad precandum spatio, collum gladio seu veriùs coronæ submisit. Ejus Corpus quorumdam pietate sublatum, possibili honore in loco dicto *Staurion* conditum fuit. Martyrologia S. Hieronymi ipsi, quem Agathium vocant, alios nonaginta in Martyrio socios jungunt: qui fortè illi fuerunt, quos secum vinctos in itinere Perintho Byzantium ad Christum convertisse dixi, quod indicant quoquè Græci in Menol., ut infra.

VIII. De S. Acacio memoria colitur in Martyrol. Rom. 8. Maii his verbis: *Constantinopoli Sancti Acathii Centurionis, qui in Persecutione Diocletiani & Maximiani à Firmo Tribuno delatus quòd Christianus esset, & à Bibieno Judice Perinthi sævissimè tortus, Byzantii demum à Flaccino Proconsule capitis damnatus est: cujus Corpus ad Scyllacium littus Divinitùs postea delatum, ibi honorificè asservatur*. Historiam hanc de Translatione Corporis S. Acathii Scyllacium Baronius in Notis ibi se legisse dicit ab ea Ecclesia missam: cùm enim capsula plumbea, in qua Martyris Corpus asservabatur, ab Infidelibus projecta fuisset in mare, Divino auxilio natans ad littus prope Scyllacium pervenit: aliqui tamen hoc in dubium vertunt.

IX. Græci verò in Menol. Basilii S. Acacium die 7. Maii ita celebrant: *Acacius Christi Martyr fuit, Maximiano Imperatore ex Regione Cappadociæ, Militiam exercens in scholarum cohorte.*

te. Cognitus autem ut Christianus, comprehensus fuit & adductus ad Regionis Præsidem, ac Christum confessus graviter cæditur. Deinde ad alium Præsidem missus ac vinctus unà cum aliis captivis Byzantium adducitur, flagrisque crudelibus & tortuosis lignis toto corpore cæsus, in carcerem detruditur; ubi accurrentes Divini Angeli incolumem ipsum reddiderunt. Cùm autem omnes, qui in carcere erant eum tam repentè sanitati restitutum conspicerent, in Christum & ipsi crediderunt, ac proinde capite obtruncati sunt. Deinde Acacius è carcere eductus atque ad alium Præsidem remissus rursùmque excruciatus, capite obtruncatus fuit: & Reliquiæ ipsius depositæ fuerunt in loco, qui Staurium dicitur.

X. SS. Gurias & Samonas Edessam in Mesopotamia patriam habuere, & in ea educationem. Gurias contemplationi deditus, ut popularis tumultus diversionem declinaret, Edessâ relictâ in agrum secessit, ubi usque ad provectam senectutem solitariam vitam egit, in mortificationis & pœnitentiæ actibus adeò sedulus, ut *Continentis* nomine vulgò appellaretur; & faciei squallor vitæ austeritatem demonstrabat, cùm alioquin vir esset gravitate fortitudine & caritate ornatus. Samonas junior erat corpore & spiritu vivax; hic Guriæ se adjunxit, ut virtutis ejus sectator fieret ac imitator: quibus accessit tertius nomine Abibus utroque ætate junior, sed pietate & humilitate non minor; Diaconus hic erat, cùm cæteri duo essent merè laici (Græci tamen eos Sacerdotes asserunt.) Hi tres vitâ verè sanctâ, & pietatis exercitiis ad Martyrium se disponebant, eorumque virtutis fama nedum Edessæ & finibus ejus sed totâ Syriâ vulgabatur.

XI. Ab anno 303. Diocletiani Persecutio illuc pervenerat, Augaro Zoaris filio Magistratum Urbis gerente, & Antonio seu Antonino Provinciæ Præside. Cùmque initio anni 304. Persecutio etiam ad Laicos extensa fuisset, Gurias & Samonas aliique multi comprehensi fuere, eò quia, ut volunt Græci, Confessoribus antea captis alimenta suppeditarent. Præsentati igitur Antonino, cùm ejus suasionibus acquiescere nollent, in carcerem ubi plures alii antea clausi fuerant conjecti sunt. Licèt autem ex aliis detentis multi citò dimissi fuerint, vel quia Fidei turpiter renuntiarint, vel aliâ non notâ causâ; Gurias tamen & Samonas, contra quorum virtutem Diabolus magis furebat, longiori tempore detenti fuere; ideò Confessorum nomine speciali titulo ornari meruerunt.

XII. Dum adhuc in carcere permanerent, abdicato anno 305. à Diocletiano Imperio, Maximinus, qui ei in Oriente successit, iteratis contra Christianos Edictis sequenti anno in Me-

Mesopotamiam novum Præsidem misit Musonum quemdam, hominem cui nihil gratius erat quàm in Christianos sævire. Hic præfatos duos Sanctos Viros, quorum non esse impios totum crimen erat, ad se duci jussit. Hos primò blandè allicere, deinde minis terrere studuit; sed cùm videret, eos nec blanditiis flecti nec terreri minis, ad carnifices sibi confugiendum esse existimavit. Utrumque ergo unâ manu in aere suspensum, gravioribus saxis ad pedes alligatis, ab hora nona matutina usque ad secundam pomeridianam reliquit. Inde ad eos accedens petiit, an tandem Imperaroribus obedire decrevissent; sed cùm nec verbum respondissent, jussit eos deponi, & in profundum obscurumque carcerem compedibus vinctos dejici. Sequenti verò die muro ostium carceris claudi mandavit; eosque prorsùs in tenebris, nec aquæ guttam in alimentum eis permittens, triduò dereliquit. Tandem rupto muro ostium carceris denuò apertum fuit, in quo usque ad diem decimam Novembris inclusi permanserunt.

XIII. Tunc Judex eos ad se iterùm vocatos magis firmos & in proposito constantes invenit: videns tamen Guriam viribus corporis adeò fractum & macie confectum, ut si quæstioni exponeretur, ne spiritum emitteret prudenter timeri posset, ab ulterioribus cruciatibus eum dispensavit. At Samonam viribus adhuc fortem uno pede in aere suspendi, in altero autem ingentem ferri molem, ac si eum vellet per medium discindere, jussit alligari: quo factum fuit, ut coxa è loco demitteretur, & fieret omninò impotens ad ambulandum: & in tanto cruciatu per quinque ferè horas permanens, elatis continuè ad Cœlum oculis, nec gemitum nec verbum protulit. Quare iterùm ad carcerem tracti, usque ad 15. Novembris ibi detenti sunt: quâ die Judex ante lucem in atrio cum Ministris sedens, Sanctos Viros coram se statui jussit: & S. Gurias quidèm ætate malis & jejuniis confectus, duobus illum sustentantibus, accessit, Sanctus verò Samonas ex integro portabatur: tunc Judex post tentatam verbis inutiliter tamen utriusque constantiam, desperatè sententiam capitis in utrumque protulit. Itaque Sancti Martyres curru impositi, nondum die illucescente, in montem ab Urbe remotum deducti sunt, ibique obtentâ priùs breviter precandi veniâ capite truncati sunt. Eorum passio in Martyrol. & Menol. die 15. Novembris notatur: quâ die accidisse creditur, & ut puto anni 306.; estò enim Maximinus anno præcedente imperare cœperit, nova tamen adversùs Christianos Edicta solùm sequenti anno promulgavit.

XIV. Li-

XIV. Licèt autem eâdem die notetur Passio S. Abibi, hæc tamen non contigit eodem anno sed multò post, nempè sub Licinio circa annum 322.; Deus enim Sanctum istum Diaconum ad instructionem Fidelium superstitem esse voluit: quo in munere tanto zelo & alacritate continuavit, ut nec Persecutio quam Licinius excitarat eum retardaret: quare à Lysania Præside certior factus Licinius, ut de medio Abibum tolleret speciali mandato ei præcepit. Vir Dei cum matre & pluribus de familia in loco extra Urbem suo ministerio vacans morabatur: cùm scivit se inquiri, latebras petiit, ut diù quæsitus inveniri non potuerit; metuens tamen, ne occasionem Martyrii fugiens Dei iram provocaret, Theotecni uni ex primis Præsidis Ministris spontè se præsentavit. Quamvis autem Theotecnes ut se reciperet eum adhortaretur, asserens nihil indè damni matri & cognatis ejus secuturum; Abibus tamen dixit, se jam paratum omnia pro Christo pati, ideòque ad eum accessisse: quòd si nollet eum ad Præsidem trahere, se ipso eum aditurum. Quare Theotecnes timens, ne sibi aliquid mali ob id eveniret, Lysaniam adiit eique renuntiavit, Abibum diù quæsitum se sibi spontè præsentasse.

XV. Lysanias hæroicum hunc Abibi animum veluti suæ auctoritatis contemtum interpretatus, illum ad se ductum severè increpare cœpit, cur Diis sacrificare nollet; sed cùm Abibus intrepidè respondisset, se nunquam verum Deum deserturum ut adoraret opera hominum; Judex stipiti eum brachio suspendi, & latera ejus ferreis ungulis lacerari præcepit, & interea & promissis & minis ipsum seducere tentabat, dicens ei: stulte, quid tanta patiens lucraris? cui Sanctus Martyr respondit: Nos præsentia contemnimus propter ea, quæ speramus futura; non enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis: quare Lysanias videns eum insuperabilem, flammis eum addixit. Ad locum supplicii extra Urbem situm mater & cognati ejus sequebantur, quos amplexus in osculo pacis & Deum precatus, flammis traditus spiritum emisit. Igne autem extincto, sublatum corpus balsamo conditum & vestibus pretiosis indutum cognati ejus juxta Sanctos Guriam & Samonam sepelierunt, ut qui adeò conjuncti fuerant viventes, conjuncti manerent etiam post mortem: is S. Abibi exitus gloriosus fuit.

XVI. De SS. igitur Guria Samona & Abibo conjunctim loquuntur etiam Martyrologia & Menologia die 15. Novembris, quia hâc mensis die licèt diverso anno passi sunt. Martyrol.

Rom. his verbis: *Edessæ in Syria Sanctorum Martyrum Guriæ & Samonæ sub Diocletiano Imperatore & Antonino Præside. Ibidem passio Sancti Abibi Diaconi, qui sub Licinio Imperatore & Lysania Præside unguibus laceratus in ignem conjectus est.* Menologium verò Basilii ita fusiùs habet: *Certamen Sanctorum Confessorum Guriæ Samonæ & Abibi, qui in urbe Edessa Martyrium subiere. Isti Diocletiano Imperatore & Antonino Duce claruerunt: delati autem, quòd Christianos in custodia inclusos curarent; Gurias inquam & Samonas, qui ex eadem urbe erant & in Ordine Sacerdotum censebantur, coram Duce adducti neque Idolis sacrificare volentes, sublimes ex altera tantùm manu horis quinque pependere: deinde depositi, cùm in confessione persisterent, iterùm inverso capite suspenduntur: postea in tenebricosum lacum conjecti, gladio demum cæsi sunt. At Sanctus Abibus Diaconus, Licinio Imperatore Martyrium subiit; accusatus enim quòd vicos peragrans sacrarum litterarum lectione Infideles confirmaret, ejusdem impii & iniqui Imperatorit jussu in caminum aridis virgultis accensum injectus, vitam lætus finivit.*

VXII. Præterire non possum insigne factum, quod seculo quarto in finem vergente ad horum trium Martyrum gloriam contigit. Quidam natione Gothus Romanæ Militiæ adscriptus, cùm Edessæ stationarius esset sponsam petiit unicam filiam nomine Euphemiam Sophiæ Viduæ, apud quam hospitabatur. Diù renuit mater, tandem verò consensit: cùm autem Gothus pauló post esset discessurus & uxorem jam fœtam secum ducere vellet, Sophia mater ambos ad sepulcrum Sanctorum Guriæ Samonæ & Abibi duxit; ubi Gothus tangens eorum sepulcrum juravit, se uxorem suam Euphemiam uti decebat tractaturum, sui juramenti Sanctos Martyres invocans fidejussores, ac deinde discessit: porrò cùm jam ad locum consueti sui domicilii Gothus appropinquasset, declaravit Euphemiæ se alteram habere uxorem, cui ipsa tanquam ancilla Dominæ parere debebat, comminatus ei mortem si quod reverà erat prodidisset; ex quo tempore cum ea tanquam cum vili mancipio agere cœpit. Nec profuit, quòd illa objiceret juramentum, quo ipse appositâ Martyrum cautione sese obstrinxerat; nam parere coacta fuit, & de uxore in ancillam versa, dominæ tanquam procum eam respicienti, ac proinde summâ duritie cum ea agenti, inservire.

XVIII. Nihilominùs Euphemia ad partum deveniens filium feliciter enixa fuit, quem domina cùm veneno impiè sustulisset, paulò post & ipsâ morte sublata fuit. Suspicatus Gothus, mortem hanc veneno ab Euphemia clàm propinato accidisse, eam in

eo-

eodem ſepulcro, quo domina, impiè recluſit. In hoc igitur miſero ſtatu poſita Euphemia ad Deum & Martyres fidejuſſores preces dirigit; & ecce tres Viri lumine circumfulti tribus equis albis inſidentes ei apparent, ſuumque ei auxilium pollicentur: cùmque obdormiſſet, evigilans, ſe prope Edeſſam in Eccleſia Sanctorum Martyrum poſitam invenit. Tunc illa gratias Deo agens, ad ſepulcrum Martyrum procubuit, & quidquid ſibi evenerat Presbytero narravit; qui ad illius matrem mittens, Euphemiam illi tradidit, omnibus de tanto miraculo Deo gratias referentibus. Aliquo elapſo tempore Gothus Edeſſam iterùm miſſus, apud Sophiam hoſpitium quæſivit, putans eam ignaram eſſe eorum quæ evenerant: a Sophia velut gener ſuus humaniter exceptus, ei de filia ſua mendaciter multa retulit; at ſtupens ac tremefactus remanſit, cùm coram ſe ſtare Euphemiam vidit, & quàm iniquè erga eam egiſſet, ſibi à Sophia improperari audivit: quæ de omnibus proceſſum verbalem confecit, & ad S. Eulogium tunc (anno 378. vel 379.) Edeſſenæ Urbis Epiſcopum detulit, & iſte ad Præſidem. Præſes autem cùm Gothum & Euphemiam vocaſſet, coram Eulogio & Populi multitudine cauſam egit. Gothus conſcientiâ victus omnia confeſſus fuit & miſericordiam imploravit: at Præſes tantum crimen indignum veniâ juſtè judicans, caput ei amputari præcepit; & ſolùm ad S. Eulogii preces, ne deinde cremaretur ut ſtatuerat, indulſit. Hæc ex Metaphraſte & Aretha Tilmontius.

§. XXXVII.

SS. Pelagia Bernices Proſdoces & Domnina.

I. ANtiochia Urbs toto Romano Imperio celeberrima, celeberrimum quoque immanitatis theatrum à Perſecutoribus Chriſti, Diocletiano & ejus in Imperio conſortibus, effecta fuit. Quare Euſebius L.8.Hiſt. cap.12., poſt enarrata, quæ in diverſis Orbis Provinciis Sancti Martyres paſſi ſunt ſupplicia, Antiochiam deveniens ait: *Jam verò ea, quæ apud Antiochiam geſta ſunt, quid opus eſt in memoriam revocare? ubi alii craticulis impoſiti, non ad mortem uſque ſed ad diuturnitatem ſupplicii torrebantur. Alii dextras ſuas in ignem immittere maluerunt, quàm impia libamenta contingere. Ex quibus nonnulli periculum vitantes, priuſquam caperentur & in inſidiatorum manus inciderent, ex ſublimibus tabulatis præcipites ſe dederunt, propter impiorum malitiam mortem lucro deputantes. Quædam etiam ſanctiſſima Femina,*

& ob

& ob animi fortitudinem admirabilis, opibus ac splendore generis, bonáque in primis famâ Antiochiæ percelebris, quæ duas filias virgines formâ & ætatis flore præstantes Christianæ Religionis præceptis instituerat &c.. Quibus primo loco Pelagiam videtur indicare, quæ ut satellitum manus evaderet, præcipitem ex sublimi domus suæ se dedit; secundò Domninam & Bernicem ac Prosdocem filias, quæ eâdem ratione in fluvium spontè se dejecerunt, ut infra dicam.

II. Nec quicquam moveat, quòd, ut dixi in Theol. tom. 1. in 1. 2. qu. 3. de Act. hum. moralit. dub. 7. §. 3., & tom. 2. in 3. par. qu. 2. de Bapt. dub. 2. §. 1., nec Fidei nec pudicitiæ causâ liceat ultrò sibi mortem inferre, ut S. Augustinus L. 1. de Civit. Dei cap. 25. 26. & 27. apertè docet: quandoquidem si hoc fiat ex speciali Dei mandato vel instinctu, licitum esse concedit c. 26.; ubi allato exemplo Samsonis, & Abrahæ qui Deo jubente filium suum occidere paratus fuit, *Cùm*, inquit, *Deus jubet, seque jubere sine ullis ambagibus intimat; quis obedientiam in crimen vocet? quis obsequium pietatis accuset?* Quod & in Milite confirmans, qui si Imperatoris jussu hostem occidit homicidii reus non est, cujus tamen reus esset si spontè & propriâ auctoritate faceret, ait: *Quod si ita est jubente Imperatore, quantò magis jubente Creatore?* Sed hoc in exemplum trahi non debere ita subdit: *Sed non ideò sine scelere facit, quisquis Deo filium suum immolare decreverit, quia hoc Abraham laudabiliter fecit*; quia Abraham Deo jubente fecit: & hâc viâ salvat harum Sanctarum Virginum factum, quæ ut insectatores suæ pudicitiæ devitarent in rapturum & necaturum se fluvium projecerunt. Et S. Joannes Chrysostomus tom. 1. hom. 40. modo tom. 2. homil. 1. in S. Pelagiam, eam salvat, quòd, ut infra dicam, ne violaretur se præcipitem dederit, quia id Divino consilio fecit: *Non enim*, inquit, *sola intus erat, sed Jesum habebat consiliarium; ipse aderat, ipse cor ejus tangebat, ipse animum confirmabat, ipse metum pellebat. Illud autem non sine causa faciebat, sed quia ipsa Martyr se antea dignam ejus auxilii præbuerat.*

III. Sancta igitur Pelagia Antiochena erat Virgo quintum decimum ætatis agens annum, æquè formosa & castitatis custos severa. Prima Christianæ Religionis rudimenta à Sancto Luciano Presbytero Antiocheno & postea Martyre (anno 312.) hausisse fertur. Primo Persecutionis Diocletiani rumore audito domi se conclusit; cùm Milites repentè irruentes & ad fores stantes vidit, qui ad judicium illam vocabant, spe ab illa eripiendi vel fidem vel castitatem. Non pater tunc intus erat non mater non

nu-

nutrix non ancilla, non denique vicinus aliquis aut amicus præstò erat, sed sola carnificibus exposita: quid tenera puella in hisce angustiis factura erat? id planè quod Deus intus eam agens illi suggessit. Momento temporis intrepidâ facie ad fores domus astitit, petiitque à Militibus, ut sibi liceret redire intrò & vestem mutare, ac sic decenter coram Magistratu comparere. Milites, disponente Deo, fraudem non assecuti annuerunt. Sic Beata Virgo à mediis retibus avolavit, & veluti venatorum manus evasit.

IV. Regressa igitur domum vestes magis magnificas induit, seu veriùs exuta veste corruptionis, vestem immortalitatis assumens, Jesum Christum precata, ejusque Spiritu afflata in superiorem domus partem ascendit, & inde se præcipitem dedit; atque illicò spiritum emittens prædonum artes elusit: *Ut verò discas* (ait Chrysost. relatus) *id non sinè Divino nutu factum fuisse, id maximè comperias, tum ex Virginis alacritate, tum ex eo eo quòd Milites dolum non effecerint, quod petenti annuerint, & quòd res ad exitum deducta sit: neque minùs id ediscere liceat ex ipsa mortis ratione. Multi enim è sublimi tecto delapsi, nihil mali passi sunt; alii item membris quibusdam corporis mutilati, longo post lapsum tempore vixerunt: Beatæ autem Virgini nihil hujusmodi contingere voluit Deus; sed jussit animam statim ex corpore exire, & eam, ut quæ satis certasset omniaque implesset, excepit: non enim ex casus natura, sed ex Dei jussu mors consequuta est*: hæc & alia in laudem hujus Virginis S. Chrysostomus. Eam quoque S. Ambrosius celebrat L. 3. de Virginibus: undè in Martyrol. Rom. 9. Junii dicitur: *Apud Antiochiam S. Pelagiæ Virginis & Martyris, quam Sancti Ambrosius & Joannes Chrysostomus magnis efferunt laudibus*. Et eâdem die in Menol. Basil. de S. Pelagia legitur: *Hæc apud Præfectum accusata, cùm suæ metueret virginitati, Deum precata est, ac decenter cooperta, summam domum in qua jussu Præfecti detinebatur conscendit; seque inde præcipitans animam suam Deo reddidit. Venerabilis Joannes Chrysostomus encomiis ipsam celebravit, tum propter illibatam ejus castimoniam, tum propter eximias virtutum exercitationes*.

V. Verùm inter narrationem Ambrosii & Chrysostomi aliqua discrepantia videtur, ut notat Baronius ibi; nam S. Ambrosius Pelagiam cum matre & sorore in fluvium se conjecisse videtur dicere, Chrysostomus autem è sublimi tecto se dejecisse dicit: cæterùm utriusque Patris opuscula legens nullam in hoc discordiam reperi; de Pelagiæ enim morte nihil aliud dicit Ambrosius, nisi *Matris in gremio fertur ornasse caput, nuptialem induisse*

duisse vestem, ut non ad mortem ire diceres sed ad Sponsum: quibus à genere mortis præscindit. Dicit quidèm *in gremio matris ornasse caput*, cùm Chrysostomus dicat matrem tunc abfuisse; sed hoc ex aliorum sententia eum protulisse, indicat illud *fertur*: nam antea dixerat: *Cùm se à prædonibus circumsederi videret absente matre & sororibus* &c.. Sanctam verò Pelagiam mortuam jam fuisse priusquam aliæ in fluvium se dejicerent, ipse Ambrosius ostendit, dum subdit: *At ubi detestandi Persecutores ereptam sibi viderunt prædam pudoris, matrem & sorores cæperunt quærere*.

VI. Major difficultas est de matre & sororibus, ad quas inquirendas dicit S. Ambrosius, quòd Persecutores ereptâ sibi Pelagiâ processerunt: an istæ fuerint S. Pelagiæ mater & sorores, & an Domnina Bernices & Prosdoces, quæ ut dicam in flumen se projecerunt. In hoc verius judico, quòd dato etiam ex Ambrosio, eas, quas carnifices insecuti sunt & quæ in fluvium se dejecerunt, fuisse matrem & sorores S. Pelagiæ (de quibus tamen S. Chrysostomus, qui Antiochiæ duas illas homilias de S. Pelagia habuit, nihil dicit) illæ tamen diversæ fuerunt à Domnina Bernice & Prosdoce. Tum quia Chrysostomus, qui de his homiliam aliàs 51. habuit, eas ad Pelagiam pertinuisse non dicit; dicturus utique, si una ex eis fuisset illius mater & aliæ sorores. Tum quia Domnina & filiæ ejus, cùm Pelagia Martyrium subiit, jam Antiochiam reliquerant & Edessam se contulerant, ut ex Chrysostomo statim dicetur. Quare vel Domnina & filiæ diversæ sunt ab iis de quibus Ambrosius, nempè à Pelagiæ matre & sororibus, vel Ambrosio res supposita fuit aliter quàm revera contigerat.

VII. Domnina igitur mulier virtutibus ornatissima, genere illustris, necnon divitiis abundans, ipsis Persecutionis temporibus sollicita de filiabus suis Bernice & Prosdoce, quarum castimoniam ac Fidem summo zelo custodiebat, domi aliquandiù conclusas detinuit: sed videns, eas Antiochiæ parum tutas esse, ubi etiam ab amicis & cognatis ipsis timendum erat, ne eas Magistratibus cum Fidei & castitatis periculo traderent, ex Urbe secretò educens exemplum Abrahæ & Loth imitata, Edessam Mesopotamiæ cum illis se recepit. Sed hoc asylum parvo eis tempore profuit; cùm enim anno 306. Maximianus novo Edicto præcepisset, ut omnes denuntiarent si quos scirent Christianos, & vel maritus uxorem vel pater filios vel filii parentes; ipsemet Domninæ maritus & Bernices & Prosdocis parens, maritalis & paterni amoris oblitus uxorem ac filias prodidit, & ad locum quò confugerant, Edessam nempè, cum Militibus

ac-

accessit. Captæ igitur, ut Antiochiam reducerentur, voluntariè comprehensores suos sequebantur: *cùm enim* (ait Chrysostomus) *fugiendum erat fugerunt, cùm ineunda erant certamina constiterunt, & amore Christi vinctæ sequebantur; ut enim tentationes accersendæ non sunt, ità cùm advenerint decertandum est; ut indè nostræ lenitatis, hinc nostræ fortitudinis specimen edamus: id quod illæ tunc fecerunt: & reversæ sunt & decertarunt.*

VIII. Genus autem certaminis (prosequitur Chrysost.) fuit ejusmodi. Venerunt in Urbem Hierapolim nomine (modò Aleppum). Viam illam quâ redibant fluvius præterfluebat. Dum ergo Milites prandium sumerent & inebriarentur, conscio etiam ut aliqui volunt & adjutore patre, ut Milites fallerent, ejus operâ Milites amoventes, in medium flumen ingressæ sunt, nimirùm mater & filiæ, seque ipsas in illa fluenta demerserunt, sicque novo ac inusitato Baptismate ablutæ Cœlum intrarunt. Quærit hìc S. Chrysostomus, cur Domnina in judicium filias secum trahere noluit, sed eas potiùs secum traxit in flumen: & ait, hoc fuisse, *non quòd tormenta reformidaret, sed ne illæ oculis lascivorum paterent: non metuebat, ne quis latera ipsi effoderet, sed ne quis filiarum corrumperet virginitatem timebat.* Additque, multò graviores in flumine cruciatus tolerasse: multò enim gravius est & acerbius..., propria viscera, filias inquam, manu sua demergere ac suffocari cernere, quàm lacerari carnem videre; & ipsam fieri earum necis ministram & quasi carnificem, quàm ab aliis hoc peractum videre. Earum Corpora Antiochiam delata ibi suo tempore asservari indicat idem Chrysostomus. De his suppresso nomine agunt Augustinus L. 1. de Civit. Dei c. 26., & Eusebius L. 8. hist. cap. 12., ubi totam historiam refert: memorant Latini in Martyrol. 14. Aprilis, & Græci in Menol. 4. Octobris,

§. XXXVIII.

SS. Euphemia Serenus Phileas & Philoromus.

I. EUphemia apud Latinos & Græcos Virgo & Martyr celeberrima est. Id quod de ejus Martyrio certum habetur, sumtum est ex S. Asterio Amaseæ Episcopo, qui ex quadam pictura quarto seculo picta, & super ejus sepulcrum posita, in qua illud exprimebatur, descripsit: quæ descriptio extat etiam in Conc. Nicæno II. Act. 4.: „ In ea ergo tabula repræsentabantur: „ S. Euphemia tamquam Virgo, quæ Deo suam virginitatem

„ obtulerat: ſtans Judex (nomine Priſcus) acerbo ac truci vul-
„ tu contuens Virginem: Magiſtratus ſatellites ac Milites non
„ pauci: Commentarienſes tabulas ferentes ac ſtilos, quorum
„ unus manum è cera educens intensè adſpicit in adſtantem ju-
„ dicio Virginem totam deflectens faciem, tanquam jubeat
„ loqui clariùs, ut ne difficilè audiens mendoſa ſcribat ac di-
„ gna reprehenſione. Adſtat autem Virgo pullâ veſte & pallio
„ induta, quam ducunt ad Præſidem duo Milites, alter quidèm
„ ante trahens, alter verò à tergo urgens. Virginis habitus pu-
„ dore & conſtantiâ mixtus enitet: inclinat quidèm, ac cernua
„ oculos demittit, tanquam virorum erubeſcens obtutus; ſtat
„ verò imperterrita, nihil in certamine timidum patiens.
„ II. Ulteriùs autem procedente picturâ, viſebantur carni-
„ fices quidam in levibus nudi tunicis operi jam inſiſtentes, ac
„ alter quidem apprehendens Virginis caput, & retrò inflectens,
„ alteri ejuſdem os præbebat expeditum ad pœnam, qui malleo
„ Virgini dentes excutiebat. Unde guttæ ſanguinis ex ore
„ fluentes adeò ad vivum exprimebantur, ut intuentis oculi
„ à lacrymis temperare non poſſent. Iterùm autem Euphemia
„ in carcere exprimebatur, quæ in pullis veſtibus ſola ſedens,
„ ambaſque manus ad Cœlum attollens Deum ſibi adjutorem
„ invocabat; ac oranti apparebat ſuper caput ſacrum Crucis
„ ſignum proximæ paſſionis ſuæ ſymbolum. Tandem alio loco
„ ignem validum Pictor expreſſerat, & in ejus medio Sanctam
„ Virginem expanſis quidèm in Cœlum manibus, nullam ta-
„ men triſtitiam præferentem ſed potiùs gaudentem, uti ad in-
„ corpoream & beatam vitam properantem „. Hucuſque S. Eu-
phemiæ Martyrium manu Pictor, Sanctus verò Aſterius Sermo-
ne deſcripſit.

III. Chalcedone paſſam fuiſſe conveniunt omnes, Fortuna-
tus L. 8. carm. 4. de Virginitate his verbis

Euphemiam Chalcedon offert.

Sanctus Paulinus qui fortè omnium primus de ea ſcripſit idem
confirmat Poem. 24. his verſibus.

Et quæ Chalcidicis Euphemia Martyr in oris
Signat virgineo ſacratum ſanguine littus.

De facto autem in ipſo loco, in quo Martyrium paſſa fuerat,
ideſt in Suburbio Chalcedonenſi & maris littore, & ubi erat ejus
ſepulcrum, conſtructum fuit magnificentiſſimum Templum; &
ideò locus ille vocatur à S. Paulino littus maris ſanguine ejus
conſperſum. Chalcedone quoque ejus Martyrium ponit, quam-
vis diverſo modo Martyrol. Rom., ſic enim ait 16. Septembris:
Chal-

Chalcedone natalis Sanctæ Euphemiæ Virginis & Martyris, quæ sub Diocletiano Imparatore & Prisco Proconsule tormenta carceres verbera argumenta rotarum, ignes pondera lapidum bestias plagas, virgarum serras acutas, sartagines ignitas pro Christo superavit; sed rursùs in theatrum ad bestias ducta, cùm orasset ad Dominum ut spiritum suum susciperet, unâ ex iis morsum Sancto Corpori infigente, cæteris pedes ejus lambentibus, immaculatum spiritum Deo reddidit. Plura certè tormentorum genera S. Virginem tolerasse hìc narratur, quàm pictura supra ab Asterio relata exprimat. dici posset, plura ibi omissa, quia una tabula omnia capere non poterat: at ne hoc dicam, detinet me diversum genus mortis, nam hic morsu bestiæ necata dicitur, ibi autem ut incendio sublata exprimitur. Passa fuisse creditur quinto Persecutionis Diocletiani anno nempè 307., quamvis Baronius in Ann.ad an.311. ejus passionem num.18. referat.

IV. Templum in honorem S. Euphemiæ Chalcedone erectum, & in quo sacrum ejus Corpus depositum fuit, variis eventibus illustre evasit. Primò enim, ut refert Socrates L. 6. hist. cap.6. & Sozomenus L. 8. cap.4. anno 400., in illud ingressi Arcadius Imperator & perfidus Gainas natione Gothus Sectâ Arianus, juramentis invicem præstitis confirmarunt, neutrum alteri insidias structurum fore: quæ cùm Gainas impiè violasset, miserè tandem interemtus fuit. Secundò: hujus Ecclesiæ decus maximè auxit Concilium Chalcedonense Generale quartum, quod in ea celebratum fuit anno 451.: cujus occasione Martianus Imperator, ut ipsemet loquitur in fine Actionis sextæ, Chalcedonensi Civitati salvo Ecclesiæ Nicomediensis jure Metropolis nomen his verbis concessit: *Ad honorem Sanctæ Martyris Euphemiæ & vestræ pariter sanctitatis, Chalcedonensium Civitatem, in qua Sanctæ Fidei Concilium gestum est, Metropolis privilegia habere sancimus, nomine tantùm hanc honorantes, salvâ videlicet Nicomediensium Civitati propriâ dignitate*: quod omnes approbaverunt dicentes: *Justum judicium Imperatoris digni Sanctâ Martyre*.

V. Occasione hujus Concilii prodigium S. Euphemiæ gloriosum accidisse narrant Constantinus Tejensis apud Sur. 11. Junii, Nicephorus L.15. cap.5., Zonaras, Glycas & alii, quamvis in aliquo discordes. Cùm enim Synodus Decreto suo Fidem Catholicam contra Eutychem firmasset sed aliqui adhuc se opponerent, statuerunt super S. Euphemiæ Reliquias editam Definitionem ponere, sperantes, aliquo miraculo illius precibus veritatem Catholicam fore confirmandam; ac de facto dum San-

ctæ Martyris Corpori chartam, in qua declaratio scripta erat, applicassent, extendisse illam manum, & chartam deosculatam defensoribus Veritatis reddidisse: & propterea dicunt, S. Euphemiam chartam manu tenentem pingi consuevisse. Alii verò dicunt, Patres Concilii duas chartas supra S. Martyris Corpus reliquisse, unam dogma Catholicum, hæreticum alteram continentem: cùm totam noctem precibus transegissent, mane revertentes, invenisse chartam Catholicam in manibus S. Martyris, hæreticam verò ad pedes illius projectam.

Hoc posteriori modo exponunt Græci in Menol. Basil. die 11. Julii, quâ hujus celeberrimi miraculi memoriam celebrantes dicunt: *Theodosio Juniore imperante prodiit Eutyches Monachus & Presbyter hæreseos auctor, docens, Christo Domino nostro unam naturam inesse. Segregatus idcircò è Fidelium communione à Flaviano Constantinopolitano Patriarcha, non tamen cessavit Ecclesiam perturbare. Cùm autem Sanctus Marcianus Imperium adeptus Synodum sexcentorum ac triginta Patrum convocasset, & cum Hæreticis disceptaretur, placuit universis, duos tomos alterum Orthodoxorum alterum hæreticorum exponi, apertâque Martyris urnâ tomos ejusdem pectori superimponi, & ab illa probatum teneri. Hoc facto post sex dies urnam reserantes, repererunt hæreticorum quidèm tomum sub pedibus ejus positum, Orthodoxorum verò ejusdem manu retineri. Atque ita hæretici confusi sunt, Orthodoxi verò summo gaudio affecti.*

VI. Baronio tamen ad ann. 451. num. 21. &c. hoc miraculum suspectum videtur: nam Patres in Conciliis non ex miraculis sed ex Scripturis in primis & antiquis Traditionibus Patrum Veritatem inquirere consueverunt. Et eò maximè quòd Acta Concilii Chalcedonensis hujus facti & miraculi nullam mentionem faciunt. Verùm ego quidèm Baronio assentior, Patres in Concilis veritatem dogmatum ex Scripturis Traditione & Patribus, non ex miraculis exquirere solitos fuisse; sed puto non negabitur, quòd stabilitâ jam ex Scripturis &c. Catholicâ Veritate, si hæretici adhuc persistant in sui favorem Scripturas &c. detorquentes, prudens consilium sit eos miraculis convincere. Sic enim fecit Christus, sic fecere Apostoli, qui ultra Scripturas miracula ad incredulos revincendos adhibebant. Atque ita fecerunt Patres Chalcedonenses. Catholicam Veritatem de Duabus in Christo Naturis jam ex Scripturis decreto firmaverant, sed quia aliqui Scripturas in alium sensum interpretantes adhuc persistebant; ad prænarratum experimentum communi consilio venerunt. Estò autem Acta Concilii hujus miraculi ex-

expressam mentionem non faciant, aliquid tamen singulare S. Euphemiæ intercessione contigisse indicant par. 3. cap. 2., dum in Epist. ad S. Leonem Papam de felici Concilii exitu hæc leguntur: *Deus enim erat qui operabatur, & quæ suo thalamo Concilium coronavit ornata decore victoriæ Euphemia, quæ tanquam propriam confessionem Fidei definitionem suscipiens à nobis, suo Sponso per piissimum Imperatorem & amicam Christi Augustam obtulit, omnem quidèm perturbationem contrariorum sedans, Veritatis autem confessionem roborans ut amicam, & manu ac linguâ universorum decretis pro demonstratione subscribens.* Hæc certè testantur, Sanctam Euphemiam aliquid singulare in Concilio Chalcedonensi operatam fuisse, nempè Fidei confessionem suscipiendo, eam Christo offerendo & manu probando.

VII. Aliud prodigium de S. Martyris sepulcro narrat Evagrius L. 2. hist. cap. 3.: *Frequenter enim*, inquit, *aut Episcopis illius Civitatis aut Viris pietate illustribus, qui ad ipsius Basilicam advenerint, in somnis apparens, præcipit ut in Templo vindemient.* (idest, ut ex sequentibus notat Valesius, sanguinem è suo corpore velut succum ex uva in vindemia exprimant) *Quod ubi tum Imperatori tum Patriarchæ totique Civitati innotuit, statim omnes ad Basilicam pergunt, tam Augusti scilicet quàm Pontifices & Magistratus & reliqua Populi multitudo, ut sacrorum mysteriorum participes fiant. Cunctis deinde spectantibus, Episcopus Urbis Constantinopolitanæ unà cum suis Sacerdotibus in sacrarium ingreditur, in quo sacrum illud ut dixi Corpus depositum est. In eadem arca foramen est exiguum in læva parte parvis quibusdam ostiolis obfirmatum; per quod ferrum oblongum, cui spongia annexa est, usque ad sacras Reliquias demittunt. Et postquam spongiam hàc illàc versaverint, ferream virgam ad se retrahunt cruore plenam & coagulato sanguine: quod ubi Populus viderit, confestim Deum cum laudibus adorat. Tanta autem est cruoris, qui illinc extrahitur copiâ, ut non solùm piissimi Imperatores & Sacerdotes illic congregati, universa denique Populi multitudo ibidem collecta abundè ex eo accipiant, sed & Fidelibus quicumque cupierint per universum terrarum Orbem guttas ejus mittant: porrò coagulatus ille sanguis perpetuò durat, nec in alium colorem mutatur sacer cruor. Hoc autem miraculum fit, non certo aliquo ac destinato temporis spatio, sed prout Episcopi vita & morum gravitas promeruerit: ferunt enim, quoties Vir probus atque honestus omnique virtutum genere exornatus Ecclesiam rexerit, id miraculum fieri, & quidèm frequentissimè: quoties verò non ejusmodi Antistes fuerit, rarò hæc signa evenire.* Hucùsque Evagrius, qui deinde aliud signum, nempè quòd qui-

quicumque sive Fidelis sive Infidelis ad illam arcam accesserit, tantam odoris suavitatem sentit, quæ omnes consuetos odores longè superet.

VIII. Sanctæ Martyris Corpus adhuc Chalcedone servabatur cùm Persæ Urbem illam occuparunt Heraclio imperante; & licèt illud cum capsa conati fuerint comburere, non valuerunt. Quare postea Constantinopolim translatum, in Ecclesia in honorem ejus à Constantino (ut fertur) erectâ atque ornatâ repositum, magno in honore ob miracula quæ coram illo Deus operabatur habitum fuit. At Leo Isauricus sacrarum Imaginum & Reliquiarum hostis infensissimus S. Euphemiæ Corpus in mare projici jussit & Ecclesiam profanavit: Deo tamen disponente Sacræ Reliquiæ inventæ, in insula Lemni collocatæ fuerunt, donec Irene & Constantino filio imperantibus anno 796. Constantinopolim reportatæ, & in eadem Ecclesia repurgata repositæ fuerunt.

IX. S. Serenus Natione Græcus cùm de locis peregrinis Sirmium in Pannonia venisset, hortum ibi colere cœpit ut indè vitam transigeret, eò quòd aliam artem non nosset. Quia verò furor Persecutionis sæviebat, aliquandiù latitavit, postea verò hortum suum iterùm operari liberè cœpit. Quâdam autem die, dum hoc ageret, Mulier cum duabus puellis hortum suum ingressa cœpit per illum deambulare; Serenus eam videns, quid vellet, ei dixit: respondente autem illâ, se delectari in horto illo ambulare, reposuit Serenus, non decere Matronam illâ horâ deambulare; erat enim hora sexta idest meridiana; ac propterea intelligere se, eam non causâ deambulandi illuc venisse, sed indisciplinationis & lasciviæ; ideòque egrederetur & ut decet Matronam disciplinatè viveret.

X. Egressa Mulier fremens, non dolore expulsionis sed quòd libidinis suæ causam non adimplesset, scripsit ad Virum suum, qui Maximiani Imperatoris domesticus erat, insinuans ei injuriam quam passa fuerat. Vir ejus apud Imperatorem conquestus, obtinuit, ut per Rectorem Provinciæ vindicaret se, ut placeret. Quâ potestate acceptâ festinus Sirmium venit, & statim ingressus ad Præsidem, scripta Imperialia ei porrigit & vindictam de injuria suæ Matronæ irrogata postulat. Præses admiratus: quis, inquit, ausus est injuriam irrogare Matronæ Viri lateri Regis adhærentis? at ille dixit: Serenus quidam plebejus hortulanus. Perquisitus ergo Serenus stetit coram Præside; à quo interrogatus de nomine & arte, respondit, Serenus vocor & hortulanus sum. Tunc ille increpare cœpit Præses, cur Matronæ

næ injuriam irrogasset; cui respondenti, se nulli unquam injuriam fecisse, Præses iratus, dic, ait, cui Matronæ injuriam feceris, cùm in horto tuo deambulare vellet. Ille autem sine trepidatione respondit: Recordor, ante hos dies quandam Matronam in horto meo horâ indecenti deambulasse; increpavi eam & dixi, quòd non rectè versaretur Mulier, quæ tali horâ de domo Viri sui egressa fuisset. Hoc audiens Vir suus erubuit & confusus nil ampliùs de injuria vindicanda suggessit.

XI. Præses tamen Sancti Viri responsione auditâ, cogitare cœpit, eum esse Christianum, cui indecenti horâ displicuit Mulierem videre in horto suo: unde ad illum dixit: quod genus tibi est? ille autem sine mora respondit, Christianus sum. Quo audito Præses: ubi, inquit, usque nunc latitasti, vel quomodò subterfugisti, ut Diis non sacrificares? at Serenus respondit:
„ Usque ad præsens Deus ut sibi placuit vitam corporis mihi
„ conservavit. Eram autem sicut lapis ab ædificatione proje-
„ ctus, nunc autem requiret me Dominus in ædificium suum.
„ Modò ergo quia palàm me voluit esse, paratus sum pro nomi-
„ ne ejus pati, ut cum cæteris Sanctis ejus partem habeam in
„ Regno ipsius „. Quæ cùm audisset Præses, iratus, quòd latendo Imperialia præcepta contemsisset, jussit illum capite plecti, quod anno 307. impletum fuisse creditur. De eo Martyrol. Rom. agit die 23. Februarii sub nomine *Sireni* eum appellans *Monachum*, ideft solitariam vitam agentem.

XII. Nunc de Sanctis Philea & Philoromo Martyribus sermo erit. Quamvis autem innumerabiles fuerint, quos Diocletiani utriusque Maximiani & Maximini crudelitas in Thebaide & Ægypto diversis cruciatuum & mortis generibus ob Christi confessionem affecit, de quibus generaliter loquitur Eusebius L. 8. Hist. cap. 9.; duos tamen tanquam celebriores recenset, nimirùm Phileam & Philoromum. Phileas ex Urbe Thmuis in Ægypto ortus, ejusdem etiam Episcopus, genere illustris divitiis potens & sapientiâ præcipuè philosophicâ clarus fuit: unde S. Hieronymus L. de Script. Eccles. cap. 78. eum recenset, ut statim dicam. De eo hæc scribit Eusebius loco citato: *Hujusmodi fuit Phileas Ecclesiæ Thmuitarum Episcopus; vir cunctis in patria honoribus ac muneribus summa cum laude perfunctus & in philosophiæ studiis admodùm clarus.* S. Hieronymus verò laudato loco: *Phileas*, inquit, *de urbe Ægypti, quæ vocatur Thmuis nobili genere & non parvis opibus, suscepto Episcopatu elegantissimum librum de Martyrum laude composuit, & disputatione Actorum habitâ adversùs Judicem, qui eum sacrificare cogebat, pro Chri-*

Christo capite truncatur, eodem in Ægypto Persecutore (nempè Maximiano) *quo Lucianus Nicomediæ*.

XIII. Phileas uxorem habuit, & duos ex ea suscepit filios, consanguinei quoque multi & amici illi erant, & omnes ex illustrioribus Urbis. Fratrem quoque habuisse fertur, qui Advocati munere fungebatur. Tota autem ejus familia & ipsa quoque uxor adhuc in Paganismo fuisse videntur quando ipse Martyrium subiit. Ex quo apertè deducitur, ipsum quoque ab ortu Paganum, nisi serò ad Christum fuisse conversum, nam Paganam non duxisset uxorem, si Christianus ante fuisset. Tempus & modum suæ conversionis ignoramus, & similiter quid in Episcopatu egerit, & quomodò captus Alexandriam ductus fuerit, ubi Martyrii coronam accepit. Scimus, eum dum Alexandriæ cum pluribus fratribus, qui ante ipsum passi fuerunt, in vinculis detineretur, Epistolam ad Ecclesiam suam Thmuitarum elegantem paulò ante ibi tum scripsisse, cujus exemplum nobis exhibet Eusebius L. 8. cap. 10. In ea enim partim quo in statu ipse tunc versaretur exponit, partim narratis horribilibus cruciatibus, quos Martyres ibi superaverant, fratres Ecclesiæ suæ allatis Scripturæ testimoniis adhortatur, ut pietatem in Deum, etiam post obitum suum jamjam imminentem, mordicùs retinerent. Et hæc Epistola est illa, quam S. Hieronymus supra allatus vocat *Librum de Martyrum laude*, ob quem Phileam inter sacros Scriptores recenset. Hæc de eo ante ejus certamen habemus.

XIV. Philoromus ei in Martyrio socius, ait Eusebius ibi cap. 9., *Non vulgarem Magistratum, Procuratoris scilicet summæ rei* (idest generalis pecuniæ Imperialis Receptoris, italicè *Intendente*) *apud Alexandriam gerebat, & pro dignitate ac prærogativâ honoris Romani stipatus militibus quotidie jus dicebat*. Hinc deducit Eusebius utriusque in certamine constantiam: nam *cùm innumeri cognati atque amici, quidam etiam ex Magistratibus atque honoratis eos rogarent; cùm Judex ipse eos cohortaretur, ut sui ipsorum misereri, & uxoribus ac liberis suis consulere vellent; numquam his omnibus adduci potuerunt, ut vitæ suæ conservandæ causâ Divinas Leges de confessione & negatione nominis Christi latas contemnerent: sed virili ac philosophico animo, seu potiùs religiosâ ac Deo dicatâ mente, adversùs omnes Judicis minas & contumelias ambo præstantes securi percussi sunt*.

XV. Nunc ad Acta utriusque Martyris, quæ ex pluribus Codicibus manuscriptis exhibet inter alios P. Ruinart, gradum facio. Impositus Phileas super ambonem à Culciano Præside, plurimorum Fidelium sanguine fuso celebri, primò monetur,

ut

ut depositâ stultitiâ Diis sacrificet. Id autem Phileâ se facturum negante, Judex eum adhortatur, ut sacrificet Deo soli; sed hoc etiam detrectante Phileâ & dicente ex Scripturis Deum suum tale genus sacrificiorum rejicere, Culcianus dixit: qualibus ergo sacrificiis delectatur Deus tuus? respondit Phileas: Corde mundo & sensibus sinceris & verborum verorum sacrificiis delectatur Deus; alia sacrificia ego non didici; cùmque instaret Præses, Paulum & Moysen sacrificasse, Phileas de Paulo immolasse negavit, de Moyse verò ait: solis Judæis præceptum fuerat sacrificare Deo soli in Jerosolyma, nunc autem peccant Judæi in locis aliis solemnia sua celebrantes: cùmque Culcianus hæc tanquam futilia sperneret, iterùm ut sacrificaret eum monuit; cui Phileas respondit: non inquinabo animam meam.

XVI. Hoc audiens Culcianus: animæ, inquit, jacturam facimus? Respondit Phileas: animæ & corporis. Culcianus ait: corporis hujus? & affirmante Philea, iterùm quæsivit: caro hæc resurget? cui respondit: ita. Tunc Culcianus: Paulus, inquit, non negavit Christum? non; absit, Phileas respondit: cùmque vellet Præses ut juraret, renuit ille dicens: non est nobis præceptum jurare, Sacra enim Scriptura dicit: sit vestrum est est, non non. Inde cùm multa de Paulo interrogasset Culcianus, & ad omnia ut par erat Phileas respondisset & sacrificare adhuc negasset, se pro conscientia facere non posse affirmans; subjunxit Judex: quomodò ergo, quæ ad filios tuos & conjugem conscientia est, non custodis? Dicente autem Phileâ, in se prævalere conscientiam erga Deum, quæ sibi dictat, Deum super omnia esse diligendum; dixit Culcianus: quem Deum? Tunc Phileas elatis ad Cœlum manibus: „ Deum, inquit, qui „ fecit Cœlum & terram & omnia quæ in eis sunt: Creatorem „ & factorem omnium visibilium & invisibilium, ineffabilem, „ qui solus est permanens in secula seculorum. Amen.

XVII. Advocatis autem, qui ibi aderant, eum identidem increpantibus, quòd coram Præside plurimùm loqueretur ac Præsidi resisteret, respondit: ad quod me interrogat ei respondeo: cùmque Præses diceret: parce linguæ tuæ & sacrifica: non sacrifico, inquit, animæ enim meæ curam habeo: & exemplum Socrates vobis ostendit, Paganos quoque vitam suam aliquandò contemsisse; nam cùm duceretur ad mortem, adstante ei conjuge cum filiis suis, non est reversus, sed promtissimè canus mortem suscepit. Culcianus inde quæsivit, an Christus esset Deus? Phileâ autem affirmante, & hoc propter prodigia quæ fecit, Culcianus ait; quomodò Deus qui crucifixùs est? respondit Phileas:

leas: „ Crucifixus est popter nostram salutem, & quia ipse vo-
„ luit. Et quidèm sciebat, quia crucifigendus erat & contume-
„ lias passurus, & dedit semetipsum omnia pati propter nos:
„ Sacræ Scripturæ hæc de eo prædixerant, quas Judæi putant
„ se tenere, sed non tenent. Qui vult ergo veniat & aspi-
„ ciat.

XVIII. His auditis Calcianus ait: memento, quòd te honoraverim; poteram te in patria tua injuriis afficere, sed non feci ne te confunderem. Respondit Phileas: debeo tibi ob hanc gratiam; vellem tamen ut faceres perfectam. At quid deficit? ait Calcianus: respondit Phileas: ut tuâ utens auctoritate facias quod tibi jussum est. Ergo ne (inquit Culcianus) sic sine causa vis mori? Phileas respondit: non sine causa, quia pro Deo & pro Veritate: ait Culcianus: Paulus erat Deus? non, inquit Phileas, homo erat sicut nos sumus. Spiritus tamen Dei in illo erat, & in isto virtutes signa & miracula faciebat. Cum verò diceret Culcianus se gratiam fratri suo facturum, ait Phileas: & tu gratiam hanc perfectam mihi præsta: utere anctoritate tuâ & quod tibi jussum est fac.

XIX. Tunc Culcianus: si scirem, inquit, te indigere, & sic in hanc amentiam venisse, non tibi parcerem; sed quia multam substantiam habes, ita ut non solùm te sed prope cunctam Provinciam alere possis; ideò parco tibi & suadeo te immolare; respondit Phileas: non immolo, in hoc mihi ipsi parco. Aderant ibi Advocati, qui ad Præsidem dixerunt: jam immolavit in Phrontisterio (idest Schola vel Collegio): quibus respondente Phileâ, non immolavi certè, Culcianus videns præsentem illius uxorem filios fratres cognatos & alios multos, ei dixit: misera uxor tua tibi intendit. at Sanctus Martyr, qui oculos ampliùs non habebat nisi ad Cœlum, nec aliud amabat nisi Deum & propter Deum, respondit: Dominus Jesus Christus omnium Salvator, cui ego vinctus servio, potens est ipse, qui me vocavit in hæreditatem gloriæ suæ, & hanc salvare. Advocati autem ad Præsidem dixerunt: Phileas dilationem petit, quam cùm paratus esset Præses ei concedere, ut secum cogitaret, Phileas intrepidè ait: sepè cogitavi & pro Christo pati elegi. Quare Advocati, Officiales omnes unà cum Curatore Magistratus Principe & omnibus propinquis ejus pedes amplectebantur, rogantes, ut saltem pietate erga uxorem ac filios moveretur. At ille velut si saxo immobili unda allideretur „ garrientium dicta respuere,
„ animo ad Cœlum tendere, Deum habere in oculis, parentes
„ & propinquos Sanctos Martyres & Apostolos ducere se opor-
„ tere dicebat.

XX. Phi-

XX. Philoromus, de quo ſupra, qui fortè jam interrogatus ac Judicis ſententiam expectans ibi præſens erat, cùm vidiſſet Phileam circumdatum lacrymis propinquorum, & Præſidis calliditate fatigari nec tamen flecti ullatenùs poſſe, ſancto impulſus zelo exclamavit: „ Quid inaniter & ſuperfluè conſtantiam „ Viri tentatis? quid eum qui Deo fidelis eſt, infidelem vultis „ efficere? quid eum cogitis negare Deum, ut hominibus ac- „ quieſcat? Non videtis, quòd oculi ejus veſtras lacrymas non „ vident, quòd aures ejus verba veſtra non audiunt? terrenis „ lacrymis non flecti, cujus oculi cœleſtem gloriam contuen- „ tur? „ His cunctorum irâ in Philoromum versâ, unam eamdemque eum cum Philea ſententiam ſubire poſcunt: quod libenter annuens Judex ambos feriri gladio jubet. Cùmque exiſſent & irent ad locum cædis conſuetum, frater Phileæ qui erat unus ex Advocatis exclamavit dicens: Phileas abolitionem petit. Quare Judex Phileam revocans ait: quid appellaſti? at Phileas: „ Non appellavi, inquit, abſit: huic infeliciſſimo noli in- „ tendere: ego autem magnas ago gratias & Regibus & Præſidi, „ quoniam cohæres factus ſum Jeſu Chriſto „ : Poſt hæc exiit Phileas: cùmque perveniſſent ad locum ubi jugulandi erant, extendit manus ſuas Phileas ad Orientem, & ad Fideles adſtantes dixit: „ Filioli mei cariſſimi quicumque Deum quæritis, „ vigilate ad corda veſtra, quia adverſarius noſter ſicut leo ru- „ giens circuit quærens quem transferat: nondum paſſi ſumus: „ nunc incipimus pati, nunc cœpimus eſſe Diſcipuli Domini „ noſtri Jeſu Chriſti: cariſſimi attendite præceptis Domini no- „ ſtri Jeſu Chriſti; invocemus immaculatum incomprehenſibi- „ lem qui ſedet ſuper Cherubim, factorem omnium, qui eſt „ initium & finis, cui gloria in ſecula ſeculorum. Amen. „ Hæc cùm dixiſſet, Carnifices juſſa Judicis exequentes cæſis cervicibus amborum è corpore ſolutas animas ad Cœlum dimiſerunt. Quorum memoriam Latini colunt in Martyrol. 4. Februarii. Paſſio eorum poſt annum 307. à Ruinart refertur, à Tilmontio autem protrahitur ad ann. 311.

§. XXXIX.

SS. Quirinus Petrus Balſamus & alter Petrus.

I. SAnctus Quirinus Siſciæ Urbis in Pannonia propè Savum fluvium Epiſcopus fuit. Furente ſub Diocletiano & Maximiano Perſecutione comprehendi juſſus à Maximo Præſide fugam

gam arripuit, sed detectus & detentus ad Præsidem ductus fuit, à quo interrogatus quò fugeret? respondit: „ Non fugiebam, „ sed jussum Domini mei faciebam; scriptum enim nobis „ est: si vos persequentur in una Civitate fugite in aliam. „ Præses ait: quis hoc præcepit? respondit Quirinus: Christus qui est verus Deus: at nescis, inquit Præses, quia ubique te Imperatorum præcepta poterant invenire? & hic quem dicis *Deum verum* comprehenso tibi subvenire non poterit, sicut & modò fugiens comprehensus es & deductus? Cui Quirinus respondit, Deum suum secum semper esse, & cùm apprehensus fuit, & etiam tunc coram ipso stanti adesse, verba dantem quibus ei respondeat. Tunc Maximus tanquam stultiloquum senem (erat enim ætate provectus) illum despiciens, cœpit adhortari ut jussa Imperatorum Diis sacrificando impleret, multa ei bona promittens si obediret; comminatus autem mala, etiam mortem, si recusaret. Videns autem, se hortamentis operam perdere, fustibus eum cædi jussit; addens, nisi Jovi sacrificaret, se ad Amantium primæ Pannoniæ Præsidem, à quo sententiam mortis exciperet, eum transmissurum. Ex quo conjicitur, Maximum non fuisse verè Præsidem sed Magistratum Urbis, cùm non haberet mortis potestatem.

II. Ad hæc Quirinus intredidè respondit: „ Verè modò Sa„ cerdotio fungor, si me ipsum vero Deo Sacrificium obtulero. „ Et hoc quòd corpus meum cæsum est delector, nullum sen„ tiens dolorem: ideòque offero me majoribus suppliciis, ut „ me, quibus præpositus fui in hac vita, sequantur ad illam „ æternam vitam, ad quam per hujusmodi iter facilè perveni„ tur „. Tunc Maximus jussit eum recludi in carcere & catenis gravari: quò perductus Vir Dei in preces procubuit, gratias Deo de sibi propter ipsum illatis contumeliis agens; ac rogans, ut qui in eo carcere detinebantur, sentirent se cultorem veri Dei esse, & crederent, alium non esse Deum nisi Ipsum. Mediâ autem nocte apparuit splendor magnus in carcere; quem cùm vidisset Marcellus custos aperuit carcerem, & ad Beati Quirini pedes sese prostravit dicens cum lacrymis: *Ora pro me Dominum, quia credo non esse alium Deum nisi quem tu colis*. Multùm ergo eum hortatus Sanctus Episcopus fuit & in nomine Domini Jesu Christi consignavit (hoc est catechumenum fecit, ni velis quòd eum baptizarit.)

III. Post triduum Maximus Beatum Quirinum Sisciâ ad Amantium Præsidem ad primam Pannoniam deduci jussit, ut ab isto ultimam sententiam exciperet. Ibat ergo per singulas Civi-

Civitates ad ripam Danubii vinctus catenis Sanctus Episcopus ad primam Pannoniam: cùmque illuc pervenisset, offertur Amantio è Civitate Scarabetensi (vel Scarab, vel ut aliqui putant modò Edemburg) eâdem die revertenti; eumque Præses ad Urbem Sabariæ, ut audiretur pergere jussit. Interim ad Sanctum Episcopum Christianæ Mulieres ingredientes, cibum ac potum ei obtulerunt: quarum fidem intuens S. Quirinus, dum ea quæ offerunt benedicit, catenæ quibus ligatæ manus ejus & pedes fuerant, illicò ceciderunt. Acceptâ igitur escâ, regressis mulieribus, hi qui eum custodiebant Sabariam duxerunt: ubi cùm Amantio sedenti in theatro oblatus fuisset ac interrogatus an adhuc in sua superbia permaneret, respondit Quirinus: „ Apud Sisciam verum Deum confessus sum, ipsum semper colui, ipsum corde teneo: nec me ab eodem, qui unus Deus „ & verus est, homo poterit separare „. Tunc Amantius ejus ætatis misertus cœpit eum adhortari, ut tormenta & mortem declinans Legum Romanarum cultorem se exhiberet. Sed Quirino vitam longiorem & omnia, propter Christum & æternitatem, contemnente, Amantius post varias passiones jussit Sancto Dei molam ad collum alligari & in Sibarim fluvium demergi: cùmque de ponte præcipitatus fuisset & diutissimè supernataret, & cum spectantibus ne suo terrerentur exemplo locutus, vix orans ut mergeretur obtinuit. Ejus corpus non procul à loco in quo mersum fuerat inventum est, & deinde in Basilica ad Scarabetensem Portam depositum.

IV. Passus fuit S. Quirinus Sisciensis Episcopus, ut ferunt Acta, pridie Nonas seu quartâ Junii: quâ die eum Martyrologia colunt. De eo Prudentius Hymnum edidit, in quo Judicem qui eum morti addixit non Amantium sed Galerium vocat. Cui adhærens Martyrol. Rom. 4. Junii dicit: *Sisciæ in Illyrico S. Quirini Episcopi, qui sub Galerio Præside pro Fide Christi, ut Prudentius scribit, molari saxo ad collum ligato in flumen præcipitatus est; sed lapide supernatante, cùm circumstantes Christianos, ne ejus terrerentur supplicio neve titubarent in Fide, diù fuisset hortatus, ipse ut Martyrii gloriam assequeretur, precibus à Deo ut mergeretur obtinuit*. Ejus Martyrium anno 309. contigisse fertur: cùmque ab anno 307. Licinius in Pannonia imperaret, sub eodem S. Quirinum fuisse passum credi potest.

V. S. Petrus, dictus paterno nomine Balsamus, ex finibus Eleutheropolis Urbis, in Judæa celeberrimæ (quæ secundùm aliquos antiqua Hebron fuit) oriundus, Maximiano Galerio Imperium regente; apud Aulanam (seu Aulonam Civitatem com-

comprehensus fuit & Severo Provinciæ Præsidi præsentatus. Ab eo interrogatus, quodnam illi esset nomen? respondit: „ Nomine paterno Balsamus dicor; spirituali verò nomine quod „ in Baptismo accepi, Petrus dicor „. Quæsitus de genere respondit „ Christianus sum „ de officio ait „ hôc majus officium „ habere non possum. Et quid esse potest hoc melius, quàm ut „ sim Christianus? „ Post hæc quæsitus, an parentes habeat? apertè respondit: non habeo: cùmque Judex ei diceret: mentiris, audivi enim te parentes habere; Petrus viro Evangelico verè dignum responsum dedit, nimirùm „ In Evangelio mihi „ præceptum est omnia denegare, cùm ad nominis Christiani „ venero confessionem.

VI. Tunc Judex, nosti, inquit, quid præceperint Imperatores? præceperunt, ut omnes Christiani aut sacrificent aut diversis pœnis moriantur? „ Novi (respondit Petrus) quid Deus „ meus, qui verus & perpetuus universorum Rex est, mihi „ præcipiat: en sui Edicti verba. Si quis sacrificaverit Dæmoniis & non soli Deo, eradicabitur: quid ergo melius est, à te „ perire, aut à Deo vero in perpetuum eradicari? tu judica, si „ verè est in te aliqua justitia „. At his Judex nihil motus, audi me, inquit, & sacrifica Diis & comple jussa Principum. „ Ego „ respondit Petrus, non sacrifico manufactis Diis ligneis & lapideis, quales vos adoratis. „ Præses dixit, injuriam nobis facis: nescis, quia potestatem habeo occidendi te? Tunc Vir Dei ait: „ Nullam tibi injuriam facere intendo, sed quod scriptum est in Lege Dei, hoc dico: *Simulacra*, inquit, *gentium* „ *argentum & aurum, opera manuum hominum*: deinde subdit: „ *Similes illis fiant qui faciunt ea & omnes qui confidunt in eis*; „ si hoc dicit Deus per Prophetam & Spiritum Sanctum, quomodò mihi dicis, quòd injuriam tibi fecerim, quia dixi, similem te esse lapidibus & lignis mutis & surdis, in quibus „ Dæmonia colitis, & me persuades tibi similem fieri?

VII. Severus tamen veritati adeò claræ oculos claudens, adhuc ei dicit: audi me, miserere tui & sacrifica. Petrus verò respondet: „ Tunc mei misereor, si non sacrificavero & a veritate non discessero: sed quia Infidelis es & nec mihi credis „ nec Legi Divinæ, quia qui Dæmoniis sacrificat eradicabitur, & semper mihi hoc ingeris; fac quod tibi jussum est „. Quamvis autem Judex eum suaderet; ut secum cogitaret & sacrificando se salvum faceret, fortior tamen Petrus: „ Superfluè, „ inquit, me persuades; fac jam quod facturus es & adimple „ opera patris tui Diaboli: nam ego quod suades non sum fa-

„ ctu-

„ cturus; nec Dominus meus Jesus quem colo hoc permittat.

VIII. His exasperatus Præses jussit eum suspendi, dumque extenderetur dixit: Petre, sentisne angustias corporis tui? quid dicis? numquid vis sacra reddere? Sanctus Petrus respondit: „ Ego soli Deo meo, pro cujus amore patior, sacrifico: ubi „ sunt ungulæ ferreæ quibus lacerer? „ Tunc jussit Præses atrociter illum torqueri; at dum torqueretur, nec vocem doloris dabat, sed lætus psallebat: „ *Unam petii à Domino, hanc re-* „ *quiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*: „ & iterùm: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mi-* „ *bi? Calicem Salutaris accipiam & nomen Domini invocabo.* „ Hæc illo loquente magis accensus Præses, alios carnifices jussit accedere. Turba verò adstans, cùm videret nimium sanguinem excurrere per pavimentum, dolens dicebat ad eum: miserere tui, ò homo, & sacrifica, ut te liberes ab his crudelissimis pœnis. Sanctus verò Martyr respondit: „ Hæ pœnæ nullæ sunt, „ nec mihi aliquem incutiunt dolorem: quòd si negavero no- „ men Dei mei, in veras pœnas & in majora tormenta perpetua „ ingressurum me esse cognosco „: demum Judice ut sacrificaret hortante, Petro verò negante, ad sententiam ventum est, nimirùm: Petrum jussa Principum contemnentem, ut obediat Legi Dei sui crucifixi, sententiam subire Crucis præcipio. Ita hic gloriosus Christi Athleta complens agonem suum, dignus effectus est passioni Domini sui conformari apud Aulanam seu Aulonam Civitatem 3. Januarii, quâ die in Martyrologiis etiam Romano colitur.

IX. Eusebius Lib. de Mart. Palæstinæ cap. 10. cujusdam Petri Martyrium refert cognomento *Aspelami*, qui sub Maximino & ipse passus fuit. Hunc ob similitudinem nominis Aspelami eundem ac Petrum Balsamum esse, aliqui arbitrati sunt. Patria Eutheropolis utrique communis est, & similiter passionis annus; alia tamen discordant, & præcipuè qualitas & locus Martyrii. Petro Aspelamo Ascetæ nomen Eusebius tribuit, quales tunc vocabantur Christiani, qui austeriorem & magis solitariam vitam agebant, unde nomen Monachi ortum est. Admodùm juvenis erat cùm captus fuit; ideòque Judex & adstantes eum hortabantur, ut suæ juventutis misereri vellet; sed ille constans omnia contemsit propter Deum: ideòque tanquam aurum igne probatus, Cæsareæ in Palæstina Martyrium consummavit 11. Januarii sexto Persecutionis anno, nempè Christi 309. inchoato. Hoc ita refert Eusebius. *Petrus Asceta, qui & Aspelamus vocabatur, ortus ex vico Anea in Agro Eleutheropolita-*

no:

no: velut aurum purissimum per ignem probatus, suæ in Christum Fidei in Urbe Cæsarea illustre specimen edidit: nam & Judicem ipsum, & cunctos qui ei apparebant identidem hortantes ut sui ipsius misereri vellet, generoso animo despexit; & spem, quam in conditore omnium Deo collocaverat, omnibus rebus ipsique adeò vitæ suæ antepofuit.

X. Addit Eusebius, simul cum Aspelamo eodem igne crematum fuisse quemdam nomine Asclepium, quem Episcopum Sectâ Marcionitam dicit: atque ita duo homines visi fuerunt in eodem rogo positi, ambo pro eadem causa in speciem combusti, differenti tamen exitu; nam Petrus à flammis, quæ ejus holocaustum consumserant, in Cœlum elatus fuit; Asclepius verò cœpit in eodem igne experiri tormenta, quæ passurus erat per totam æternitatem: *Cùm hoc* (inquit Eusebius) *Asclepius quidam, qui Sectæ Marcionitarum Episcopus esse ferebatur, zelo quidèm ut ipse existimabat pietatis adductus, sed non illius quæ est secundùm scientiam: uno eodemque nihilominùs rogo consumtus, ex hac luce migravit.*

XI. S. Petri Aspelami Martyrium in Menol. Basilii die 11. Januarii ita celebrant Græci: *Sanctus Martyr Petrus in pago Anea apud Eleutheropolim natus, corpore robusto sed Fide in Christum robustior, ab adolescentia senilem prudentiam præseferebat, cùm doceret omnes ab Idolis secedere, & ad Christum solum verum Deum hominumque Servatorem accedere. Quæ cùm de illo accepisset Eleutheropolis Præses, missis satellitibus comprehensum compellebat Christum ejurare: sed cùm ad id illum inducere nequiret, præcepit ut in ardentem fornacem ignis injiceretur: in quam immissus Sanctus, per multas horas gratias agens Deumque pro totius Mundi Sanctarumque Ecclesiarum tranquillitate orans, decessit.* Ita Græci in hoc solùm ab Eusebio discordes, quòd iste vult eum fuisse passum Cæsareæ in Palæstina, illi verò Eleutheropoli.

§. XL.

SS. Pamphilus Valens Paulus Porphyrius & alii Martyres.

I. Sanctus Pamphilus Presbyter sapientiâ pietate & tandem Martyrio Ecclesiæ Sacerdotium illustravit. Tanti illum fecit S. Hieronymus, ut L. de Script. Eccles. cap. 75. dicat: *Pamphilus Presbyter Eusebii Cæsariensis Episcopi necessarius, tanto Bibliothecæ Divinæ amore flagravit, ut maximam partem Origenis*

nis voluminum suâ manu descripserit, quæ usque hodie in Cæsariensi Bibliotheca habentur. Sed & in duodecim Prophetas viginti quinque exegeseon (ideſt expoſitionum) *Origenis volumina manu ejus exarata reperi, quæ tanto amplector & servo gaudio, ut Cresi opes habere me credam* &c.

II. Ejus propterea virtutes ſummis laudibus celebrat Euſebius L.6.Hiſt.cap.32.L.7.ca.32., & L.de Martyr.Palæſtinæ cap. 11., ubi de ipſo ait: *Vir toto vitæ suæ tempore in omni virtutis genere spectatissimus, seu fugam & contemtum seculi consideres, seu bonorum largam in pauperes erogationem, seu secularium bonorum ad quos aspirare poterat despicientiam, seu denique arctioris & Philosophicæ cujusdam vitæ exercitationem; sed præ cunctis nostræ ætatis hominibus eminuit in eo Viro ardentissimum studium sacrarum litterarum, & in iis rebus, quas sibi perficiendas proposuerat, indefessa laboris assiduitas & diligentia: ad hæc singularis in proximos cunctosque, qui ad ipsum accesserant, beneficentia. Hujus Viri reliquas virtutes resque præclarè gestas, quæ prolixiorem orationem desiderant, jam pridem nos in peculiari opere, quod de ejus vita conscripsimus, tribus libris complexi sumus* (hi tamen libri Euſebii ad nos non pervenerunt.) Hoc certum eſt, Euſebium Pamphili amiciſſimum cum eo convixiſſe, adeo ut ab eo nomen *Pamphili* ſumſiſſe aliqui putent apud Photium Bibl. Cod.13.

III. Ex his colligitur, S. Pamphilum genere fuiſſe clarum, opibus potentem & in patria (quam aliqui Berytum putant) prima ſtudia perfeciſſe, in quibus præcipuè Rhetoricis & Philoſophicis mirè profecit: abjectis tamen ſeculi illecebris celebrior evaſit terrenorum contemtu, ac bonorum in pauperes diſtributione. Cæſareæ in Palæſtina ab Agapio poſt Theotecnum illius Urbis Epiſcopo in Presbyterum ordinatus illius Eccleſiæ ornamentum fuit, ut ait Euſebius L. 7. cap. 32., qui Agapio in Epiſcopatu ſuccedens Pamphilum jam Presbyterum invenit, quem videns totum pietatis operibus & in ſacrarum literarum ſtudiis promovendis infatigabilem, arctâ ſibi familiaritate, ut dicebam, adjunxit.

IV. Tanta virtus Paganorum invidiam & maximè Urbani tunc Provinciæ Præſidis excitavit, qui labente anno 307. Perſecutionis quinto Pamphilum comprehendi juſſit. *Ac primùm quidèm* (Euſebius L.de Martyr. Palæſt. cap. 7.) *Urbanus ejus tum in arte dicendi, tum in Philosophia peritiam experimento aliquo agnoscere voluit: deinde sacrificare illum jubens, cùm renuentem minasque ipsius aspernentem videret, supra modum efferatus gravioribus eum tormentis excruciari præcepit. Post hæc angularum,*

quibus latera ejus perſulcaverat, crebritate ac pertinaciâ tantùm non carnibus illius paſtus vir immaniſſimus, cùm ex his omnibus nihil præter dedecus atque ignominiam retuliſſet, tandem illum cæteris qui in carcere erant Confeſſoribus aggregavit. Debitas tamen ob ſævam immanitatem, quam in hunc & alios Sanctos Urbanus exercuerat, pœnas luit; nam (ut ait idem Euſebius ibi) è gubernio dejectus ob crimina quæ patraverat, & omnibus opprobrium factus, ejuſdem Maximini Imperatoris, quem antea protectorem habuerat, juſſu capitali ſententiâ damnatus fuit.

V. Pamphilus in carcere diù detentus, in eo ſocium habuit etiam ipſum Euſebium, atque ibi Apologiam pro Origine ſimul edidiſſe feruntur (Phot. Bibl. Cod. 118.), quam ad eos qui fuerant ad metalla damnati tranſmiſerunt. Euſebius tamen eſtò Pamphilo in carcere ſocius, ei tamen ſocius non fuit in corona Martyrii, ſed vel quia promiſit facere, vel quia fecit quod non licebat, è carcere liber evaſit: propterea in Tyrienſi Synodo (apud Athanaſ. Apolog. contra Arianos) accuſatus fuit, quòd Idolis ſacrificaſſet. Et Epiphanius hæreſ. 68. inducit Potamonem, qui cùm vidiſſet Euſebium in Concilio Tyri tanquam Judicem ſedentem, & S. Athanaſium ſtantem tanquam reum, voce magnâ invectus eſt contra Euſebium & dixit: *Tu ſedes, Euſebi, & Athanaſius innocens exiſtens à te judicatur? quis tulerit talia? Nonne mecum fuiſti in carcere tempore Perſecutionis? Et ego quidèm oculum amiſi pro veritate, tu verò nihil mutilatum in corpore habere videris, neque teſtimonium per confeſſionem præbuiſti, ſed ſtetiſti videns nullâ parte detruncatâ. Quomodò diſceſſiſti è carcere, niſi quòd promiſiſti his, qui neceſſitatem Perſecutionis nobis intulerunt, id quod nefarium eſt te facturum eſſe, aut ſanè feciſti? Quæ cùm audiſſet Euſebius, indignatione quidèm commovebatur, & ſurrexit ac diſſolvit judicium.* Hæc de Euſebio: quæ tamen hìc non vacat diſcutere.

VI. Modò S. Pamphili Martyrium expendendum eſt, cujus initium ſub Urbano Præſide anno 307. collocavi. Urbano autem, ut dixi, capite truncato, Firmilianus, qui tum in munere tum in ſævitie ei ſucceſſit, S. Pamphili Martyrium complevit, poſtquam ferè biennio in carcere detentus fuit, nimirùm ab an. 307. ad annum 309. 16. Januarii. Socios in paſſione habuit SS. Valentem & Paulum, qui cum ipſo jam in tormentis ſuam in Fide conſtantiam teſtati fuerant. Valens Euſebio teſte L. de Mart. Palæſt. cap. 11. erat *Urbis Æliæ* (Hieroſolymæ) *Diaconus, auguſtâ canitie conſpicuus, ipſoque aſpectu venerabilis ſenex, qui Divinas Scripturas præ cæteris egregiè callebat. Eas enim uſque adeò*

fideli

fideli memoriâ complectebatur, ut nihil omninò interesset, an ex Codice ipso legeret. Paulus Jamnitarum oppido oriundus erat, vir in agendo fervidus & ardore spiritus plenus, qui ante Martyrium candentis ferri exustiones perpessus confessionis coronam retulerat.

VII. His tribus memoratis (prosequor ex Eusebio) occasionem Martyrii præbuit quorumdam quinque Ægyptiorum fratrum adventus, qui cùm præcedente anno Confessores quosdam ex Ægypto in Ciliciam ad metalla ibi damnatos honoris causâ comitati fuissent, dum reverterentur in patriam, ad ipsas Urbis Cæsareæ portas interrogati à Custodibus, quinam & unde profecti essent, rem ut erat confessi, protinùs vinciuntur; qui ad Tyrannum Maximinum perducti, & coram illo liberè locuti, detrusi sunt in carcerem: postridie verò, ideft ante diem 16. Februarii, unà cum Pamphilo & sociis Valente & Paulo ex mandato Judici exhibentur. Convenerant hi Ægyptii, ne imposterùm propriis nominibus, quæ fortè erant nomina Idolorum, invicem appellarentur, sed assumserant nomina Prophetarum Eliæ Jeremiæ Isaiæ Samuelis & Danielis.

VIII. Qui ergo inter illos præcipuus videbatur, tormentis excruciatus à Firmiliano Judice, interrogatus quo nomine vocaretur, uno ex his nominibus puta Eliæ se appellari respondit. Judex de tali nomine vim ejus non percipiens nihil sollicitus, de patria quæsivit: cui respondit, sibi patriam esse Jerusalem, illam scilicet Jerusalem quæ cœlestis est intelligens, de qua Paulus Galat. 4. v. 26. ait: *Illa autem quæ sursùm est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra*. Judex tamen in terreno sensu ista accipiens, quænam & ubi esset ista Civitas anxiè inquirebat, tormentis etiam illum adigens ut diceret veritatem: sed ille manus post tergum retortas pedesque novis quibusdam machinis luxatos habens, verum se dixisse affirmabat. Interrogatus iterùm ac sæpiùs, quænam esset Civitas & ubi terrarum sita (quo apparet, Jerusalem sub hoc nomine fuisse tunc etiam in Palæstina ignotam, fortè enim Æliæ nomine vulgabatur) respondit, eorum dumtaxat, qui veri Dei cultores essent, hanc patriam esse & ad Orientem sitam. Firmilianus animo æstuans, ratus, hanc Urbem quamdam esse, in qua adversùs Romanos se munire Christiani cogitarent, cùm nec flagris nec aliis cruciatibus quidquam aliud à Martyre extorquere posset, capitali eum sententiâ damnavit. Reliquos deinde quatuor Ægyptios, cùm simili certamine exercuisset, pari quoque mortis generi addixit.

IX. Fessus deinde Judex ad Pamphilum ejusque socios transit; ac videns, se frustrà Christianos tentare suppliciis, expertus

enim fuerat quantâ constantiâ cruciatus superassent, ab eis ulteriùs torquendis abstinuit; solùmque ab eis quæsivit, an in contumacia adversùs Imperatorum Edicta adhuc persisterent? Cùmque nihil aliud à singulis elicere potuisset præter ultimam, quæ in Martyrio fit, Fidei confessionem, eodem quo supradictos supplicio eos affecit.

X. Post hæc adolescens quidam nomine Porphyrius ætatis annorum 18. ex familia Pamphili, & sub ejus disciplina & convictu sanctè educatus, simul atque sententiam in Dominum suum latam esse cognovit, è medio Turbæ exclamans, ut mortuorum cadavera sepulturæ saltem traderentur, postulavit. At Judex, non hominis sed belluæ aut si quòd etiam belluâ tetrius est dignus nomine, nullam ætati veniam indulgens, postquam interrogatum juvenem Christianum esse ex ipsius confessione didicit, statim, quasi telo aliquo sauciatus, mandavit tortoribus, ut totis viribus in adolescentem sævirent. Postea sacrificare eum jubens, cùm renuentem videret, adolescentis latera ad ipsa usque ossa & intimos viscerum recessus absque ullis induciis sulcari præcepit. Quod cùm diutiùs fieret, nec adolescens vocem aut sensum doloris ederet, ac si prorsùs sine anima esset, nihil ejus patientiâ permotus, sed majori sævitiâ accensus Judex, statim vivum cremari præcepit; quod ingenti rogo peractum fuit: sicque qui postremus stadium ingressus fuit, primus coronam accepit etiam ante Pamphilum dominum suum, cùm ministri in exequenda circa ipsum & socios sententia moram traherent. Ibat ergo ad supplicium intrepidus, & pallio ut consueverat indutus, velut ad triumphum: cùmque accessisset ad rogum accensum, ipse hinc inde flammam ore attrahebat, nec aliam vocem emisit, nisi invocando adjutorem Dominum Jesum, quando ipsum flamma contingere cœpit. Hujusmodi certamen Porphyrii fuit.

XI. Hujus consummationem cùm Confessor quidam nomine Seleucus origine Cappadox olim militiam professus S. Pamphilo renuntiasset, confestim socius in Martyrio aliis meruit adjungi. Nam vix mortem Porphyrii nuntiaverat & unum ex Martyribus osculo salutarat, subitò Milites correptum ducunt ad Præsidem, qui perinde ac si Porphyrio in Cœlum tendenti comitem eum adjungere voluisset, illicò eum capitali supplicio plecti jussit. Seleucus ætatis flore & proceritate corporis ac robore inter lectos Romanæ Militiæ juvenes non mediocrem honoris gradum fuerat adeptus: at sub initiis Persecutionis (fortè anno 298. quo Maximianus Galerius Milites Christianos per-

ſequebatur) flagrorum verbera perpeſſus, & Confeſſoris titulo decoratus, abjectâ Militiâ totum ſe pietatis operibus dedit, ac viduis pupillis omni ope deſtitutis, egenis quoque & infirmis, inſtar patris cujuſdam aut curatoris inſpectorem ſe & curatorem exhibuit. Is ergo eâdem die quâ Pamphilus cum aliis Martyrio coronatus Cœlum ordine decimus introivit: adeò ut illâ die portæ Cœli plus ſolito Martyrum ingreſſui patuiſſe viderentur.

XII. De facto S. Seleucum & alios undecimus ſecutus fuit Theodulus. Erat is Vir gravis & religioſus ſenex, unus ex Præſidis familia, & ab ipſo Firmiliano præ cunctis domeſticis honoratus, partim ob ſenectutem & quòd tertiæ jam ſtirpis nepotes haberet, partim ob ſinceram fidem quam ipſi perpetuò præſtiterat: at cùm deoſculando unum ex Martyribus imitatus fuiſſet Seleucum, deductus ad dominum, magis illum quàm ſuperiores exacerbavit. Unde ſtatim in crucem actus eodem quo Salvator noſter Martyrio defunctus eſt.

XIII. Deerat adhuc unus, qui duodecim ſive Apoſtolorum ſive Prophetarvm numerum impleret: huic conſummando Julianus adfuit. Erat hic Cappadox patriâ, moribus verò religioſiſſimus & Spiritu Sancto plenus: qui Cæſaream peregrè adveniens eâdem die, quâ hæc contigerant, necdum Urbem ingreſſus prænuntium omnium accepit. Statim ergo ad ſpectaculum contendit; cùmque Sanctorum Cadavera humi jacentia vidiſſet, gaudio diffuſus ſingulos complexus honorificè ſalutavit: quo in facinore comprehenſus à Militibus, qui cædium miniſtri erant, perducitur ad Firmilianum; qui à ſolita crudelitate nequaquam deſciſcens, ingenti rogo eum comburi præcepit.

XIV. Horum ſacra Corpora juſſu impii Præſidis per quatuor continuos dies totidemque noctes additis Militum excubiis expoſita manſerunt, ut à carnivoris beſtiis laniarentur: ſed cùm præter omnium expectationem nec fera nec volucris ulla nec canis ad ea accederet, tandem Divinâ ordinante Providentiâ integra atque illæſa aſportata ſunt, omnique funebri cultu, ut par erat, ornata & curata conſuetæ tradita ſunt ſepulturæ. Paſſi ſunt 16. Februarii anni 309.: quâ die Martyrol. Rom. Sanctorum quinque Ægyptiorum & Porphyrii ac Seleuci Martyrium his verbis celebrat: *Cæſareæ in Palæſtina Sanctorum Martyrum Ægyptiorum Eliæ Jeremiæ Eſaiæ Samuelis & Danielis, qui cùm ſpontaneè miniſtraſſent Confeſſoribus in Cilicia ad metalla damnatis, inde revertentes comprehenſi, & à Firmiliano Præſide ſub Maximino Imperatore ſæviſſimè torti, gladio demum cæſi ſunt. Poſt quos S. Porphyrius Pamphili Martyris famulus, & S. Seleucus Cappadox,*

dox, qui iteratis certaminibus sæpè vicerant, alter incendio, gladio alter Martyrii coronam acceperunt. Die verò 17. Februarii de SS. Theodulo & Juliano agens: *Cæsareæ*, inquit, *in Palæstina Sancti Theoduli senis, qui ex familia Præsidis Firmiliani, Martyrum excitatus exemplo, cùm Christum constanter confiteretur, cruci affixus Martyrii palmam nobili triumpho promeruit. Ibidem Sancti Juliani Cappadocis, qui exosculans necatorum Martyrum Corpora, ut Christianus delatus & ad Præsidem ductus, lento igne jussus est comburi.*

De SS. verò Pamphilo Valente & Paulo idem Martyrol. memoriam differt ad diem 1. Junii, ubi ait: *Cæsareæ in Palæstina Beati Pamphili Presbyteri & Martyris viri admirandæ sanctitatis & doctrinæ, atque in pauperes munifici, qui ob Christi Fidem in Persecutione Maximini primò sub Urbano Præside cruciatus & in carcerem trusus, deinde sub Firmiliano iterùm revocatus ad pœnas unà cum aliis Martyrium consummavit. Passi sunt etiam tunc Valens Diaconus & Paulus aliique novem, quorum memoria aliis diebus celebratur.* Græci tamen in Menol. Basilii de omnibus eâdem die 16. Februarii memoriam agunt.

XV. Cùm illustre horum duodecim Martyrum certamen in ore omnium adhuc versaretur, Adrianus & Eubulus ex regione Manganæa Cæsaream ad reliquos Confessores profecti, in ipso Civitatis introitu perinde ac cæteri interrogati sunt, cujus rei gratiâ advenissent; confessique id quod res erat, Firmiliano exhibentur: qui illicò de more ferus, post crebra ungularum verbera quibus latera eorum sulcaverat, eos ad bestias damnavit. Biduo igitur interjecto, die 5. Martii quâ natalis Genii publici seu fortunæ celebratur, Adrianus leoni objectus ac deinde gladio transfixus Martyrium consummavit. Eubulus verò post duos dies nempe 7. Martii, cùm suasiones ac preces Judicis ut sacrificaret contemsisset, post bestias & ipse jugulatus est, & ita Cæsariensium Martyrum certamina ultimus consignavit. Hactenùs cum Eusebio L. 1. de Mart. Palæst. cap. 11. ferè ad verbum locutus sum: qui addit, quòd Providentia Divini Numinis impios illos Præsides dignâ ultione mulctavit: etenim (præter Urbanum, de quo supra) Firmilianus, qui Martyribus Christi adeò contumeliosè insultaverat, cum aliis extremo supplicio addictus capite truncatus est.

Horum duorum Martyrium Martyr. Rom. celebrat, Sancti Adriani quidèm 5. Martii, S. Eubuli verò die 7., quibus diebus de facto evenit, ut dixi: Græci verò in Menol. Basil. de utroque simul agunt die tertiâ Februarii.

CA-

CAPUT XIV.

Continuatio Persecutionis sub Licinio.

§. I.

Galerii & Maximini Exitus.

I. DImisso à Diocletiano & Maximiano Herculio artibus Maximiani Galerii Imperio anno 305., sub Galerio & Maximino ad Imperium assumtis, Persecutio Christianos usque ad annum 310. vehementer afflixit. Deus tamen Servorum suorum miseratus de hostibus eorum ac suis debitam ultionem sumsit. Anno igitur Persecutionis nono (Christi verò 311.) seu decimo ineunte ut vult Eusebius L. 8. Hist. cap. 16., Galerium Persecutionis præcipuum incentorem pœna cœlitùs inflicta corripuit, ab ipsis exorta carnibus ad animam usque progressa: quæ anno integro eum afflixit; totum enim corpus ejus putrescere cœpit, ut ex illo vermes scaturirent, adeò ut nec medicinæ nec Deorum suorum ope, quos invocaverat, ullum levamen sperare posset. Quare doloribus, quibus in dies magis cruciabatur, verum Deum, quem antea fuerat persecutus, velut alter Antiochus confiteri coactus, promisit, in suorum criminum expiationem ejus Templa antea eversa se reædificaturum. Cujusdam Medici consilio hoc fecisse refert Ruffinus L. 8. cap. 18.. Hic enim vocatus, ut aliquod ei afferret remedium liberrimè dixit: „ Falleris, Imperator, si putas, homines „ sanare posse ægritudines, quas Deus in pœnam immittit: in- „ firmitas hæc humana non est, quæ nostris remediis cedere „ possit. Memor esto malorum, quibus servos Dei afflixisti, „ & quibus erga ipsum ac suam sanctam Religionem impius fui- „ sti, & hinc videbis, à quo tuo morbo implorare remedium „ possis. Hoc nec aliud tibi suggerere possum. Vitam, ut aliis „ fecisti, mihi adimere potes, sed vi medicinæ salutem sperare „ non potes „. Hæc Medicus ille fortè Christianus.

II. Hæc cùm Galerius audisset (inquit Eusebius L. 8. cap. 18.) *Intelligere cœpit, quæ in cultores Dei admiserat scelera. Totâque mentis acie in semetipsum conversâ, primùm quidèm Conditori omnium Deo errorem suum confessus est: convocatis deinde Palatii sui Proceribus, absque ulla dilatione Persecutionem Christianorum cohibere eos jubet, & Ecclesias illorum quantociùs exstruere Imperiali Re-*

Rescripto præcipit, quo Christiani Sacra sua solito more peragere possent, ac pro Imperatore preces ad Deum fundere. Confestim igitur, verba subsequentibus factis, per singulas Urbes proposita sunt Edicta palinodiam erga nos continentia. Hæc Eusebius, qui subinde ea per extensum refert: quod præstitit etiam Lactantius L. de Mort. Persec. cap. 35. Edicta hæc, præfixo nomine omnium, qui tunc imperabant, affixa fuere Nicomediæ 30. Aprilis ejusdem anni 311. & inde publicata in omnibus Provinciis Minoris Asiæ, Ponti, Bithyniæ, Galatiæ, & aliis Galerii jurisdictioni subjectis.

III. Maximinus tamen qui in Syria & Ægypto regnabat, *Vir* (ait Eusebius L. 9. Hist. cap. 1.) *omnium hominum impiissimus & Divinæ Religionis hostis acerrimus, cùm hujusmodi litteræ ei displicerent, loco Rescripti, quod propositum fuisse memoravimus, verbis dumtaxat mandavit Judicibus suis, ut ab oppugnatione nostrorum abstinerent. Nam cùm alioqui minimè auderet potiorum voluntati ac sententiæ refragari, suppresso Edicto illo . . . omnique curâ ac cautione adbibitâ, ne per Provincias Imperii sui publicè proponeretur, ipse nudâ voce Rectoribus Imperio suo subjectis præcepit, ut Persecutionem adversùs nostros inhiberent. Quod quidèm mandatum ipsi sibi invicem Rectores per litteras significarunt.* Inde refert Eusebius Epistolam Sabini Præfecti Prætorii super hoc ad Provinciarum Præsides, omnia continentem, quæ in Edicto Imperatorum, excepto quòd de reædificandis Ecclesiis non loquitur.

IV. Vi hujus Imperatorum concessionis Præsides à Persecutione cessarunt, ac ut idem facerent Magistratus cæterique inferiores Ministri demandarunt; quare Fideles omnes sive in carceribus inclusi sive ad metalla damnati liberi dimissi sunt, & laudantes Deum solitos cœtus magno numero frequentare & Ecclesias reædificare cœperunt. Quod describens Eusebius dicto L. 9. cap. 1. ait: *His ad hunc modum confectis repentè instar cœlestis cujusdam lucis, quæ post densissimas noctis tenebras exoritur, Ecclesias in singulis Civitatibus congregatas, & frequentissimos Christianorum concursus, & Collectas ibidem ex more fieri solitas cernere licebat. Ex quo Infidelium Populos ingens pervaserat stupor, cùm tantam tamque insperatam rerum conversionem admirarentur. Exclamabantque solum magnum & verè Deum esse qui à Christianis colereretur . . . . Sic igitur numerosa nostrorum agmina per vias publicas & per fora Deum hymnis & canticis celebrando iter suum peregerunt. Et qui paulò ante cum summa acerbitate vincti, & ex patria fuerant expulsi, eos tunc læto atque hilari vultu sua domicilia postliminio recuperantes vidisses: adeò ut illi ipsi, qui priùs cædem nobis*

nobis atque excidium minabantur, tam insperatæ rei miraculo attoniti nobis gratularentur. Ita Eusebius.

V. Interim Christiani secundùm monitum Pauli pro Galerio etsi scelesto, preces ad Deum fundere non cessabant; sed iste Divinâ misericordiâ se indignum reddidit: nam non solùm criminis sui veniam à Deo non postulabat, sed fastu & arrogantiâ tumens Christianos oderat, eos omni supplicio dignos esse pronuntians, & suâ clementiâ præservari. Quare Deus nedum sanitatem ei non concessit, sed brevì ademptâ ei vitâ ad æterna transire fecit supplicia. Mortis ejus ante finem Maii Nicomediam perlato nuntio, Maximinus in possessionem Asiæ sese statim immisit: sed cùm Licinius omnia, quæ sub Galerii dominio fuerant, sibi vindicare vellet, ac proinde bellum imminens esset; amicabiliter conventum est, ut quidquid Galerius in Asia possederat Maximino cederet, quidquid verò in Europa Licinii esset.

VI. Ejusmodi tamen pax belli adversùs Christianos innovatio fuit in Oriente. Cùm enim mortuo Galerio Nicomediam Maximinus venisset, occurrerunt ei Pagani sua Idola ante ipsum ferentes, & ut Christianos expelleret enixè rogantes. Placuit Maximinino hæc petitio; ei tamen se annuere non posse respondit, sed velle Mundum in sua relinquere libertate. Hoc autem dixit, quia cùm in illis partibus ingens esset Christianorum numerus, ac sibi à Licinio bellum timeret, noluit tantam multitudinem adversùm se provocare. Non diù post tamen ab hoc timore liber, protulit litteras manu suâ subscriptas, quibus permittebat Urbium Magistratibus ut impedirent ne Christiani cœtus suos in cœmeteriis habere & Ecclesias intra mœnia Urbium erigere possent: atque ita, ut notat Eusebius L. 8. cap. 2., ne sex quidem mensibus integris permissum fuit Christianis concessâ libertate gaudere.

VII. Huic maximum incentivum dedere Antiochenses, qui loco maximi beneficii postularunt, ne cuiquam Christianorum Antiochiam incolere liceret, auctore Theotecno viro violento versuto atque improbo, qui tunc in illa Civitate Curatoris officium gerebat. Hic cùm antea variis artibus Christianos calumniari conatus fuisset, tandem simulacrum Jovis Philii magicis artibus consecratum erexit. Cùmque ad ejus cultum inania mysteria ac detestandas expiationes instituisset, compositis quibusdam oraculis, ad ipsum usque Imperatorem præstigiarum suarum specimen detulit: fœdâque adulatione gratiam ejus captans finxit Deum jubere, ut Christiani Urbe omnique territorio pel-

lerentur; quod illi ex sententia successit. Nam Magistratus omnes Maximino subjecti, stimulantibus quoque Idolorum Sacerdotibus, ut rem gratam Principi facerent, nihil non egerunt quod adversùs Christianos esse existimarent. (Eusebius L. 9. cap. 3. & 4.) Impius tamen Theotecnus debito tempore pœnas luit; nam ut ait idem Eusebius cap. 11.: *Licinius*, Maximino devicto, *cùm Antiochiam venisset & præstigiatores pervestigare ac deprehendere instituisset, inter cæteros etiam novi illius simulacri Prophetas & Sacerdotes tormentis subjecit, quâ ratione fraudem concinnassent, interrogans. Qui cùm veritatem ampliùs celare non possent, vi tormentorum adacti, totiusque mysterii scenam à Theotecno arte quâdam compositam fuisse faterentur, Licinius merito supplicio cunctos afficiens, primùm quidèm Theotecnum ipsum, deinde reliquos fraudis ac præstigiarum conscios ac participes post plurimos cruciatus interfici jussit.*

VIII. Redeundo igitur ad Maximini impietatem, iste non contentus Christianis vitam adimere, honorem eis quoque eripere, Christum ejusque Legem infamiâ notare tentavit. Acta enim quædam apud Pilatum super Servatore nostro habita confingi curavit (vel jam conficta prodidit) plena impietatis adversùs Christum: quæ illicò per omnes Provincias evulgari mandavit per litteras, ut ubique locorum tam in Urbibus quàm in oppidis & agris publicè proponerentur, & ut ipsi Ludimagistri pro dictatis declamanda & memoriæ commendanda pueris traderent, & sic horrorem contra Religionem Christianam à teneris annis conciperent. De quo Eusebius L. 9. cap. 5. ubi addit, quòd Dux quidam mulieres quasdam impudicas è foro tractas minis adegit, ut faterentur se olim Christianas fuisse, & flagitiorum quæ à Christianis patrantur conscias esse; eos in ipsis ædibus sacris obscœna quædam perpetrare asseverantes, & quæcumque alia ad infamandam Christianam Religionem Dux voluerat. Harum mulierum testimonia Actis inserta, & ad Imperatorem transmissa, ejus jussu ubique publicata sunt: verùm non longo post tempore Dux ille mortem sibi consciscens improbitatis suæ pœnas luit.

IX. Interea (pergit Eusebius cap. 6.) revixit Persecutio, adeò ut Christiani latebras iterùm quærere, Provinciarum Rectoribus contra eos insurgentibus, cogerentur; & multi, qui in Sacræ Fidei prædicatione excellebant, comprehensi capitali sententiâ damnati sint. Ex his apud Emesam tres Christianos se esse confessi bestiis objiciuntur: inter quos Silvanus Episcopus decrepitæ jam ætatis, qui per annos quadraginta ministerium obie-

obierat; Petrus quoque Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus vir sanctitate & doctrinâ celeberrimus Maximino jubente capite truncatur; atque cum ipso idem perpessi sunt alii quoquè Ægyptiorum Episcopi. Sed & Lucianus Antiochenæ Ecclesiæ Presbyter vir tum vitæ continentiâ tum sacrarum litterarum peritiâ conspicuus, perductus Nicomediam in qua tunc Maximinus morabatur, cùm confessionem Fidei quam profitebatur coram Præside edidisset, conjectus in carcerem trucidatur. (Hujus dum esset in carcere memorabile factum pro antiquitate Sacrificii Missæ retuli supra tom. 2. cap. 5. §. 3. num. 11.) Demum tot tantaque mala brevi tempore Christianis intulit ille omnis virtutis inimicus Maximinus, ut hæc Persecutio multò acerbior priore videretur, Eusebio teste.

X. Verùm tandem didicit, manum hominis nihil contra Deum posse. Pluribus enim dimissis nempè fame peste bellis quibus totum Imperium concussum fuit, Maximinus ipse à Licinio in prælio superatus & fugâ elapsus, Licinio cum exercitu eum insequente, ad abditos montis Tauri recessus & tandem Tarsum aufugit. Ibi videns, se terrâ & mari periculis expositum, nec ullum effugium inveniens, desperato consilio mortem sibi accersire decrevit. Vino igitur ac cibis immoderatè repleto stomacho venenum sumsit; sed cùm hoc propter abundantiam ciborum effectum suum statim parere non potuisset, tantum in visceribus ejus accendit ardorem tamque acerbos dolores, ut furore extra se raptus ac humi prostratus terram plenis manibus sumeret, eamqne famelici instar quatriduò deglutiret: & caput in parietibus collidens effossis oculis omninò cæcus evaderet. Tunc visu corporeo orbatus, oculos mentis aperire cœpit. Visus ei fuit Deus Judex Ministris stipatus albis vestibus indutis, super ipsum instituens judicium, quo miser, velut in tormentis interrogaretur, auditus fuit priùs clamare: Non ego hoc feci sed alii: deinde tamen reum se confessus, identidem gemens ac plorans veniam à Jesu Christo implorare non cessabat: sed nimìs serò, nam inter hæc miseram efflavit animam.

XI. Totum hoc refert Lactantius L. de Mort. Persec. c.49. ubi postquam dixit Maximinum Tarsum confugisse, subdit: *Ibi cùm jam terrâ marique perterreretur, nec ullum speraret refugium, angore animi ac metu confugit ad mortem, quasi ad remedium malorum, quæ Deus in caput ejus ingessit. Sed priùs cibo se infersit ac vino ingurgitavit, ut solent hi, qui hoc ultimò se facere arbitrantur, & sic hausit venenum; cujus vis referto stomacho repercussa, valere non potuit in præsens; sed in languorem malum versa est pestilentiæ simi-*

similem, ut diutiùs protracto spiritu cruciamenta sentiret. Jam sævire in eum cœperat virus, cujus vis cùm præcordia ejus ureret, insustentabili dolore usque ad rabiem mentis elatus est; adeò ut per dies quatuor insaniâ percitus haustam manibus terram velut esuriens devoraret: deinde post multos gravesque cruciatus, cùm caput suum parietibus infligeret, exsilierunt oculi ejus de caveis. Tunc demum amisso visu, Deum videre cœpit, candidatis Ministris de se judicantem. Exclamabat ergo sicut ii qui torqueri solent, & non se sed alios fecisse dicebat; deinde quasi tormentis adactus fatebatur, Christum subinde deprecans & plorans ut suimet misereretur. Sic inter gemitus, quos tanquam cremaretur edebat, nocentem spiritum detestabili genere mortis efflavit. Ita Lactantius, cui similia Eusebius refert L. 9. Hist. cap. 10.

XII. Sic Galerius & Maximinus eodem quo olim Antiochus (L. 2. Mach. cap. 9.) infelici ac turpi exitu vitam clauserunt, & sub omnipotentis Dei manu positi ejus condignam ultionem experti sunt. Hanc uterque sentiens, sicut ille, Deum, quem in servis suis persecutus fuerat, tandem agnovit oravit & multa ad ejus gloriam & Fidelium utilitatem se facturum pollicitus est: sed de utroque ut de illo verè dictum fuit: *orabat scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus*: quia nimis sera imò nec vera pœnitentia erat. Paucis ergo immediatè succedentibus annis tres ferocissimos Ecclesiæ suæ hostes prostravit Deus, anno 310. Herculium, 311. Galerium, & 313., Maximinum. Quare cum Lactantio L. de Mort. Persec. cap. 52. Deo gratias agendo dicere possumus: *Ubi sunt modò magnifica illa & clara per gentes Joviorum & Herculiorum cognomina, quæ primùm à Dioclete ac Maximiano insolenter assumta, ac postmodùm ad Successores eorum translata viguerunt? Nempe delevit ea Dominus & erasit de terra.*

§. II.

Qualis Licinius fuerit erga Christianos.

I. VAlerius Licinianus Licinius conditione vilis, quia Agricolæ filius, anno 307. à Maximiano Galerio Cæsar declaratur, eique Pannoniæ & aliarum fortè Provinciarum Imperium committitur. Eum in Christianis persequendis Galerio fuisse consortem, extra dubium esse videtur, saltem usque ad annum 311., quo, ut supra dixi, Galerius ipse ab eis persequendis cessavit, ut apparet ex Edicto nomen etiam Licinii præferente (apud Eusebium L. 8. Hist. cap. 17.) quo indulgetur, *ut om-*

omnes Christiani ædes suas, in quibus conventus peragebant, denuò instaurare possint, ita ut nihil contrarium disciplinæ suæ deinceps facere cogantur. Galerii mors, quæ anno 311. contigit mense Maii, totius Illyrici Græciæ & Thraciæ dominium Licinio reliquit. Eodem tempore cum Constantino inito fœdere Mediolanum Licinius accessit, ut Constantiam Constantini sororem sibi promissam uxorem acciperet, quam de facto Mediolani accepit anno 313.; ibique ambo Edictum summè favorabile Christianis promulgarunt, quod per extensum refert Eusebius L. 10. Hist. cap. 5. quod tamen ad solam Ecclesiam Catholicam se restrinxisse alio Rescripto indicarunt.

II. Maximinus tamen (ut refert Lactantius L. de Mort. Persec. cap. 45.) ubi intellexit, Licinium nuptiarum solemnibus occupatum, adversùs eum movit exercitum, & transjecto protinus freto ad Byzantii portas accessit armatus, ac militibus ibi in præsidium relictis promissis & muneribus frustrà tentatis, vi & obsidione per dies undecim Urbem oppugnavit, quam Milites non fide sed paucitate diffisi dediderunt. Inde Heracleam progressus, & illic eâdem ratione detentus aliquod dierum tempus amisit. Inter hæc accepto nuntio Licinius cum paucis Hadrianopolim venerat; Maximinus autem, occupatâ per deditionem Perintho, ad mansionem decem millium & octo pervenit nec ultra processit; alteram mansionem Licinio tenente: qui collectis ex proximo quantum potuit Militibus, obviàm ei pergebat magis ut Maximinum detineret, quàm proposito dimicandi aut spe victoriæ: quippe cum ille septuaginta millium armatorum exercitum duceret, ipse vix triginta millium numerum collegisset; sparsi enim Milites per diversas Regiones fuerant, & adunari omnes angustiæ temporis non sinebant.

III. Propinquantibus tamen exercitibus, jamjam futurum prælium videbatur. Tum Maximinus ejusmodi votum Jovi vovit, ut si victor evaderet, Christianum nomen extingueret funditùsque deleret. At proximâ nocte Licinio quiescenti adstitit Angelus Dei, monens ut ociùs surgeret & oraret: Deum summum cum omni exerciru suo ei victoriam daturum, si fecisset. Post has voces cùm surgere sibi visus esset, qui eum monuerat, docuit quibus esset orandum: quare discusso somno jussit acciri notarium, & sicut audierat hæc verba dictavit: *Summe Deus te rogamus: & Sancte Deus te rogamus: omnem justitiam tibi commendamus: salutem nostram tibi commendamus: imperium nostrum tibi commendamus. Per te vivimus, per te victores existimus. Summe Sancte Deus, preces nostras exaudi; brachia nostra ad te ten-*

dimus : exaudi, Sancte summe Deus. Scribuntur hæc in libellis, & per Tribunos mittuntur, ut suos quisque Milites doceat. Crevit in omnibus animus, victoriam credentibus sibi de Cœlo nuntiatam. Maximinus autem castra composuit: nuntiatur Licinio: capiunt Milites arma obviàmque procedunt. Erat utraque acies in conspectu. Liciniani scuta deponunt, galeas dimittunt, manus ad Cœlum tendunt, & præeuntibus Ducibus ac Imperatore preces dicunt: audit acies peritura precantium murmur. Oratione ter dictâ, virtute jam pleni reponunt capitibus galeas, scuta resumunt: procedunt ad colloquium Imperatores: sed ferri non potuit ad pacem Maximinus: contemnebat enim Licinium & desertum iri à Militibus existimabat, eò quòd ille esset in largiendo tenax, ipse autem profusus: & ad hoc arma moverat, ut exercitu Licinii sine certamine accepto, in Constantinum duplicatis viribus pergeret.

IV. Ventum igitur est ad pugnam. Liciniani impetu facto adversarios invadunt: illi verò perterriti nec gladios expedire nec tela jacere valuerunt. Maximinus aciem circumire ac Licinianos Milites nunc precibus nunc donis ad se trahere satagit, sed non auditur. Fit impetus in eum & ad suos redit. Interim acies ejus impunè cædebatur, & tantus numerus Legionum, tanta vis Militum à paucis metebatur: sic eos summus Deus tradidit jugulandos. Tantæ multitudinis stragem videns Maximinus, abjecit purpuram & servilem vestem induit, ac fugæ se commisit Nicomediam primùm, inde in Cappadociam, tandem Tarsum confugit, ubi ut dixi miserè vitam finivit. Exercitus sui media pars prostrata est, media vel dedita vel in fugam versa. Licinius paucis post diebus Nicomediam ingressus, gratias Deo, cujus auxilio vicerat, retulit, ac de restituenda Ecclesia & Christianæ Religionis libertate amplissimas litteras dedit, quarum exemplum Lactantius citatus cap.48. nobis exhibet.

V. Tanto beneficio Licinius à Deo cumulatus, existimabit quispiam, quòd Christianam Religionem illicò amplexus sit. Ita existimasse visus est Sozomenus dum L. 1. Hist. cap. 7. ait: *Licinius verò qui antea Religionem Christianam coluerat* &c., & solùm ad Paganismum reversum, cùm Constantini inimicus factus fuit. Idem erui videtur ex quadam Oratione panegyrica in congressu Episcoporum habita super ædificatione Ecclesiarum (apud Euseb. Lib. 10. cap. 4.) ubi de Imperatoribus tunc regnantibus Constantino & Licinio dicitur: *Adeò ut, quòd nunquam contigerat, summi Imperatores honoris illius, quem Dei beneficio acceperunt, sibi conscii, jam in mortuorum simulacrorum faciem*

con-

conspuant; & profanos Dæmonum ritus conculcent .... unum verò ac solum Deum, cùm erga omnes tum in se ipsos maximè beneficum agnoscant, & Christum Dei Filium universorum Regem esse profiteantur. Ita fortè creditum fuit ab illis, qui procul ab ejus consortio erant; videntes enim, quæ in favorem Ecclesiæ operabatur, & audientes, quòd Divinâ ope vicisset Maximinum, sibi persuadebant, Licinium tanti memorem beneficii Christo æquè ac Constantinum nomen dedisse.

VI. Verùm deceptos fuisse puto; Licinium enim nunquam Idola deseruisse & Christianam Religionem amplexum fuisse, certius judico. Primò quidèm Christianis valde favorabilem se exhibuit, præsertim post victoriam de Maximino Divinâ ope reportatam, cujus testimonium præbent litteræ postea datæ; animo tamen nunquam Christianus fuit, sed quæ in gratiam Christianorum fecit & dixit, exteriùs præstitit, ut Constantino, cui tunc fœderatus erat, complaceret. Cæterùm exortis tractu temporis invicem simultatibus, quæ tandem in apertum bellum eruperunt, qualis in corde semper fuisset indicavit: & maximè tunc cùm prælium commissurus, ubi Constantinus precibus, ille vaticiniis & falsis Diis sacrificando & cum despectu de Christo loquendo se præparabat, ut videre est apud Eusebium L. 2. de Vita Constant. cap. 4. & 5.. Licinius ergo cùm cœpisset Constantinum odisse, odio cœpit etiam habere Christianos, eisque infensus esse, *ex eorum calamitatibus maximum dolorem Constantino allaturum se esse sperans*: *simul etiam existimans, Ecclesias Christianorum id unum optare ac studere, ut illum solum Imperatorem haberent*. Ita Sozomenus L. 1. cap. 7.

VII. Non statim tamen sed paulatim odium in Christianos prodidit Licinius. Primò enim, ut scribit Eusebius L. 1. de Vita Constant. cap. 51. vetuit, Episcopos conventus agere, fines alterius intrare & Concilia cogere. Secundò cap. 52. Christianos omnes è suo Palatio expulit, & quos in comitatu suo habebat fidissimos, eos præcipuè in exilium relegavit. Rursùs cap. 53. Legem tulit; ne viri orandi causâ in Ecclesiam Dei simul cum mulieribus convenirent; ne mulieres ad virtutis scholas discendi causâ ventarent: ne Episcopi Religionis præcepta mulieribus traderent, sed ut mulieres ad id electæ docendis mulieribus præficerentur: jussit etiam, ut solemnes Populorum conventus extra Portas in aperta planitie celebrarentur; asserens, liberum extra Portas aerem turbis longè commodiorem esse, quàm Oratoria intra Urbem sita: & hâc arte Ecclesias sensim destruere tentabat. Verum (cap. 54.) cùm ne in hoc quidèm obsequi sibi vi-

videret, rejectis ambagibus, nudo quod ajunt capite decrevit, ut Milites, qui per singulas Urbes apparebant Judicibus, nisi Dæmonibus sacrificare vellent, à Militia & cæteris præsidialibus officiis removerentur. Aliud quoque mandatum fecit, ne quis detentis in vinculis quidquam etiam ad vitæ sustentationem necessarium suppeditaret; pœnâ impositâ, ut qui inclusis stipem dedisset, pari cum ipsis supplicio plecteretur. Talem Legem humanitati adeò contrariam nemo etsi barbarus unquam tulit.

VIII. Hæc & alia Eusebius cap. 55. & 56. refert, à Licinio adversùs Christianos facta anno 319. & 320., donec crescente in dies in Constantinum, à quo iterùm victus fuerat, odio, apertè Ecclesiam persequi Licinius cœpit, & ipsos præcipuè Episcopos, quos maximè sibi adversos esse intelligebat; pro inimicis præcipuè habens eos, qui Deo carissimi Imperatoris amici essent. Nec ipsum deterruit exemplum eorum, qui ante ipsum fuerant persecuti, quorum ipse ex parte spectator fuerat & etiam ultor, ut Maximini: qui omnes infelici exitu perierunt. Quia tamen Constantinum metuebat, ausus non fuit omnibus Ecclesiis suo Imperio subjectis apertum bellum indicere; ad instar colubri, qui non audens in eum quem aggreditur insilire, contorquet se sinuosè, ac sibilis & linguâ furorem suum prodit, & si potuerit repentè mordet: sic Licinius suæ perfidiæ venenum corde retinere magna ex parte coactus, minis fremebat, & sinuosè variis prætextibus, præsertim verò dum poterat, in Episcopos evomebat. Hinc factum puto, ut Sulpitius Severus, L. 2. num. 48., hanc inter Persecutiones non computet.

§. III.

SS. XL. *Milites & Severianus Martyres.*

I. SOlos Episcopos sub Licinio passos fuisse audacter de more asserit Doduvellus Dissert. de Paucit. Mart. num. 91. dicens: *Caveant itaque Fabulatores, ne quos alios sub Licinio Martyres faciant, præterquam Episcopos*: at verius puto, Doduvellum ipsum fabulari. Nam Gregorius Nyssenus, Ephræm Syrus, Septimæ Synodi Generalis Patres, & ut notat Gerardus Vossius in scholiis ad homil. S. Ephræm in SS. XL. Martyres, horum memoriam non Græci solùm & Latini, sed & Syrii Chaldæi Maronitæ Armeni & Orientales omnes celebrant. Omnes ergo isti Fabulatores sunt? Fateor equidem, Licinium in Episcopos magis sævisse, quia eos utpotè Constantino maximè deditos, specia-

cialiter oderat; sed tandem à Constantino devictum generaliter in omnes Christianos exarsisse: id enim Eusebius ipse testatur, qui L. 10. Hist. cap. 8. & L. 2. de Vita Const. cap. 1. & seq. describens Persecutionem, quam Amaseæ & cæteris Ponti Urbibus sæviùs excitavit, dicit, *quòd multi novum mortis genus pertulerunt, corpore in multas partes*, bestiarum more, *conciso, & post atrox ejusmodi spectaculum, ut piscibus cibum præberent in altissimum mare projecti*. Erat ergo hæc Persecutio præcipuè contra Episcopos & contra Milites concitata. Hinc Sozomenus L. 1. cap. 7. Hist. non solùm multos Sacerdotes à Licinio afflictos fuisse commemorat, *sed & alios plurimos & præcipuè Militaris Ordinis malè mulctatos* asserit. Nec tamen fieri Persecutio dicebatur, erat enim ut ait Socrates L. 1. Hist. cap. 3. *aperta simul & occulta; nam verbis quidèm dissimulabatur, re ipsâ verò erat manifestissima: ii enim qui Persecutioni subjacebant, innumerabilia mala tum in bonis tum in corporibus suis perpetiebantur*. Et quidèm si, ut dixi, præceptum erat, ne iis qui erant in carcere cibum quisquam deferret, quot ex illis inediâ necatos fuisse credendum est? Unde Ruffinus L. 9. Hist. cap. 10.: *Multitudines*, inquit, *in carcerem retrusæ inediâ necabantur*.

II. Inter eos, qui sub Licinio passi fuere, celebres sunt quadraginta præfati Martyres professione Milites, qui Sebasten Armeniæ Urbem passione suâ illustrarunt. Hi ex diversis Provinciis Militiæ adscripti, mole corporis, virium robore, flore ætatis, sed magis pietate, erant enim omnes Christiani, cæteris eminebant: cùm ergo Licinii Edictum, quo Milites omnes Dæmoniis sacrificare jubebantur, illuc pervenisset, ipsi perfracto animo renuerunt; se Christianos esse dicentes. Agricolaus Præses hoc audito anxius ac dubius, primùm quidèm dulci sermone eos aggreditur: Nolite, inquit, juvenes ætatem vestram perdere, & fortia quæ hactenùs gessistis facta pravorum hominum morte obscurare: aderunt vobis ab Imperatore honores divitiæ omnia bona, si mandatis ejus parueritis. Sed cùm illi hæc omnia contemnerent, dicerentque, multò plus esse, quod eis eripere tentabat quia æternum, quàm quæcumque posset promittere quia temporalia & fugacia: faceret de eorum corporibus quod vellet, nam illorum animæ soli Deo vero dicatæ erant, nec quisquam ab eo tollere poterat. Iratus Præses virgis eos cædi & latera ungulis lacerari, deinde catenis invicem ita colligari ut unâ catenâ viderentur omnes vinciri, & in carcerem trudi jussit.

III. Eorum nomina, ut à Bollandistis 10. Martii recensentur, sunt *Quirion, Candidus, Domnus, Meliton, Domitianus*,

Eunoicus, Sisinnius, Heraclius, Alexander, Joannes, Claudius, Athanasius, Valens, Helianus, Ecdices, Acacius, Vibianus, Elias, Theodulus, Cyrillus, Flavius, Severianus, Valerius, Cudion, Sacerdon, Priscus, Eutiches, alter *Eutiches, Smaragdus, Philoctemon, Accius, Nicolaus, Lysimachus, Theophilus, Xantheas, Angiacus, Leontius, Hesychius, Cajus, & Gorgonius*. In vinculis & carcere detentis corona ad quam anxiè suspirabant septem diebus dilata fuit: quibus exactis, cum Cæsareâ Sebasten Lysias advenisset, Agricolaus è carcere educi præcepit; & interrogati, cùm iterùm Christum liberè confessi fuissent, remittuntur ad carcerem sequenti die ultimo supplicio addicendi.

IV. Cogitanti verò Judici, quo mortis genere illos afficeret, occurrit hoc æquè rarum & crudele supplicium. Armenia Regio frigidissima est, tunc autem nonâ Martii boreâ intensè flante omnia gelu concreta erant, adeò ut stagnum intra Urbis mœnia situm præ gelu pedibus permeabile esset. Observatâ ergo nocte, quâ boreas maximè rigebat, in congelatum stagnum conjici mandavit. Quantum sit hoc tormentum describit S. Basilius hom. 20. de SS. 40. Mart.. Nam *corpus in primis frigore prostratum, primùm in pallorem concreto sanguine vertitur; deinde turbatur & fremit, dentes frendent, venæ contrahuntur & totum corpus invitum constringitur. Dolor insuper quidam acutus & labor inenarrabilis per medullas penetrans intolerabilem facit sic frigore concretis dolorem: deinde extremitates ipsius mutilantur, perinde ac si ab igne crematæ extremæ partes essent; calor enim ab extremis corporis partibus pulsus & ad interiora confugiens, quædam unde absistit mortua relinquit, nonnulla verò ad quæ tendit doloribus afficit, morte paulatim procedente*. His S. Basilius hujus tormenti atrocitatem subjicit. Porrò ut Martyrum constantiam magis tentaret, jusserat Præses balneum calidum in loco propinquo parari, ut si quis ex eorum numero à proposito resiliret solamen in promtu haberet.

V. Hoc igitur audito damnationis jussu Sancti Martyres ad locum deducti, amictum alacriter rejicientes per frigus properarunt, non tanquam ad supplicium tristes, sed hilares tanquam ad rapienda spolia invicem se ad fortiter tolerandum adhortantes. Ita vel super stagnum frigidissimo aeri nudi noctuque expositi, vel ut alii volunt in aquam gelu constrictam mersi, uno ore Deum orabant dicentes: *Quadraginta in stadium intravimus, utinam quadraginta, o Domine, coronemur: non desit numero ne unus quidem. Venerabilis est, quem quadraginta dierum jejunio ornasti, per quem Divina Lex in Orbem transivit: quadraginta die-*

dierum jejunio Elias Dominum exquirens videre meruit.

VI. Nihilominùs unus ex eis dolore victus ac vi cruciatus animo fatiscens, ac desertor factus inconsolabilem dolorem Sanctis reliquit, nec propterea Dominus eorum vota inania esse permisit. Propè aderat Lictor quidam in loco, ubi, ut dixi, erat balneum calidum, qui se fovens & calefaciens rei exitum spectabat, paratus suscipere, si quis Militum transfuga fieret. Is spectaculum vidit inusitatum, Angelos nempè è Cœlis descendentes, & singulis generosis Militibus pretiosa dona distribuentes, uno tamen excepto: & is fuit qui in cruciatu defecerat; debitas tamen pœnas luit; nam calentem aquam ad quam ob levamen confugerat cùm tetigit, statim interiit. Lictor autem hoc videns, cœlesti quam viderat visione tactus, statim abjectis vestibus clamans *Christianus sum*, cæteris Martyribus sese immiscens quadragenarium numerum implevit, & mœstos ob amissum socium Sanctos consolatus est & Martyribus adnumeratus. Ita, inquit Basilius, *exemplum est Apostolorum imitatus. Abiit Judas, Matthias est subrogatus: imitatus & Paulum, qui heri persecutor, hodie factus est Evangelizator: supernè & ipse vocatus, non ab hominibus neque per homines: credidit in nomine Domini Jesu Christi; Baptismum suscepit, non ab ullo sed à propria Fide, non in aqua, sed in proprio sanguine.*

VII. Die verò jam illucescente, cùm adhuc spirantes inventi fuissent, curribus impositi in ignem projecti fuere, atque ita ab extremo frigido ad extremum calidum transeuntes majori doloris acerbitate necati sunt. Hìc narrat idem S. Basilius, quòd unius illorum (quem Melitonem Acta vocant) mater, videns filium suum tanquam vegetiorem à Militibus relinqui, quasi eum servantibus ut à proposito dimoverent, ipsum propriis accepit manibus, & currui in quo reliqui jacentes ad pyram ferebantur imposuit, dicens ei: Vade, o nate, perfice cum tuis sociis iter beatum, ne unus desis illorum choro, ne reliquis seriùs Domino præsenteris: oh matrem verè felicem & Machabæorum matris spiritu hæredem! Perducti ad pyram omnes combusti sunt, eorumque Reliquiæ in fluvium projectæ. Celebratur horum Martyrum memoria die 9. Martii ab utraque Ecclesia Latina & Græca: utraque tamen in specie Martyrii & mortis ab hactenus dictis dissentit; eos enim non igne sed crurifragio interfectos dicit, ac eorum corpora in fluvium projecta, ut in Martyrologio Rom. & Menol. Basilii videre est.

VIII. Non solis quadraginta prælaudatis Militibus Sebastena Civitas gloriatur, sed Sanctum Severianum virum similiter mi-

militarem profert. Is divitiis sed pietate ac Fide magis affluens, in sublevandis pauperibus, eisque maximè qui propter nomen Jesu Christi in carceribus patiebantur, totus exercebatur: imò creditur, eum dictos quadraginta Martyres ad illustre pro Christo testimonium excitasse, necnon ex Infidelibus multos ad Fidem suâ pietate traxisse. Hæc tamen, quæ coram Deo merita erant, fiebant coram hominibus & præsertim Licinio immania crimina, quia impio ejus Edicto contraria, quo vetuerat, ne detentis in carcere quisquam in levamen vel minimum suppeditaret. A Lysia Duce propterea perquisitus, se se ei spontè præsentavit, qui nervis bubulis cædi & ungulis lacerari mandavit, & in carcerem detrusum per dies quinque detinuit. Iterùm autem ad se adducto faciem saxis contundi & latera ungulis lacerari mandavit: post quæ ad collum & pedes lapidibus appensis, ex alto præcipitatus ad Cœlum evolavit. Ejus Corpus Fideles quidam sublatum tumularunt.

IX. S. Severiani historiam exhibent Latini in Martyrol. Rom. die 9. Septembris, & fusiùs Græci in Menol. Bas. eâdem die his verbis: *Severianus Martyr patriâ Sebastenus, Licinio imperante Miles fuit: cùm autem quadraginta Martyres comprehensi fuissent & in carcerem pro Christo detrusi, eos adivit, & ad perferendum Martyrium hortabatur. Cognitus autem captusque sistitur Lysiæ Duci: cùmque Christum liberè confiteretur, erroremque argueret ipsique Lyciæ constanter se opponeret, suspensus nervis bubulis cæditur, in lateribus dilaniatur, facibusque aduritur. Post hæc de alto muro suspenditur vinctus funibus, pedibus ingentium saxorum mole oneratis, manibusque post tergum revinctis; diùque suspensus verberibus cæditur, quoad nervi saxorum mole luxati sunt ac membra dissoluta. Interim Deo gratias agens atque orans, inter gravissima tormenta decessit, in manus Dei spiritum commendans.*

§. IV.

SS. Macrobius &c. Theogenes Acacius &c. Leontius & alii Martyres.

I. UT Doduvelli temeritas magis appareat, qui, ut dixi, tanquam fabulatores traducit, alios præter Episcopos Martyres sub Licinio ponentes; placet ultra supradictos hic alios indicare. Inter ipsos celebres sunt Sancti Macrobius, Gordianus, Zothicus, Lucianus, & Heli, quorum tres primi capite plexi, alii duo vivi combusti fuere. Macrobius & Gordianus erant

erant Licinii domestici eique cari, sed eos in Christi Fide constantes inveniens in Scythiam relegavit, ubi Martyrio coronati sunt. Martyrologium Rom. 13. Septembris meminit tantùm Macrobii & cujusdam Juliani. Græci verò in Menol. Basilii omnes recensent, & addunt S. Valerianum: qui plorans ad eorum sepulcrum animam Deo reddidit. Sic ergo habent: *Hi Sancti Martyres Licinio imperante claruerunt; & Macrobius quidèm ex Cappadocia ortum duxit, Gordianus verò ex Paphlagonia: cùm autem florenti essent ætate, & fortitudine sapientiâque præditi, id muneris obibant ut ad Imperatoris mensam ministrarent, & ab illo ob virtutem suam & egregiam corporis formam maximè diligebantur. Sed Fidei Christianæ accusati, cùm nec adhortationibus nec minis ad Christum abnegandum adduci possent, relegantur in Scythiam: quò deportati invenerunt Sanctos Zoticum, Lucianum, & Heli, fortissimè pro Christi confessione pugnantes. Post multos autem cruciatus, Zoticus quidem & Lucianus capite plexi sunt, ipsi verò unà cum Heli in carcerem detrusi: atque ille quidèm decollatus est, Macrobius autem & Gordianus in ignem conjecti occubuere. Valerianus verò ad sepulcrum Sanctorum plorans, spiritum emisit.*

II. S. Theogenis, qui Cyzici passus fuit, celebre est nomen. Cujusdam Episcopi filius fuisse fertur, qui sub Licinio captus fuit, ut Legioni Trajanæ, quæ Cyzici Hellesponti Metropolis stationem habebat, adscriberetur. Ductus ad Zelicinthum Tribunum, & Possidonium Legionis Ducem, vidensque se Militibus circumdatum, Spiritu Sancto repletus altâ voce dixit: Ego Christianus sum & Regis Regum Miles, jam illi obstrictus; nulli alii fidem dare possum: atque idem dixit, cùm arma ei præsentabantur. Cùmque Tribunus quæreret, an hoc renueret, quia Licinio servire ei non placeret, respondit: ego neminem novi: Christianus sum: Regi æterno milito; nulli alteri militare volo. Et quamvis ei diceretur, multos Christianos arma Imperatoris gestare; ad hæc tamen nihil motus respondit: quod sibi placuerit quisque faciat: mihi tanta est Dei mei celsitudo, ut nulli alteri servire possim. De Diis autem interrogatus, dixit, se alium Deum non nosse, quàm Deum omnipotentem per Jesum Christum Filium ejus, à quo dignoscendo retrahuntur illi, qui his temporalibus irretiti, solùm hujus Mundi Regibus qui transeunt placere student, & Regem supremum, à quo æterna bona solo spectare possunt, contemnunt.

III. His auditis, iratus Tribunus, totam Legionem in crastinum summo mane extra Civitatem coire jubet, atque illuc Theogenem ductum, manibus, ac pedibus quatuor palis appendi,

& ba-

& baculis ligneis adeò cædi, ut Lictores ipsi deficerent, ipsum interea an arma gestare vellet interrogans: sed Sancto Martyre hæc irridente & iteratò dicente, se à Militia æterni Regis desertorem fieri nolle, ut temporalis Regis castra sequeretur; iterùm cædi eum præcepit: jamque tertiâ pomeridianâ horâ adveniente, Legionem ad Urbem revocavit, comminatus Theogeni graviora tormenta, ni resipisceret. Interim eum in carcerem trusum quadraginta diebus detinuit, quousque à Licinio, cui omnia nuntiaverat, quid imposterùm ageret, responsum acciperet. Cùmque mandasset Licinius, ut in mare projiceretur, hoc audito nuntio vir Dei lætus ad pœnam seu veriùs ad vitam æternam, ad quam à Deo vocabatur, processit. Ejus corpus ad littus ejectum Fideles quidam collectum propè Urbem in cavea cujusdam Christiani nomine Adamantii condiderunt.

IV. Plura ejus Martyrium & mortem prodigia illustrasse feruntur, quibus ex Legione ex nautis & Populo multi ad Christum conversi fuere. Additur etiam, quòd post duos à morte Sancti Dei menses Zelicinthus Tribunus in prælio fractus fuit, omnesque ex ejus Legione qui Christiani non erant cæsi perierunt. Quo indignatus Licinius, Tribuno & alteri Ministro, qui S. Theogeni insultaverat crura truncari præcepit, quæ an. 323. probabiliter evenere: imò circa ejusdem anni finem Licinius ipse à Constantino victus Imperium ac deinde vitam amisit. Latini in Martyrologio Rom. 2. Januarii, Theogeni in certamine jungunt Cyrinum & Primum; Græci verò die 4. Januarii de illo agunt, in hoc diversi quòd eum faciunt Episcopum Parii.

V. S. Acacii quoque sub Licinio mentionem faciunt Latini in Martyrologiis die 28. Julii, ejusque certamen eâdem die Græci in Menol. Basilii his verbis exponunt: *Acacius Christi Martyr claruit imperante Licinio, ad quem adductus, cùm Christum confessus fuisset, suspensus & excarnificatus est: deinde Terentio Præfecto traditus ejusque jussu in candentem ollam pice oleo seboque plenam injectus, incolumis evasit. Præfectum verò Apameam & Apolloniadem abeuntem sequi compulsus, ibique in Fanum Idolorum adductus, fusis precibus simulacra omnia contrivit: postea Tribuno traditus graviterque cæsus cum feris pugnavit, mox in fornacem injectus illæsus permansit. Tribunus verò frigefactam fornacem existimans, cùm eam visurus appropinquaret, flammâ combustus in pulverem redactus est. At Acacius Possidonio Præsidi traditus gravibusque catenis ferreis circumdatus, Miletum abductus fuit, ubi cùm Idola rursùs contrivisset, capite obtruncatus sanguinem & lac emisit.* Quot prodigia in uno hoc Sancto Viro Divina Potentia operata est!

VI. Nicopoli quoque in Armenia quadraginta quinque Chriſtiani ſub Licinio & Lyſia Præſide vitam pro Chriſto dederunt; inter quos Viri in ea Urbe conſpicui Leontius Mauritius Daniel & Antonius: quorum agonem memorant Latini in Martyrol. 10. Julii, & Græci in Menol. Baſil. eâdem die his verbis exprimunt: *Quinque & quadraginta Chriſti Martyres Licinio Imperatore & Lyſia Præſide claruerunt, quibus præerant Leontius Mauricius Daniel & Antonius. Comprehenſi ergo Nicopoli in Armenia Lyſiæ Duci ſiſtuntur; qui Chriſtum confitentes & Idola conſpuentes, verberibus primùm cæduntur, mox lapidibus os & facies eis contunduntur, poſtremò in cuſtodiam detruduntur: cùm verò per plures dies ſine cibo manſiſſent, cognitâ eorum conſtantiâ, Milites carceris cuſtodes Chriſti Fidem ſuſceperunt: poſt è cuſtodia eductis crura ſecuribus truncantur; & continuò alii quidèm extincti, alii verò adhuc ſpirantes in ardentem fornacem injecti conſummati ſunt, accipientes paratum ſibi ante Mundi conſtitutionem à Chriſto immortale Regnum.*

VII. Sebaſte inſuper in Armenia pro Chriſto certarunt Atticus, Eudoxius, Agapius, Carterius, Styracius, aliique multi Milites, de quibus Menol. Baſil. 2. Novembris hæc refert: *Iſti Sancti Milites fuere in Urbe Sebaſte temporibus Licinii Imperatoris, qui id omnes conſilii cœpere ut cum omnibus Militibus in Fide Chriſti manerent. Quare à Marcello Duce cruciati, in carcerem detruduntur; inde eductis tergum & renes nervis crudeliſſimè lacerantur denteſque evelluntur. Cùm autem torquerentur, converſus Dux ad Sanctum Carterium: Tu ſolus, inquit, auſus es Populum à Fide Imperatoris abductum ad defectionem impellere? cui ille: Ego Populo auctor fui, non ut à Fide Imperatoris diſcederet, ſed ut immortalem Regem Chriſtum ſequeretur. Poſt hæc adducitur Styracius, Tobias, & Nicopolitanus: cùmque in Chriſti confeſſione perſeverarent, Marcelli juſſu lignis contuſi aliiſque pluribus tormentis excruciati, unà cum multis aliis qui in Chriſtum crediderant igni damnati, vitam finierunt.* Horum memoriam eâdem die celebrat Martyrol. Romanum.

Hi quos hactenùs recenſui præter innumeros alios, quos prætereo, nec Epiſcopi nec Eccleſiæ Miniſtri erant ſed meri Laici: quid ad hæc Doduvellus? numquid fabula erit aſſerere, Licinium præter Epiſcopos alios perſecutum fuiſſe? Nunc ad Eccleſiæ Miniſtros & Epiſcopos, ex multis ſaltem aliquos ſermonem divertam.

§. V.

SS. Ammon & 40. Virgines, Paulus Basileus Theodotus Blasius.

I. Legem statuerat Licinius, ut dixi, ne quis Ministrorum Ecclesiæ feminas mysteria Fidei doceret, sed istæ à mulieribus instruerentur. Hujus Legis violatio in causa fuit, cur Ammonius Diaconus & 40. Virgines, quarum instructioni ipse vacabat, Martyrio coronarentur: de quibus Martyrol. Rom. agit primâ Septembris, & eâdem Menol. Basilii his verbis: *Quadraginta harum Virginum & Martyrum cætus patriam habuit Hadrianopolim Macedoniæ, Doctorem autem Fidei Ammonem Diaconum, à quo ea quæ ad Cælorum Regnum pertinent didicerunt. Ob eam autem causam à Præside ejus Urbis comprehensæ multa suppliciorum genera perpessæ sunt, quòd Idola adorare recusarent: deinde adductæ Beræam ut sacrificarent, cùm ibi Deum orarent, precibus suis effecerunt, ut sublatus in aera Sacerdos Idolorum concideret, & statim interiret. Post hæc Sanctus Ammon suspenditur & in lateribus scalpitur, nudoque capite candentem cassidem induere compellitur: & unà cum Virginibus ad Licinium tyrannum mittitur, qui adversùs illos sententiam mortis pronuntiavit: & decem quidèm eorum igne consumtæ sunt; octo cum Magistro suo decollatæ; decem in ore & corde gladio transfixæ decesserunt; sex minutatìm concisæ; sex denique injecto in os candenti ferro extinctæ sunt.* Corrigendus est hìc Nicephorus (inquit Baronius ad ann. 316. num. 12.) qui has, quas omnes attestantur Virgines, ipse tradit uxores fuisse illorum quadraginta Militum, quos supra dixi fuisse Sebaste passos: quod ignari vulgi rumore & paritate numeri falsò jactatum, Nicephorus fortè accepit.

II. Huc etiam referri potest quod idem Baronius ibi num. 13. addit ex Gregorio Presbytero Orat. de Patribus Nicenis & Theodorito L. 1. Hist. cap. 7. de Paulo Episcopo Neocæsareæ Euphratesiæ: qui cùm minimè destitisset munus suum implere instruendo Fideles omnes, etiam Feminas, jussu Licinii vinctus fuit, & ludibrii causâ ejus genitalia igne combusta, atque articulorum nervi candente ferro eis admoto contracti: eò enim Licinii odium adversùs Christianos processerat, ut teste Socrate L. 1. Hist. cap. 3., *Lege latâ Episcopos ad Gentilium ædes vetuerit accedere, ne scilicet Christianorum Religio hujusmodi obtentu propagaretur.*

III. S. Sa-

III. S. Basilii (seu Basilei) Amaseæ Episcopi illustre Martyrium fuit. Hic patriâ Amasenus ejusdem Urbis factus Episcopus, eam summo zelo rexerat sub Persecutione Diocletiani & Maximiani, & anno 314. Concilio Ancyrano interfuerat. Licinius antea Christianorum fautor, deinde hostis infensissimus effectus, nedum mulierum Fidei sed & castitati insidias struere cœpit. Aderat inter ancillas Constantiæ Augustæ fideliter ministrantes puella quædam Christiana, cui nomen Glaphyra: hanc Licinius insano amore æstuans ad stuprum sollicitare fecit: quæ cùm Dominam suam de nefario ausu monuisset, ejus consilio relictâ aulâ Amaseam clanculum secessit; ac secretum suum Basilio Episcopo aperuit, ejusque monitis confirmata aliquandiù secreta ibi mansit, multa Ecclesiæ illi bona, aurum Constantiâ suppeditante, conferens.

IV. Sed maligni Dæmonis arte factum fuit, ut deprehensis Glaphyræ litteris, quas ad Imperatricem scribebat, ad Licinii deveniret notitiam locus, in quo puella morabatur: quare Provinciæ Præsidi statim præcepit, ut eam unà cum Episcopo comprehenderet & ad se utrumque traduceret: verùm priusquam mandatum hoc execútioni daretur, Glaphyra jam è vivis excesserat. Hanc Latini 13. Januarii in Martyrol. recolunt, Græci verò 26. Aprilis simul cum Basileo, de quibus infra. Solus ergo Basileus Nicomediam, ubi tunc Licinius erat, vinctus ducitur & in custodiam traditur. Theotimus & Parthenius Diaconi, qui eum secuti sunt, apud quemdam Christianum nomine Elpidiphorum custodi carceris notum hospitio recepti sunt; cujus ope & etiam pecuniæ vi consequi potuerunt, ut noctu præcipuè cum ipso S. Episcopum invisere possent.

V. Instante igitur die, quo ante Tyrannum Basileus ipse sistendus erat, mediæ noctis tempore, carceris custode accersito, Diaconos suos & Elpidiphorum quæsivit, custosque illos ad Basileum confestim duxit: qui eum precibus adeò absorptum invenerunt, ut extra se lapsum suspicarentur. Precibus tamen completis ad eos conversus, post multa de futuris ærumnis dicta, eos ad fortiter permanendum est adhortatus, & fiduciam in Deo ponendam, qui solus potest lacrymas vertere in risum & labores in requiem: deinde Diaconis suis dixit, Deum sibi eâ nocte mortem suam revelasse, & proinde curarent, ut in locum suum Eutychius Callistratis filius substitueretur; postea Diaconos Elpidiphoro commendans pro certo affirmavit, ei paratam esse à Deo coronam si in caritate & tolerantia passionum constans permaneret.

VI. Eis dimissis paulò post Basileus à Licinio vocatur, qui ei in crimen vertit, quòd Glaphyram apud se recepisset, nec de hoc quidquam ei significasset; super quo Basileus optimè se defendit: quare ipsum remisit ad Præfectum, ut eum ad sacrificandum Diis tentaret: quod cùm frustrà contigisset quamvis ei multa & Pontificatum ipsum promitteret, nuntio ad Licinium perlato, in mandatis accepit, ut, si persisteret, leviter eum fustibus cædi & tandem capite truncari juberet. Sanctus igitur Basileus in Fide perstans ad littus maris ducitur, ubi præmissa Oratione & salutatis suis osculo sancto, jugulum præbens Martyrium consummavit. Ejus verò Corpus jubente Licinio in mare dejicitur. Hoc enim modo (inquit Joannes Presbyter, qui ocularis testis hanc historiam scripsit) quamplurimos, illos præsertim qui gregi Dei præsidebant, obtruncatos, piscibus escam tradebant. Contigit hoc 28. Martii anni 320.. Conatus fuit Elpidiphorus argento Corpus vel saltem caput Sancti Martyris à carnificibus obtinere, incassùm tamen: at providente Deo paucos post dies Corpus & caput apud Sinopen Ponti Urbem inventa & Amaseam delata cum aliis Martyribus sepulta fuere. Mortuus fertur S. Basileus annum ætatis agens septuagesimum.

VII. Verùm S. Basilei memoria colitur 26. Aprilis in Martyrol. Rom., quia hàc die Corpus ejus monitu Angeli ab Elpidiphoro repertum ac tumulatum fuit. Hâc eâdem die de eo simul cum Glaphyra agunt Græci in Menol. Basilii, ubi hæc dicunt: *Sacrosanctus Martyr Basileus, imperante Licinio, Episcopus fuit Amaseæ. Martyrium autem subiit hunc in modum: Ancilla quædam uxoris Licinii, quæ Glaphyra dicebatur, ut pudicitiæ studio concubitum ipsius evitaret, dominæ suæ consilio cum ingenti nummorum copia occultè in Orientales plagas aufugit; & cùm Amaseam venisset, ab Episcopo Basileo tanquam Christiana excepta fuit. Cùm autem id resciviffet Licinius, ambos coram se adduci mandavit: sed Glaphyra, quæ jam fato concesserat, ab ipsius manibus effugit; Basileus verò Episcopus vinctus Nicomediam adducitur: cùmque Imperatorem redarguisset, capite obtruncatus est & in mare projectus, seorsim quidèm Corpus ejus & seorsim caput; at Dei providentiâ ipsius Corpus capiti conjunctum est, undisque supernatans, in Sinope Urbe inventum fuit ac deinde Amaseæ depositum.*

VIII. Græci in Menol. Basilii 18. Januarii mentionem faciunt S. Theodoti Episcopi Cyriniæ (olim Ceruniæ in Cypro) de quo hæc habent: *Iste Licinio Imperatore & Sabino Insulæ Cypri Præfecto ob Christi confessionem comprehensus & ad eundem Sabinum Præfectum adductus, nervis bubulis durissimè cæditur deinde*

in

in equuleum suspensus excarnificatur: mox super ferreum grabatum subjectâ flammâ extenditur; sed Divino beneficio ex igne admirabiliter servatus, ferreis calceis iisque clavis acutis confixis calceatus, currere compellitur: demum carcere inclusus, tamdiù in vinculis fuit, quoad cessante Constantini Magni Romanorum Imperatoris Edicto persecutione solutus, Ecclesiæ suæ regimini incubuit, Verbum Domini nostri Jesu Christi deposito omni metu docens. Cùmque biennium vixisset, multosque ad pietatem convertisset, migravit ad Dominum, & à religiosis discipulis suis honorificè sepultus fuit. Illius commemorationem quoque faciunt die 2. Martii, fortè quia hâc die in pace quievit anno 326.; passus autem fuerat Januario anni 324.. Latini tamen de eo in Mart. Rom. agunt 6. Maii.

IX. S. Blasii Sebaste Episcopi celebre nomen est, licèt de eo Acta authentica desiderentur: Latini tamen & Greci eum pari consensu venerantur; illi quidèm 3. Februarii, isti verò die 11. ejusdem mensis, ubi ajunt in Menol. Basil.. *Certamen Sacrosancti Martyris Blasii & Sanctarum sociarum Mulierum. Iste Licinii Imperatoris temporibus Sebastes Episcopus vitandæ Persecutionis causâ in cujusdam montis speluncam se abdidit, & ibi ferocem belluarum naturam benedictione mansuetam effecit: cùmque esset Medicæ artis peritus multas curationes faciebat, miraculorum gratiam à Deo accipiens. Comprehensus autem & ad Agricolaum Præfectum ductus Christique nomen professus virgis cæditur; deinde in equuleum actus dilaniatur: postea cùm in carcerem abduceretur, septem Mulieres secum consecutæ Christianasque se esse professæ, statim capite plexæ sunt. Sanctus verò Blasius primò quidèm in profundum lacum projectus, sed inde ad terram siccis pedibus evadens, capite plexus unà cum duobus infantibus, qui simul cum ipso in vinculis erant.* Eadem ferè dicunt in Martyrol. Rom. Latini die 3. Februarii. De tempore quo passus fuit aliquod dissidium videtur; in aliquo enim scripto Codice sub Diocletiano ponitur, veriùs tamen sub Licinio plerique putant, & Sanctos 40. Martyres prælaudatos mense uno ac diebus aliquot ad coronam præcessisse: tunc enim Agricolaus Præses erat, qui & præfatos Martyres ad coronam misit. Nec obest quòd sub Diocletiano passus ab aliquibus dicatur; nam cùm Licinii Persecutio brevis admodùm fuerit, nec generalis, ac proinde nec inter decem Persecutiones annumerata, censetur quasi appendix & continuatio Persecutionis Diocletiani.

X. Nec solùm brevis Licinii Persecutio fuit, quia ab an. 319. exorta in anno 324. exitum habuit, in quo Licinius à Constanti-

no ultimò profligatus & captus apud Nicomediam cum Martiniano filio, Constantiæ tamen precibus à morte servatus, vitam privatam egit usque ad sequentem annum, quo Thessalonicæ morti addictus fuit: sed nec toto quinquennio in Regionibus illis, ubi excitata fuerat, uniformi passu processit; Licinius enim homo versutus ac versipellis, tempori & circumstantiis sese accomodans, modò Christianis se favere exteriùs demonstrabat, modò ex animo eos persequebatur: adeò ut in dubio reliquerit, an aliquando Christianus, postea apostata factus fuerit. Metu Constantini ovis pellem induebat, ac se Christianorum fautorem simulabat, metu verò cessante, velut Lupus qualis verè erat oves persequebatur. Talem illum describit Eusebius L. 2. de Vita Constant. cap. 15. dicens: *At Licinius specie quidèm ipsâ fingebat Leges se libenter amplecti & Fidem jurejurando firmabat: verùm occultè militarem apparatum instruebat, atque iterùm bellum inferre, iterùm pugnam instaurare meditabatur. Sed & Barbarorum auxilia undique conquirebat, & novos circumquaque investigabat Deos, utpotè à prioribus in fraudem inductus. Nec memoriâ repetebat, quæ paulò ante de Diis in concione dixisset: nec Deum qui pro Constantino propugnasset agnoscere volebat; sed multò plures & recentiores Deos non sinè risu ac ludibrio cœpit conquirere.* Sed ab his quoque sicut à prioribus, quia nihil valentibus, derelictus, vitam infelici exitu consummavit.

CAPUT XV.

Martyres quorum ætas nescitur.

§. I.

SS. Arcadius Cassianus Faustus Januarius & Martialis Acisclus & Zoilus.

I. PLurimi ultra recensitos supereссent, qui in prænarratis Persecutionibus Christi Fidem sanguine confirmarunt, quorum tempus & annus determinari nequit, & quibus plena sunt Martyrologia & Menologia, ut si singulos vel recensere vellem, plures Tomos implerem. Aliquos tamen pro præsentis argumenti majori robore inserere satagam.

II. Cùm in Achaja sævus debaccharetur Persecutionis furor & tota familia Christi sævientis Diaboli incursibus turbaretur; ut hos declinaret S. Arcadius suamque animam in tuto pone-

neret, relictâ patriâ domo & bonis omnibus, in solitarium locum secessit, ibique in precibus vigiliis & jejuniis aliquandiù delituit: sed cùm impii exploratores observassent, eum cum aliis Sacrificia non frequentare, suspicati eum propterea se occultasse, repentè ad ejus domicilium Milites qui eum traherent miserunt; sed loco ejus quemdam propinquum invenientes, ab eo quærebant ubi esset Arcadius: quem negantem se scire, illicò traxerunt ad Præsidem, qui eum arcto carceri addixit, ibi mansurum, donec ubi esset Arcadius non proderet.

III. Facti hujus rumor ad Arcadium pervenit: quare jam pleno Martyrii ardore accensus; nolensque, propinquum suum suâ causâ pati, latebris relictis in Urbem rediens se Præsidi obtulit: hic ei dixit, se fugæ suæ veniam indulgere paratum esse, si vel serò sacrificare statueret. Ad hæc exhorrens Sanctus Martyr respondit, nunquam fore, ut vel terror suppliciorum, vel mortis timor à Jesu Christo ejusque Fide eum divellerent: quâ responsione iratus Præses: Tibi, inquit, equuleus plumbati fustes ungulæ ferreæ ac cætera ordinaria tormenta vilescunt? excogitabo nova & atrociora. Ita putabat, se vincere Deum in Servis suis. Vocatis ergo inter Lictores sævioribus jussit, ut paulatim singula corporis membra & juncturas inciderent: a digitorum nodis inciperent, dein manus à lacertis, lacertos à cubitis, mox à thorace humeros discinderent, & sic articulos à pedidus, crura a poplitibus, femora à coxis; & in hoc artificio moram traherent, ut sic Deorum contemtor miseriam suam magis sentiret.

IV. Quod præceperat sigillatim impleri cœptum est. Vir Dei illicò protulit manus: dumque articulatim secaretur, Deum laudans gratias ei agebat, quòd membra, quæ ipsi tradiderat, singulatim recipere dignaretur: in hoc adeò intrepidè perseverans, ut vel ab ipsis carnificibus lacrymas excuteret. Eò tandem barbara hæc lanienа processit, ut corpore ad truncum redacto, & suo in sanguine volutante, Vir Dei pridiè Idus Januarii felicem animam Deo reddiderit. Tantam constantiam vel ipsi Infideles admirati sunt. Fideles verò pietate moti sparsas corporis ejus reliquias collectas ei adjunxerunt, & possibili honore sepelierunt. Ejus memoria in Martyrol. Rom. die 12. Januarii collocatur.

V. S. Cassianus Martyrii locum habuit Imolam (alias Forum Cornelii quia à Cornelio Sylla fundatam) Urbem Romandiolæ. De eo Prudentius hymnum 9. edidit, ac de eo agunt Beda Usuardus Ado & Martyrol. Rom. 13. Augusti. Cassianus ergo ibi studiis puerorum præerat, quos in bene loquendo & scri-

scribendo severâ disciplinâ erudiebat. Furente Persecutione captus & ad Judicem ductus, sacrificare compellitur: quod cùm ille constanti animo recusaret, monitus Judex, eum instruendis ephebis operam dare, hoc inauditum supplicium excogitavit. Duci eum jussit ad scholam, ubi congregati erant discipuli, ibique nudatum manibus tergo revinctis ad eum feriendum illos excitavit. Memores igitur verberum, quibus eorum defectus asperâ facie sepè punierat & proinde illis exosus factus fuerat, in eum omnes insilierunt tum lapidibus, tum ferreis stilis, quibus tunc ad scribendum utebantur, millenis ictibus vulnerantes; lento quidèm, quia pueriles manus lethale vulnus infligere non poterant, sed diutino & acerbo cruciatu sensim ei mortem pararunt; sicque sanguine guttatim fuso destitutus spiritum emisit. Ita ejus Martyrium describit Martyrol. Rom.: *Apud Forum Syllæ natalis Sancti Cassiani Martyris, qui cùm adorare Idola noluisset, vocatis à Persecutore pueris, quibus docendo exosus factus fuerat, data eis facultas ipsum perimendi: quorum quantò infirmior erat manus, tantò graviorem Martyrii pœnam dilatâ morte faciebat.* Addit Baronius in Notis, ex quibusdam Manuscriptis haberi, hunc Cassianum fuisse Episcopum Brixinensem; sed inde pulsum Imolæ consedisse, ac ibi ludum litterarium aperuisse, & tandem ibi Martyrium consummasse. Nusquam tamen apud Veteres Cassianum Imolæ Patronum Episcopum fuisse legitur: ideòque multis suspectum redditur quod Baronius dicit.

VI. Faustus Januarius & Martialis Fide ac pietate conjuncti Cordubæ degebant; cùm Persecutor Eugenius nomine animo Christianos ad Sacrificia Gentium trahendi illuc adventasset. Tres isti coram ipso se præsentarunt ei exprobrantes, cur Servos Dei seducere, eos ad falsos Deos adorandos impellendo, tentaret. Tunc Eugenius perditos & infelices eos appellans, quid de desperatâ suâ societate facere vellent, quæsivit: cui Faustus: desperatio, inquit, eorum propria est, qui inutiliter Christianos à vero Deo ad falsos abducere conantur. Quibus accensus Præses, eum & simul Januarium in equuleo suspendi jussit. Inde ad Martialem, qui fortè junior erat, conversus ei suadere cœpit, ne stultitiam sociorum imitari vellet: sed cùm iste quoque iram Dei comminatus ei fuisset, Eugenius eum cum aliis in equuleo suspendi mandavit, ac deinde torqueri, donec Deos suos adorarent. Sed cùm Faustus hæc omnia despiciens irrideret, dixit Eugenius: nunc te tormentis afficiam: jussitque abscindi ei nares & auriculas, radi supercilia, dentesque mandibulæ superioris evelli (Fausto interea hilari voce Deo gratias agente:) quod cùm

cùm factum esset, ait Januario Eugenius: videsne quanta passus est Faustus, dum deceptus opinione suâ pertinaciter imperio meo parere recusat? At Januarius: impietas inquit ista & pertinacia Fausti in me maneat, & ejus vinculum caritatis non disrumpatur: quare eadem quæ Fausto ipsi abscidi jussit. Tentavit inde & Martialem, sed cùm & hunc constantem inveniret, jussit eos igne cremari. Lætantes igitur ad supplicii locum ibant; quò cùm pervenissent, præhabitâ ad Populum oratione, traditi flammis ad Deum læti commigrarunt.

VII. De his Martyrol. Rom. 13. Octobris ait: *Cordubæ in Hispania natalis Sanctorum Martyrum Fausti Januarii & Martialis, qui primò equulei pœnâ cruciati, deinde superciliis rasis, dentibus evulsis, auribus quoque & naribus præcisis, ignis passione Martyrium consummarunt*. Hos indicasse visus est Prudentius, dum in Hymno 4. de Martyribus Hispanis dicit, quòd Corduba dabit *tres coronas*. Historici Hispani de eis frequenter loquuntur, & volunt eos fuisse filios S. Marcelli Centurionis, Martyrio Tingi in Mauritania coronati; quo fieret, ut horum trium passio sub Diocletiano ponenda esset.

Prudentius in prælaudato Hymno dicit, quòd Corduba dat etiam *Acisclum* & *Zoellum*. S. Acisclus in Martyrol. Rom. ponitur passus sub Diocletiano, Dione Præside, unà cum Victoria sorore his verbis: *Cordubæ Sanctorum Martyrum Aciscli & Victoriæ germanorum, qui in eadem Persecutione* (Diocletiani) *jussu Dionis Præsidis sævissimè cruciati, coronas à Domino illustri passione meruerunt*. S. Zoilus (apud Prudentium fortè ratione metri *Zoellus* seu Zoillus) Cordubæ cùm decem & novem sociis Martyrium subiit. Ita Martyrologia S. Hieronymi Usuardi Adonis, & alii. De eo Martyrol. Rom. 27. Junii hæc habet: *Cordubæ Sanctorum Martyrum Zoili & aliorum decem & novem*. Passum fuisse Diocletiani & Maximini temporibus aliqui volunt, sed incertum est.

§. II.

SS. Drosis Virgo Genesius Arelatensis & Julianus Cilix.

I. DE Sancta Droside Virgine & Martyre apud Latinos & Græcos Historicos altum est silentium; attamen S. Jo: Chrysostomus celebrem de ea Orationem habuit, quæ extat to. 1. homil. 71. (modò tom. 2. pag. 688.): ubi dicit, quòd Sanctæ Drosidi fuit corpus imbecillum & obnoxium sexus injuriæ, & junior

ætas

ætas ; imbecillitatem tamen omnem Divina gratia ſuſtulit & ad omnia ſubeunda fortem ac paratam reddidit. Coram ergo Perſecutore poſitam, cùm in Fide conſtans perſiſteret, noluit Tyrannus celeri morte perimere, ſed horribili ſpectaculo priùs terrere. Juſſit ergo coràm ipſa ingentem accendi rogum, jamque flamma in ſummam altitudinem attollebatur: ſpectabat illa ; ſed major erat amoris Chriſti, quæ intùs ardebat, quàm quæ foris urebat. Trium Puerorum memor, ardebat ſe in certamen illorum venire & cum eis coronari. Voti autem compos effecta fuit; nam in ardentem rogum tandem injecta, dum carnes ejus liquefiebant & oſſa torrebantur, animæ fides firmior & ſplendidior fiebat, donec corpore diſſoluto ad æternam viſionem evolavit. Antiochiæ paſſa fuiſſe creditur, tempus autem ignoratur.

II. S.Geneſius inter Galliæ Martyres celeberrimus, ex Urbe Arelatenſi ortum accepit, cujus ipſe poſtea Martyrio ſuo Patronus evaſit. Adhuc valdè juvenis & ſimplex Catechumenus erat, quando pro Chriſto patiendi gratiam accepit, priùs filius Dei & hæres Regni, quàm in ipſo renatus: quod ei fuiſſe à Deo conceſſum dicitur, intuitu ardentis Fidei & amoris, quo, ut dicam, in eum ferebatur. Cancellarii ſeu Exceptoris munus in juſtitiæ tribunali obibat, cujus erat Advocatorum & Judicis verba excipere & in tabulis veloci manu notare: quod ei occaſio Martyrii fuit: accidit enim, ut eodem ante tribunal Judicis Exceptoris munus implente, impia atque ſacrilega mandatæ Perſecutionis juſſa legerentur: quæ cùm devotus Deo Geneſii repudiaret auditus & imprimere ceris manus ſancta reſpueret ; abjectis ante oculos Judicis tabulis, ſecutus Evangelicum conſilium Perſecutionis impetum declinandi,repentè aufugit;hucque illucque loco & Civitate mutatâ, latebras quæſivit.

III. Hoc inopinato facinore Judex ſtupore ſimul & furore correptus, illum inquiri confeſtim mandavit ; & ut eum ubicumque inveniſſent interficerent ſed crudeliſſimis pœnis, miniſtris injunxit. Quod ubi Beato Geneſio vel occultis nuntiis vel rumore publico innotuit, diverſa latendi loca, non carnis infirmitate ſed pio conſilio mutavit. Cùmque nondum eſſet ex aqua & Spiritu Sancto renatus, ut Fidem ſuam confirmaret, per fidos internuntios á Catholicæ Religionis Antiſtite donum Baptiſmatis poſtulavit. Sed ille vel temporis anguſtiis impeditus vel juvenili ætati diffidens, ſed veriùs Divino nutu, diſtulit, ei renuntians, quòd plenam Baptiſmatis conſummationem daret etiam promta pro Chriſto cruoris effuſio. Deo, inquam, ſic diſponente, ut circa ejus conſecrationem officia humana ceſſarent,

rent, cui unius Baptiſmatis duplex gratia,& aqua ſcilicet & ſanguis è Chriſti latere parabatur.

IV. Itaque cùm Dominus nolens differri coronam, ubi videbat paratam eſſe victoriam, Perſecutoribus eum obtulit. Is autem ubi ſe proſpicit deprehenſum, Rhodani ſe immittit fluentis, & natatu ad ulteriorem ripam trangreditur: tranſgreſſum tamen Perſecutor aſſequitur, & gladii ictu feſtinantem animam vinculis corporis quibus tenebatur abſolvit. *Providerunt tamen Fideles temporis illius Dei ſervi, ut utramque ripam fluminis geminatis Urbibus ambiendam unius Martyris tutela muniret: nam in ipſo beatæ paſſionis loco, conſecrati cruoris veſtigia relinquentes, in alterum fluvii latus honoratas reliquias tranſtulerunt, ut utrobique præſens Sanctus Geneſius, illic ſanguine haberetur, hic corpore*. Ita S. Paulinus Nolanus Epiſt. 52., ex quo omnia ſupradicta de S. Geneſio excerpſi. Vocat autem Arelatem geminatas Urbes, quia Rhodano interſecatur, ac ſi duæ Urbes eſſent. Sunt qui dubitant, an ſit genuinus S. Paulini fœtus; nemo tamen inficiari poteſt, quin ab ipſius ævi Auctore deſcripta fuerit, ſive is fuerit Fauſtus Rhegienſis Epiſcopus, ſive Euſebius Emiſſenus, ſive Euſebius Gallicanus.

V. De Sancto Geneſio agit Martyrol. Rom. 25. Auguſti his verbis: *Arelate in Gallia beati Geneſii, qui Exceptoris officio fungens, cùm impia Edicta quibus Chriſtiani puniri jubebantur nollet excipere, & projectis in publicum tabulis ſe Chriſtianum eſſe teſtaretur, comprehenſus atque decollatus, Martyrii gloriam proprio cruore baptizatus accepit*. De eo meminit etiam Prudentius Hymno 4. cùm ait:

Teque præpollens Arelas habebit,
Sancte Geneſi.

Et Venantius Fortunatus his verſibus.

Porrigit ipſa decens Arelas pia dona Geneſi
Aſtris Cæſareo concomitante ſuo.

Sic etiam in Breviario Toletano legitur ejus ſacer Hymnus, quo S. Geneſii Acta egregiè canuntur: quæ etiam Gregorius Turon. celebrat L. de Glor. Mart. cap. 68. & 69.: qui etiam refert, quòd S. Honorati temporibus (ideſt ann. 427. vel 428.) pons quidam ſcaphis compactus, qui Arelate ſuper Rhodanum tranſitum parabat, dum immenſâ Populi multitudine nimiùm gravaretur, repentè confractus corruit. Omnes tamen qui in fluvium demerſi fuerant S. Geneſium implorantes ad ripam incolumes evaſerunt.

VI. Inter plures Sanctos Martyres, qui *Juliani* nomen ge-

runt illustris ille est, quem in Cilicia natum propriâ panegyri celebrat S. Joannes Chrysostomus tom. 1. homil. 47. (modò tom. 2. pag. 671.) ubi eum vocat S. Pauli concivem, sive quia ex eadem Urbe Tarso, sive quia, ut veriùs putatur, ex eadem Provincia, & etiam vocat Ministrum Ecclesiæ sicut Paulum, quia in Ordine aliquo Ecclesiastico constitutum (de quo tamen Martyrologia & Menologia, ut infra, nihil dicunt) Ex his ergo & ex S. Chrysostomo sequentia respectivè colliguntur. Primò, S. Julianum ajunt Græci natum fuisse Anazarbi in Cilicia, patre illius Urbis Senatore, matre verò Christianâ, quæ ipsum in Fide Christi educavit & sacras litteras docuit.

VII. Deinde dum ageret annum ætatis decimum octavum sæviente Persecutione præsentatum fuisse in Urbe Ægas cuidam Judici Marciano nomine, cujus jussu ad sacrificandum compulsus, cùm nollet obedire, Lictores violenter os ei aperuerunt, & in illud vinùm & carnem Idolis oblata infuderunt: deinde in carcerem conjectus est & mater ejus adducta: quæ de illo interrogata, petiit sibi filium suum concedi per tres dies, quibus posset cum illo deliberare. Quo facto rursùm in quæstionem adducuntur, & cùm dixissent, Christum se nequaquam abnegaturos esse, matrem calcaneis perforatis dimiserunt. Hucusque Græci in Menol. Basilii die 16. Martii: quod tamen de S. Juliani matre dicunt, nec in Martyrologiis nec in reliquis Menæis reperitur.

VIII. Addit Chrysostomus, quòd sævus Judex cùm Julianum videret forti animo præditum, nec suppliciorum vehementiâ robur ejus posse infringi, procrastinatione uti decrevit, ut sic eum vinceret: quare diebus singulis eum ad se introducebat educebat interrogationes adhibebat, supplicia minabatur blanditiis & promissis alliciebat, omnes machinas admovebat & immotum illud fundamentum concutere nitebatur. Anno integro per universam Ciliciam illum circumducebat, putans se ignominiâ afficere, cùm illum redderet illustriorem: nam vulnera, quæ gestabat, patientia, quâ omnia tolerabat, velut lux ad oculos totius Ciliciæ immissa, omnes ad imitationem excitabat facto magis quàm verbis. Sanctus itaque in medium producebatur; admovebant illi carnifices ignem & ferrum & tormenta; loquebatur ille tantùm & opera sermo vincebat: vox Martyris in Cœlum subsiliebat, & inde reportabat robur, quod inimici superare non poterant.

IX. Vidit tandem Tyrannus, quòd Sanctum Martyrem torquere æquè inutile erat, ac adamantem frangere velle: quare

ſatiùs duxit eum damnando ad mortem victum ſe confiteri. In hoc tamen ſuæ crudelitatis notam voluit oſtendere: allato ſacco arenâ completo, & in eum injectis ſcorpionibus viperis & draconibus, Sanctum Julianum unà cum illis incluſum in mare dejecit (erat enim Ægas ubi paſſus fuit Urbs Ciliciæ maritima.) Accepit eum mare, non ut occideret, ſed ut coronaret, & poſt coronam corpus ejus reddidit: quod teſte Chryſoſtomo Antiochiam delatum ibi honorificè conditum fuit. Tali genere Martyrii coronatum fuiſſe conteſtantur Martyrol. Rom. & Menol. Baſilii die 16. Martii; quamvis dicat, ejus Reliquias Alexandriam ejectas à Religioſa quadam Vidua fuiſſe ſepultas. Huic horribili mortis generi, refert Euſebius L. de Mart. Palæſt. cap. 5., pro Chriſto fuiſſe quoque addictum anno 306. S. Ulpianum adoleſcentem in Urbe Tyro, qui *poſt crudeles plagas & acerbiſſima flagrorum verbera, unà cum cane & aſpide in culeo ex crudo bovis corio inſutus, in mare præcipitatus eſt*: hoc genere ſupplicii teſte Baronio in Notis ad diem 3. Aprilis puniebantur parricidæ Lege Romanâ, quamvis ob nimium horrorem in uſu eſſe poſtea deſierit.

§. III.

SS. Leo & Paregorius: Julius Eutychius Paſicrates, & Valentia.

I. SAncti Leo & Paregorius Pataræ in Lycia Martyres fuerunt; Acta tamen Paregorium cum Leone vixiſſe, ſed antea Martyrio coronatum ſupponunt, ac proinde de eo obiter tantùm loquuntur, occaſione ſcilicet Martyrii S. Leonis: ideóque quo genere mortis obierit ignoratur; ſcitur tamen ipſius Leonis teſtimonio fuiſſe Virum factis præclarum. Igitur Procuratoris juſſu, qui expectans Lolliani Proconſulis adventum Pataram tunc regebat, Feſtum Serapidis celebrabatur, cui omnes omninò etiam Chriſtiani intereſſe tenebantur, & de facto ex eis non pauci metu adacti intererant. Quo cùm Sanctus Leo ſummè triſtaretur, ad ſepulcrum S. Paregorii, ut ibi orando ſolamen acciperet, pergere decrevit. Oportebat autem locum in quo profanum Feſtum agebatur, pertranſire. Eum cùm vidiſſet Populus vultu ſevero & inceſſu gravi procedentem: aſceticam enim vitam continentiæ caſtitati & temperantiæ deditam à juventute exercuerat, & aſpero piliſque contexto indumento utebatur, eum eſſe Chriſtianum quiſque conjecit. Ipſe tamen nihil

immoratus iter suum prosequens ad locum sibi propositum accessit, ibi preces solitas fudit, & domum reversus de more panem sumsit, & præclara Paregorii gesta apud se meditabatur. Paulatim verò in somnum resolutus vidit Paregorium stantem in medio torrentis magno impetu defluentis, ac se ipsum in torrentem projicere, ut ei ad Martyrium eunti conjungeretur. Quâ visione intellexit, se quoque cum illo Martyrio coronandum.

II. Ad sepulcrum itaque S. Peregorii continuè pergenti accidit, ut per medium quâdam die transiret, ubi Fortunæ Templum erectum erat: & videns lucernas & cereolos circa ipsum accensos, primò quidèm cæcitatis eorum qui accenderant misertus est; propiùs tamen accedens Divino spiritu correptus lucernas suis manibus contrivit & cereos conculcavit pedibus, dicens: Si Deos existimatis habere vires, se ipsos defendant. Hoc gravi in Populo excitato tumultu, monitus Procurator præcepit Militibus, ut Leonem revertentem comprehenderent: quod factum fuit. Et ductus ad Procuratorem, ab eoque asperè increpitus quòd talia ausus fuisset, occasionem Vir Dei sumsit objiciendi vanitatem Deorum ac Dæmonum, quos colebant relicto summo Deo omnium Conditore: asserens, se pro eo omnia pati paratum esse, ut ab eo vitam æternam consequeretur; addens ad ad eam per passiones tutiorem sterni viam.

III. Cùm ergo alia multa dixisset, quæ Judæis æquè & Gentilibus displicebant, facta est vox adversùs ipsum clamantium, ne ampliùs loqui sineretur. Quare Procurator videns, Sanctum Dei Deos suos adorare prorsùs nolle, flagris eum cædi jussit, & quidèm sævissimè, ut totum corpus plagis fauciatum esset, ipso ne quidèm suspirium emittente. CùmqueProcurator ipse pietate erga ejus canitiem motus eum hortaretur, ut saltem diceret: Dii magni sunt: respondit; dicam: Dii magni & potentes sunt, sed ad perdendum miseros, qui illos adorant. Quibus iratus Procurator, graviora supplicia & mortem ipsam comminatus, videns hæc à S. Leone contemni, & iterum conclamante Populo, jussit pedibus alligatum per Urbem ad torrentem trahi extremo ibi supplicio finiendum: quod inhumaniter à Diaboli Ministris impletum fuit. Cùmque semiaminis ad locum supplicii perductus fuisset, obtentâ brevi precandi veniâ, beatam animam statim emisit. Tunc impii satellites beatum Corpus in excelsam rupem elatum, illud in profundam voraginem præceps dejecerunt, putantes illud dispergendum & in frusta comminuendum: sed intactum ac facie quasi ridente præter leves quasdam puncturas repertum, à piis Fidelibus honorificè tumulatum fuit.

IV.

IV. S. Julius, ut notat Martyrol. Rom. 27. Maii, Miles veteranus ac emeritus erat. Tempore Persecutionis comprehensus ab Officialibus oblatus fuit Maximo Præsidi Dorostori in Mysia, qui promissis & minis eum impellere studuit ad obediendum mandatis Principum Deos suos adorando: sed cùm Julius promissa rejecisset & minas contemsisset, capitali sententiâ eum mulctavit. Cùm autem ductus fuisset ad supplicii locum Beatus Julius, osculabantur eum omnes: ipse autem dicebat: Unusquisque videat qualiter osculetur. Hesychius autem quidam Christianus cùm esset Miles, & ipse custodiretur, Sancto Julio dicebat: „ Obsecro te, Juli, cum gaudio comple pollicitationem „ tuam & accipe coronam, quam Dominus consistentibus se „ dare promisit, & memor esto mei; nam ego subsequor te: plu- „ rimùm etiam saluta *Pasicratem* & *Valentionem* famulos Dei, „ qui nos per bonam confessionem præcesserunt ad Dominum„. Julius verò osculans Hesychium dixit: „ Frater, festina venire: „ mandata enim tua jam audierunt, quos salutasti„. Et hæc dicens Sanctus Julius ligavit oculos suos, & tetendit cervicem suam dicens: „ Domine Jesu Christe, pro cujus nomine „ hæc patior, tu cum Sanctis tuis meum collocare dignare „ spiritum„. Tunc Minister Diaboli educens gladium caput ei abscidit in Civitate Dorostori 6. Kalend. Junias. De anno ambigitur. Nam quidam, ut Martyrol. Rom. ponunt eum passum sub Alexandro; alii anno 302. sub Diocletiano, adeòque passionis tempus incertum est.

V. Hesychius, de quo supra, paulò post Martyrium sub eodem Maximo, ut ipse prædixerat, passus est. De eo enim in Martyrol. Rom. 15. Julii dicitur: *Dorostori in Mysia Sancti Hesychii Militis, qui cum Beato Julio comprehensus sub Maximo Præside post eum Martyrio coronatus est*.

VI. Pasicratem verò & Valentionem biduò ante S. Julium coronatos fuisse indicant Martyrologia; inter quæ Romanum 25. Maii ita habet: *Dorostori in Mysia natalis Sanctorum Martyrum Pasicratis Valentionis & aliorum duorum coronatorum*: ubi duos adjungit socios. Græci quoque in Menol. Basilii 24. Aprilis rem fusiùs exponentes ajunt: *Martyres Christi Pasicrates & Valentinus fuerunt ex Civitate Dorostolo in Macedonia Milites quidam, sed tamen Christiani. Unde cùm viderent, ab Idololatris lapides animo carentes adorari, zelo commoti, palàm ac liberè Christum solum Deum esse, idola verò res esse omnis sensus expertes, professi sunt. Comprehensi proinde coram Præside adducti fuerunt, idoloque Apollinis eis exhibito, ut illi sacrificarent, currens Pasicra-*

crates in illud expuit. At accedens ad eundem Posicratem ipsius frater, qui paulò ante tormentorum metu à Christo defecit, ei suadere conabatur, ut adoraret, atque ita tormenta evitaret. Ille verò fratrem repulit, suâ cognatione eum indignum appellans. Interrogatus deinde Sanctus Valentinus, eadem cum Pasicrate sentire se respondit: ac proinde ambo summa cum lætitia pretiosis capitibus plexi sunt, cùm & ipsa Pasicratis mater præsens esset filiumque ad Martyrium alacriter subeundum adhortaretur. Ita Græci; in hoc diversi, quòd quem Acta vocant *Valentionem*, ipsi Valentinum appellant, & quam *Dorostorum in Mysia* Acta dicunt, ipsi *Dorostolum in Macedonia* nuncupant.

§. IV.

SS. Nicander & Marcianus, Patricius & alii in Ægypto & Africa Martyres.

I. SAnctorum Nicandri & Marciani tempus & locus Martyrii controvertitur. Tempus enim ad Domitiani quidam, ad Diocletiani vel Maximiani Persequtionem referunt alii. Locum similiter; Atinenses enim & Venafrenses Campaniæ Populi hos Martyres, sicut & Pasicratem & Dariam sibi attribuunt: quibus favet Martyrol. Romanum 17. Junii dicens: *Apud Venafrum Sanctorum Martyrum Nicandri & Marciani, qui in Persecutione Maximiani capite cæsi sunt.* Alii verò, inter quos P. Ruinart, observantes horum Martyrum Festum celebrari etiam à Græcis in Menol. Basilii 7. Junii, suspicantur eos in Græcia & quidèm in Mæsia fuisse passos; quod ex prælaudatis S. Julii Actis colligi posse videtur, in quibus etiam Pasicratis Martyris mentio habetur. Quin & idem est Præsidis nomen & idem genius, si utraque Acta conferantur. Quidquid tamen sit de tempore & loco, veritas eorum Martyrii (quæ præsentis Operis est argumentum) certa subsistit.

II. Nicander ergo & Marcianus Militiam profitebantur, uterque uxorem habebat & parvum filium. Marcianus in uxore sua alteram Evam expertus fuit, cujus tamen suggestionibus Adamo felicior non consensit. Uxor verò Nicandri nomine Daria uxorem dignam Martyre se exhibuit, ut dicam. Cùm igitur Imperialia insonuissent Edicta, ut Milites omnes Diis immolarent, Nicander & Marcianus, potiùs quàm Militiæ Christi fieri desertores, Militiam seculi deserere statuerunt. Hoc tanquam crimine maximo ad Præsidem Maximum delato, utrumque monere

nere cœpit, ne sui jacturam facerent, Imperialia mandata exequi renuentes; sed utroque pari constantiâ se Christianum esse profitente & ejusmodi præcepto teneri non posse, Maximus dixit Nicandro, ut thure saltem Deos honoraret, cui Nicander respondit, se suum Creatorem deserere non posse, ut lignis & lapidibus cultum præstaret.

III. Aderat ibi Daria Nicandri uxor, quæ Virum suum animabat dicens: „ Cave, Domine, ne id facias, cave Domine, „ ne Dominum nostrum Jesum Christum neges. Intuere Cœ- „ lum, & in eo ipsum videbis, cui Fidem & conscientiam ser- „ vas; Ipse est enim tuus adjutor „. Hæc cùm Præses audisset, oh, inquit, malum caput mulieris! sic Virum tuum mori desideras? Illa verò ait „ ut vivat apud Deum desidero, & num- „ quam moriatur „: cui Maximus: non ita est, inquit, sed quia robustiori Viro desideras copulari, ideò hunc vitâ citiùs privari festinas. At illa respondit: „ Si suspicaris, me id animo cogita- „ re, atque id me esse facturam, primam me propter Christum „ occidito; si tamen id etiam de mulieribus tibi mandatum „ est „. Tum Maximus: de mulieribus quidèm hoc mihi minimè est injunctum; neque equidem faciam quod cupis. Verumtamen eris in carcere. Hoc responsum probabile reddit, ejusmodi tunc accidisse, cùm soli Milites sacrificare jubebantur, & proinde Persecutionis Diocletiani initiis.

IV. Deductâ in carcerem Dariâ, Maximus monere cœpit Nicandrum, ne ad verba uxoris vel cujusvis alterius attenderet; sed cogitaret, an meliùs sit illi vivere an mori; propter quod intervallum acciperet. At Nicander: „ Spatium, inquit, „ quod te daturum promittis, jam putato esse completum, ac „ me deliberasse cognosce, ut nihil aliud cupiam præ salute „. Quæ verba cùm Maximus, ut de salute corporali prolata intellexisset, ac proinde eum sacrificaturum existimasset, gaudere cœpit cum Leucone consiliario suo. Sed cùm audisset Nicandrum Deo gratias agentem, & orantem ut à labe & tentatione hujus seculi liberaretur, ait ei: quomodò tu, qui nunc vivere velle dixisti, nunc iterùm desideras mori? cui Nicander ait: Ego vitam æternam opto vivere, non hanc temporalem; & propterea in corpus meum tibi potestatem feci. Fac igitur quod vis: ego Christianus sum. Præses ergo ad Marcianum conversus: & tu Marciane? qui respondit: eadem quæ commilito meus, ego etiam affirmo. Tunc Præses: ergo, inquit, simul etiam in carcerem ambo trudamini, pœnam sine dubio subituri.

V. In carcerem verò missi, post viginti (seu triginta) dies ite-

iterùm ad Præsidem adducuntur: quibus ait Præses, satis temporis habuistis, ut ad parendum Imperialibus mandatis moveamini. Cui Marcianus: „ Verborum tuorum multitudo neque „ nos faciet à Fide recedere, neque negare Deum, quem præ- „ sentem & nos vocantem videmus. Noli ergo nos retinere: „ sed mitte nos citò, ut videamus Crucifixum, quem vos blas- „ phemaris, nos autem veneramur & colimus „. Ad quæ. Ecce, inquit, pro desiderio vestro moriemini: & Marciano eum rogante, ut quàm citò desiderio eorum satisfaceret, Maximus dixit: mihi non contradicitis; neque enim ego vos persequor, sed Imperatorum præcepta; unde alienus sum & mundus à vestro sanguine: si autem scitis, vos benè ituros, gratulor vobis; vestrum desiderium compleatur. Hæc dicens sententiam in eos pronuntiat capitalem. Sancti verò Christi Martyres, quasi unâ voce ac linguâ dixerunt: Pax tecum, Præses humane.

VI. Ibant ergo gaudentes & benedicentes Deum, & Nicandrum quidèm sequebatur uxor ejus, & Papianus (seu Papinianus) frater Martyris Pasicratis filium Nicandri portans infantem, atque ei gratulans de salute. Marcianum verò sequebantur cognati, atque uxor ejus veste conscissâ, quæ præsentans ei filium infantem & verbis & ploratibus totum agebat, ut eum à proposito dimoveret; Sanctus verò Martyr severo vultu eam rejiciens: „ Quamdiù, inquit, Satanas mentem tuam & ani- „ mam excæcavit? recede à nobis; concede mihi, ut Marty- „ rium Deo perficiam „. Interea Christianus quidam nomine Zoticus eum ad fortiter perficiendum animans manum ejus sustentabat: sed cùm uxor ejus se ingereret plorans eumque retrò trahere conaretur, Marcianus ad Zoticum dixit, ut eam teneret: Zoticus eo dimisso eam continuit.

VII. Postquam verò ad locum Martyrii venisset, cirumspexit Marcianus, ac de multitudine Zoticum ad se vocavit, eum rogans, ut uxorem suam ad se adduceret, quam adductam amplexatur eique dixit: „ Recede in pace: non potes enim me „ Martyrium celebrantem aspicere, mente tuâ à maligno Spi- „ ritu subreptâ „: Infantem verò osculatus & ad Cœlum aspiciens ait: Domine Deus omnipotens, tibi sit hujus cura. Tunc Martyres sese invicem complectuntur, & perficiendi causâ Martyrii paulisper recedunt. At Marcianus videns uxorem Nicandri præ turba ad eum accedere non posse, manù ei porrectâ eam ad Virum suum adduxit. Ad quam Nicander: Deus inquit sit tecum: cui illa ait: „ Bone Domine, bono animo „ esto, ostende tuum certamen; decem annos in patria sine te

„ se-

„ feci, ac momentis omnibus à Deo ut te viderem optabam: „ nunc verò vidi & gratulor ad vitam proficiscenti: ecce nunc „ clariùs exclamabo & gloriabor, uxor Martyris constituta. „ Bono animo esto, Domine, ac redde Martyrium Deo, ut me „ etiam de morte perpetua liberes „. Post hæc Percussor velo oculis Martyrum circumdatis, injecto gladio caput eis amputavit. Tunc Christiani eorum Corpora sublata propè locum Martyrii sepelierunt.

VIII. Observandum hic censeo, Græcos in Menologio Basilii de Nicandro & Marciano eodem mense Junii iteratò agere: primò quidèm die septimâ, & hos puto esse, quorum Passionem recensui, quia capite plexos dicunt; quamvis pro causa afferant, quia cùm essent Milites, missi ad capiendos Christianos, quosdam ut fugerent admonebant, quosdam capiebant quidèm, sed ipsis parcentes sollicitè res eorum curabant. Die autem quintâ ejusdem mensis de SS. Marciano & Nicandro & sociis tractant, quos puto à prædictis esse diversos; de eis enim hæc dicunt: *Marcianus & Nicander Christi Martyres cum sociis suis in Ægypto nati propter Christi confessionem comprehensi sunt à Præfecto: cùmque adbibitâ vi compellerentur Christum ejurare & Idola colere, nec id facere vellent, primùm quidèm diris verberibus excepti fuerunt; mox latera eorum lampadibus exusta: deinde suspensi ferreis ungulis lacerati sunt, quousque carnes eorum in terram deciderent: postea semimortui in carcerem detrusi, apparente illis Angelo Dei sanati fuerunt; atque ita post multos dies è carcere sani & incolumes exierunt. Tum verò ad Tribunal Præfecti adducti, cùm propter hoc miraculum multos Infidelium ad Dominum convertissent, iterùm in carcerem conjecti ibidem animas suas Deo tradidere.*

IX. Alteriùs quoque Nicandri Ægyptii meminit Martyrol. Rom. 15. Martii his verbis: *In Ægypto Sancti Nicandri Martyris, qui cùm Sanctorum Martyrum Reliquias studiosè perquireret, & ipse Martyr effici meruit sub Diocletiano Imperatore.* De eo etiam mentionem sub eadem die faciunt Græci in Menologio Basilii, ubi addunt, quòd gladio vitam finivit.

X. S. Patricius Prusæ in Bithynia Episcopus unà cum Acatio Menandro & Polyæno ibidem Martyrium subiit. De eo & sociis agunt Latini in Martyrol. Rom. 28. Aprilis, Græci verò in Menol. Basilii 19. Maii, ubi hæc habent: *Sanctus Pater noster Patricius fuit Prusæ Urbis Episcopus: cùm autem Christi Fidem eos qui ad ipsum accedebant edoceret, captus ab Idolorum cultoribus ad Bithyniæ Præsidem adducitur, à quo interrogatus liberè Christum professus est. Dicente autem Præside, tamquam Deos ado-*

rari oportere Jovem Apollinem Bacchum ac reliquos, quorum providentiâ calidæ aquæ in hominum beneficium erumpunt; respondit Sanctus: calidæ aquæ virtute Christi emanant, non autem Idolorum, quæ sunt ligna inanimata & lapides sensu carentes. Quamobrem in Thermas ipsas vi effervefactas injectus incolumis evasit, satellitibus omnibus combustis. Mox variis tormentis excruciatus, postremùm gladio plectitur unà cum discipulis suis Acacio Menandro & Polyæno. P. Ruinart & alii S. Patricii Martyrium eodem modo referunt.

XI. Triginta septem Martyres in Ægypto passos referùnt Bollandistæ 18. Januarii, & Ruinart in Actis Mart.. Ferunt ergo, hos inter Fideles eximios fuisse, & probabiliter Diaconatu vel alio Ecclesiastico ministerio insignitos. Hi per Ægyptum in quatuor partes divisi, ubique Fidem & nomen Jesu Christi annuntiabant. *Paulus* qui velut omnium caput habebatur, præerat illis, qui in Orientali parte prædicabant; *Recombus* eis qui in Septemtrionali; *Theonas* eis qui in Meridionali; & *Papias* eis qui in Occidentali Verbum annuntiabant. Præfectus Ægypti omnes comprehendit, eisque præcepit, ut vel sacrificando Legibus Imperialibus obedirent vel omnes morerentur: sed cùm unâ Pauli voce omnes responderent, se mori paratos esse potiùs, quàm tantum crimen quale est sacrificare Dæmoniis se admittere, omnes illicò morti adjudicati sunt: Paulus quidèm & Theonas cum sociis flammis absumti, Recombus cum suis gladio cæsi, & Papias cum asseclis cruci affixi.

XII. S. Augustinus Serm. 325. & fortè etiam 326. Maurinæ Editionis exhibet nobis viginti Martyres, quorum solemnitas Hippone celebris erat: & proinde in Africa passi creduntur potiùs, quàm apud Tarsum Ciliciæ, ut putat Baron. in Notis ad 6. Junii. Hi enim viginti qui sub Diocletiano apud Tarsum passi ibi dicuntur, planè diversi sunt ab illis, de quibus modò Augustinus. Horum trium nomina recitat, nempè Valerianam Fidentium Episcopum & Victoriam: ut enim omnem excusationem præcludat ait: *Impar es pueris? impar es puellis? impar es Sanctæ Valerianæ? Si adhuc sequi piget, non vis adhærere Victoriæ? sic enim nobis Sanctorum viginti Martyrum series recitata est. Cœpit ab Episcopo Fidentio, clausit ad fidelem feminam Sanctam Victoriam: initium à Fide, finis ad Victoriam.* Hi ergo, cùm Idolis sacrificare constanter renuerent, in carcerem conjecti, tandem Martyrio coronati sunt.

XIII. Ad memoriam horum viginti Martyrum patratum miraculum narrat idem S. August. L. 22. de Civit. Dei cap. 8.: *Erat quidam senex Florentius Hipponensis noster, homo religiosus & pau-*

& pauper, sartoris se arte pascebat, casulam perdiderat, & undè sibi emeret non habebat. Ad viginti Martyres, quorum memoria apud nos est celeberrima, clarâ voce ut vestiretur oravit. Audierunt eum adolescentes, qui fortè aderant irrisores, eumque discedentem exagitantes persequebantur, quasi à Martyribus quinquagenos folles (genus monetæ aliàs æreæ aliàs argenteæ) *unde vestimentum emeret, petivisset. At ille tacitus ambulans, ejectum grandem piscem palpitantem vidit in littore, eumque illis faventibus atque adjuvantibus apprehendit, & cuidam coquo Catoso nomine, benè Christiano, ad coquinam conditariam, indicans quid gestum sit, trecentis follibus vendidit; lanam comparare inde disponens, ut uxor ejus quomodò posset, ei quo indueretur efficeret. Sed coquus concidens piscem anulum aureum in ventriculo ejus invenit; moxque miseratione flexus & religione perterritus homini eum reddidit dicens: ecce quomodò viginti Martyres te vestierunt.* Ita S. Augustinus.

§. V.

Martyrum numerus innumerabilis.

I. HIc enarrandis Martyrum gloriosis Actis finem imponam. Ne autem putet quis, me omnes & singulos, qui veritatem Christianæ Religionis sanguine suo testati sunt, concludere intendisse, manere enim existimavi multò plures, & innumerabiles superesse, à quibus referendis abstinui; in immensum enim volumen crevisset: imò impossibile opus aggressus fuissem, si singulorum certamina vel indicare voluissem. Præter enim innumeros, quorum in Martyrologiis & Menologiis notitiam haurire quisque poterit, quot aliorum in tam generali & tam diuturna trium & ultra seculorum strage excidere potuit notitia, sive Scriptorum incuriâ, sive quia in tanta cæsorum multitudine ex omni statu sexu ætate ac conditione cujusvis particularis cognitio haberi non poterat? Accedit, quòd plerorumque Martyrum Acta non solùm diuturnitate temporis, sed etiam Tyrannorum malitiâ exciderunt: cùm enim advertissent, ejusmodi scriptis Fidelium animos in sua Religione confirmari & accendi, imò & numero augeri; non solùm Christianis sed & Christianorum illustribus memoriis bellum indixere: quod etiam ante magnam Diocletiani Persecutionem Gentilibus exprobrat Arnobius sub finem Libri 4. adversùs Gentes. Quin & aliqui Provinciarum Præsides vetuerunt, ne Martyrum quæstiones cum Actis publicis reservarentur, quòd se Martyrum constantiâ victos erubescerent.

 II. De

II. De hoc conqueritur Prudentius Hymno 1. de Sanctis Martyribus Emetherio & Chelidonio, quorum Acta Gentiles suppresserant, ne apud Christianos celebrarentur. Is nempè cùm Martyres illos Milites ac fratres fuisse dixisset, ac multa pro Christi nomine pertulisse, exponens quare plura de ipsis non retulerit, ait:

O vetustatis silentis obsoleta oblivio!
Invidentur ista nobis, fama & ipsa extinguitur,
Chartulas blasphemus olim nam satelles abstulit,
Ne tenacibus libellis erudita secula,
Ordinem, tempus, modumque passionis proditum
Dulcibus linguis per aures posterorum spargerent.

Imò in illa extrema Diocletiani Persecutione res adeò tumultuosè agebantur, ut plerumquè Christiani quasi *jure belli* turmatim interficerentur, ut Eusebius L. 8. Hist. cap. 10. & alii referunt; unde eorum Martyrum ne quidèm nomina nedum Acta posteris innotuerunt: hinc conquesti sunt aliquandò Patres, quòd ex tanta Sanctorùm Martyrum multitudine paucorum Acta superessent, quæ in Ecclesia legerentur. Nec valet dicere, quòd Diocletiani Edictum Sacras Scripturas præcipuè feriebat, in quibus Summa Christianæ Religionis continetur: & tamen harum deperditio secuta non fuit; cùm Edicto non obstante Sacrarum Scripturarum Codices integri adhuc in Ecclesiis permanserint. Nam respondetur ex Baronio Præfat. ad Martyrol.Rom. cap.3., quòd Sacræ Scripturæ sicut erat frequentior usus, ita absque dubio numerus Codicum erat multiplicior: nedum enim in Ecclesiis & Archivis earum asservabantur, sed & privatæ personæ, præsertim Ecclesiæ ministri, eos apud se retinebant. Unde dato, quòd Codiees, qui in Ecclesiis aut Archivis servabantur, combusti ac deperditi essent, multi tamen remanserunt apud privatas personas, quarum multæ potiùs quàm eos tradere, Martyrium subire voluerunt. At Martyrum Acta à Notariis conscripta apud particulares Ecclesias, & in earum Archivis asservabantur, quæ cùm multas implerent chartas, nec tradebantur cuivis, nec tradita facile erat excribere: & idcircò non mirum, si talium perpauca quæ erant exemplaria, & quidèm in particularibus Ecclesiis servata, tanto terræmotu Orbis Christiani obruta & universali incendio concremata, perpaucæ eorum reliquiæ evaserint.

III. Porrò quamvis Martyrum Acta magnâ ex parte corruerint, innumerabilis tamen multitudo eorum, qui pro Fide vitam tradiderunt ab hominum memoria non excidit; de qua toto

ferè

ferè Libro 8. Historiæ agit Eusebius de Martyribus Orientis loquens. Quare S. Augustinus Serm. 252. (aliàs 5. de diversis) cap. 8. in rete centum quinquaginta tres pisces concludente Ecclesiam mysticè intelligens, *Si computentur* inquit *non solùm omnes Fideles qui in bona vita exierunt de corpore, sed soli Martyres, unus dies passionis Martyrum si computetur, millia hominum invenientur coronatorum*. Si enim de solis Martyribus sub Diocletiano in Thebaide passis loquens Eusebius L. 8. cap. 9., post enarrata atrocia supplicia quibus torquebantur, ait: *Atque hæc omnia non paucis diebus, nec exiguo temporis spatio, sed prolixo aliquot annorum curriculo continuè perpetrata sunt: cùm nunc deni, interdum viceni & ampliùs, nonnumquam ad triginta & sexaginta, quandoque & centeni Viri ac mulieres cum parvulis uno die interficerentur, variis ac per vices alternatis suppliciis addicti*: quorum magna ex parte testem ocularem se fuisse dicit: dicam ego: si tot in sola Thebaide, quot in aliis Orbis regionibus? si tot persequente solo Diocletiano, quot persequentibus per tria secula aliis ejus antecessoribus sanguinem pro Christo fudisse credimus?

IV. Et sanè si à Nerone singulos usque ad Diocletianum in Imperio ei succedentes percurramus, nonne continuatam ubique terrarum Christianorum carnificinam (quod in præcedentibus me satis ostendisse puto) inveniemus? Leges insuper erant, quas nec ipsi Imperatores convellere poterant, omnium consensu statutæ & novis Legibus confirmatæ, quibus Christianos Orbe exterminari jubebatur: *Senatus* (inquit Origenes hom. 9. in Josue) *Populusque & Principes Romani decreverunt Legibus suis, ut non sint Christiani*. De his Legibus loquitur etiam Tertullianus in Apolog. cap. 37.. Hinc non mirum, si aliquando pace ab Imperatoribus concessâ, delati tamen Christiani punirentur; unde Apollonius capitali supplicio à Senatu damnatus est, quòd veteri Lege sancitum esset, ne Christiani delati impunè dimitterentur: quòd si his Legibus, ut frequentiùs eveniebat, nova accedebant Imperatorum Edicta, tunc maximè Persecutio sæviebat, Christiani undique perquirebantur, & deprehensi intolerabilibus afficiebantur suppliciis, Præsidum odio adversùs eos justitiæ nomine crudelitatem palliante, de quibus Lactantius L. 5. Inst. cap. 11. & 12.: *Jus*, inquit, *vocant carnificinas veterum Tyrannorum adversùs innocentes rabidè sævientium; & cùm sint injustitiæ crudelitatisque doctores, justos se esse tamen ac prudentes videri volunt*.

V. Tantus ergo fuit tribus illis seculis Martyrum numerus, ut Romæ dumtaxat quidam colligant Martyrum ter dena centena

tena millia fuisse, inter quos triginta ac tres Romanos Pontifices. Toto autem Orbe inclusâ Diocletiani Persecutione undecies dena centena millia sanguinem pro Christo dedisse: quæ si per dies distribuantur, fit ut singulis illorum seculorum diebus plusquam triginta millia Martyrum computentur. Jure ergo dixit S. Augustinus Serm. 22. (aliàs 109. de tempore) cap. 4. terram Martyribus fuisse *repletam*, & Serm. 300. (aliàs 109. de diversis) cap. 2. eorum millibus terram fuisse *purpuratam*.

§. VI.

Conclusio Argumenti.

I. NUnc præsentis Operis argumentum perstringamus. Post tot tantosque Idololatriæ per tria secula conatus, ut Religionem ac Nomen Christi ex Orbe deleret: post totam terram Christianorum sanguine repletam ac purpuratam, fortene Christi nomen evanuit, ejusque Ecclesia à fundamentis diruta corruit, non ampliùs surrectura? At oppositum contigit. Corruere quidèm infelici exitu Christi Persecutores, & Idola quæ toto Orbi dominabantur vix in Orbe angulum retinuerunt, & tandem eorum etiam memoria periit: sed Ecclesia Christi Sanguine fundata, suorum etiam sanguine crevit & quasi semine in uberiorem segetem pullulavit. Ita loquitur S. Augustinus, tum in Psal. 39. tum Serm. 286. (alias 39. de diversis) cap. 4. his verbis: *Quasi semine sanguinis impleta est Martyribus terra, & de illo semine seges surrexit Ecclesiæ. Plus asseruerunt Christum mortui, quàm vivi. Hodie asserunt, hodie prædicant, tacet lingua sonant facta. Tenebantur, ligabantur, includebantur, producebantur, torquebantur, urebantur, lapidabantur, percutiebantur, bestiis subrigebantur: in omnibus suis mortibus quasi viles irridebantur:* ,, Sed pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus,,: *Tunc in conspectu Domini tantùm pretiosa, modò & in conspectu nostro.*

II. Apertiùs tamen ad rem præsentem loquitur idem S. Doctor in Psalm. 134., ubi ostendens adversùs Persecutores impletum esse illud Sophoniæ cap. 2. v. 10. & 11.: *Hoc eis eveniet pro superbia sua; quia blasphemaverunt & magnificati sunt super Populum Domini Exercituum. Horribilis Dominus super eos & attenuabit omnes Deos terræ & adorabunt eum Viri de loco suo, omnes Insulæ Gentium*: ita ait: *Prævaluit Dominus adversùs eos. Adversùs repugnantes, adversùs rebelles & de occisione Fidelium Mar-*

Martyres facientes, sed tamen nescientes; prævaluit Dominus adversùs eos: & quomodò prævaluit? In Ecclesia sua, videmus, quia prævaluit adversùs eos. Volebant paucos Christianos extinguere, occidere: sanguinem fuderunt, de sanguine occisorum tanti exsurrexerunt, à quibus illi interfectores Martyrum superarentur. Tamen & modò quærunt, ubi abscondant Idola sua, qui primò Christianos propter Idola trucidabant. Nonnè prævaluit adversùs eos Dominus? Vide si facit quod sequitur: prævaluit Dominus adversùs eos: & quid fecit? Exterminavit omnes Deos Gentium terræ; & adorabunt eum unusquisque de loco suo, omnes Insulæ Gentium: quid est hoc? nonnè prædictum erat? nonne completum est? nonnè ut legitur sic videtur?

III. Ita de iis, quæ à Propheta prænuntiata, suis temporibus recèns impleta viderat, loquitur Augustinus. Tercentis & ultra annis Imperatores, Principes, Populi, totus Orbis, ad exterminandos Christianos initio paucos pauperes viles inermes totis viribus conjurarunt, & hoc ut Idolis suis cultum, à quibus Christiani abhorrebant, servarent. At eventus in contrarium cecidit: inter strages Christiani de sanguine occisorum multiplicabantur; Idola evertebantur, eorum defensores ad exitium perducebantur, donec tandem abscondere Idola sua coacti sunt: & Diis terræ exterminatis, omnes & Insulæ Gentium Deum, quem persecuti fuerant, adorarent. Quæ ergo potentia tantas vires confregit? Christiani non exercitus compararunt, non seditiones non tumultus in Populis excitarunt, sed ex omni statu conditione sexu ætate vitam alacri constantiâ suppliciis & morti tradebant. Quis ergo prævaluit? Prævaluit Dominus, cujus causa agebatur, & qui quod prædixerat implevit. Nec est quòd Judæi vaticinium hoc ad se trahere, & de suo reditu Babylonico interpretari conentur. Unde enim ex Gentibus, & Insulæ Gentium tunc Deum adorare cœperunt, & unaquæque in loco suo; cùm Religio Judaica, ipsis Judæis fatentibus, nonnisi Jerosolymis piè exerceretur?

IV. Manifestum de Christo ejusque Religione per Persecutiones toto Orbe dilatandâ protulit vaticinium David Psalm. 2., ubi primò dicit: *Quare fremuerunt Gentes & Populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ & Principes convenerunt in unum adversùs Dominum & adversùs Christum ejus*. Quis hìc non videt prædictam Persecutionem, quâ omnes Reges & Principes Gentium conjuraverunt, ut Christus extingueretur; qui tamen meditati sunt inania: *non enim impleverunt quod voluerunt?* inquit August. ibi: quia *qui habitat in Cœlis irridebit eos & Dominus sub-*

san-

sanabit eos. Quibus apertè patet, Christum ejusque Religionem planè esse Divinam: fieri enim non poterat, ut tot hostibus impetita non caderet, nisi Deum haberet auctorem & protectorem. Promisit ergo Deus Christo Filio suo: *Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ*. Promisit & implevit, dum gentes quæ adversùs Christum fremebant, ad pedes ejus humiles prostravit; fecitque ut ejus Ecclesia prædicatione Evangelii eas haberet in hæreditatem, & universam terram in possessionem.

V. Hanc autem Christo victoriam Martyrum patientia peperit. Hæc frementes adversùs eum Judæos & Gentes ad ejus obedientiam traxit, & ejus Imperio totum Orbem subjecit. Ita S. August. Epist. 185. (aliàs 50.) ad Bonifacium cap. 5., ubi exponens causam, cur Reges, qui antea iniquitati servierant, postea cœperint servire justitiæ, ait: *Cùm itaque nondum Reges Domino servirent temporibus Apostolorum, sed adhuc meditarentur inania adversùs Dominum & adversùs Christum ejus, ut Prophetarum prædicta omnia complerentur, non utique tunc possent impietatis Legibus prohiberi, sed potiùs exerceri. Sic enim ordo temporum volvebatur, ut & Judæi occiderent Prædicatores Christi, putantes se officium Deo facere sicut prædixerat Christus; & Gentes fremerent adversùs Christianos, & omnes patientia Martyrum vinceret*: ita S. August., qui L. 4. de Civit. Dei cap. 29. eam fuisse necessariam dicit ad evertendam vanitatem Idolorum. *Hujus Dei veri erat auxilium necessarium, à quo mitterentur Sancti Viri, & veraciter pii, qui pro vera Religione morerentur, ut falsæ à viventibus tollerentur*.

VI. Mirabile sanè ac humanæ prorsùs contrarium Divinæ Providentiæ consilium! Quis enim unquam hominum, ut hostes vinceret suorum occisionem elegit? quandonam Exercitus trucidatus victor evasit, & qui trucidavit victus succubuit? Hoc solius Christi prodigium fuit, qui sicut suâ morte Ecclesiam fundavit, ita suorum nece eam augeri voluit: & sicut ipse post mortem gloriosus resurrexit, qui verò eum occiderunt in extremam perniciem traditi sunt; ita & suos exemplo suo post necem voluit gloriosiores resurgere, & ex eorum sanguine Ecclesiam fœcundatam multiplicari: ac demum eos, qui utriusque victores fore sibi fuerant adulati, miserâ internecione perire. Quod reverà accidisse compertum est.

VII. Hoc argumenro convictus Magnus Constantinus, videns miserabilem exitum Persecutorum, & parentis sui Constantii, qui à Christianis persequendis abstinuerat, in se derivatam

tam prosperitatem, Christo ejusque Religioni totum se dare decrevit. Ita Eusebius refert in ejus Vita L. 1. cap. 27.: *Igitur* (Constantinus) *cogitare apud se cœpit, quemnam sibi Deum adsisceret. Quod dum sollicitè inquirit, hæc illi subiit cogitatio: ex plurimis qui antè se Imperium tenuerant, eos quidèm, qui in Deorum multitudine spem suam collocassent, & qui victimis illos ac donariis coluissent, primùm vaticiniis ad assentationem compositis & oraculis fausta omnia pollicentibus delusos, tandem infausto mortis genere interiisse; nec Deorum quemquam præstò illis adfuisse, qui eos invecto divinitùs exitio liberaret. Solùm ipsius patrem, qui contrariam prioribus illis viam iniisset, & qui eorum quidèm errorem condemnasset, unum verò supremum omnium Deum totius vitæ spatio coluisset; eundem servatorem ac Imperii custodem & omnium bonorum auctorem habuisse.*

Hæc ille cùm apud se expendisset rectèque animadvertisset, illos qui in Deorum multitudine fiduciam posuissent, in multitudinem quoque exitiorum esse delapsos, adeò ut nec generis illorum ac sobolis nec stirpis ac nominis nec memoriæ ullum inter homines vestigium remanserit: contra verò Deum patris sui multa eaque illustria potentiæ suæ documenta ipsi præbuisse. Cùmque præterea considerasset, eos qui jam antea copias adversùs Tyrannum (Maxentium) *duxerant, cum Deorum multitudine ad pugnam profectos turpem exitum habuisse: alter enim re infectâ cum omnibus copiis ignominiosè recesserat; alter in medio exercitu jugulatus, tanquam fortuita mortis præda extiterat: hæc inquam omnia cogitatione suâ complexus, Deos quidèm qui nusquam essent colendo nugari, & post tot ac tanta documenta cæco adhuc errore ferri, summæ dementiæ existimavit: solum verò Deum genitoris sui sibi esse colendum censuit.*

VIII. Hujus ergo opem Constantinus implorare cœpit, orans atque obsecrans, ut se ipsi noscendum præberet ac præsentibus negotiis adjutricem manum porrigeret. Nec defuit misericors Deus: hæc enim precanti & suppliciter postulanti mirabile quoddam signum à Deo missum apparuit; horis enim pomeridianis Sole in occasum vergente Crucis trophæum in Cœlo ex luce conflatum Soli superpositum suis oculis vidit cum hac inscriptione: *Hac vince*: quo ipse & Milites qui eum sequebantur, & qui spectatores miraculi fuerant obstupefacti manserunt. Cogitanti autem & apud se revolventi, quid signum illud portenderet, nox tandem supervenit. Tunc dormienti Christus apparuit cum signo eodem quod in Cœlo ostensum fuerat, præcepitque, ut militari signo ad similitudinem ejus, quod in Cœlo viderat fabricato, eo tanquam salutari signo in præliis uteretur.

Paruit pius Imperator, & statim diluculò surgens, arcanum omne amicis exposuit. Et convocatis auri & gemmarum fabris, medius inter eos sedens, speciem signi eis sermone depinxit, jussitque ut auro ac lapillis similitudinem ejus exprimerent. Et hoc est quod postea *Labarum* dictum fuit, illudque describit citato loco Eusebius cap. 31. :. Illius figuram in galea ipse gestabat,& in antennis navium appendi jussit. Eoque salutari signo adversùs oppositas quorumcumque hostium copias semper est usus & alia ad ejus similitudinem expressa cunctis exercitibus præferri mandavit. Hôc Maxentii exercitus superavit, & Maxentio ipso ponte Tiberis fracto in flumen demerso, primus triumphali ingressu Christi Crucem in Urbem Romam deportavit, universali Populi ac procerum acclamatione exceptus.

IX. Is, amice Lector, tam diuturnæ ac sævæ Persecutionis, in qua describenda hactenùs te detinui, exitus fuit. Is sanguinis tot Martyrum fructus, nimirùm Christi, cujus Nomen è terris delere, ejusque Religionis quam per tria secula Idololatræ extinguere conati sunt, gloria triumphus & incrementum; Idolorum autem & eorum qui pro ipsis pugnarunt eversio & totale exterminium. Jure igitur hìc repetere Christiani possunt, quod olim submerso Pharaone filii Israel cecinerunt: *Quis similis tui in fortibus Domine? Quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis & faciens mirabilia?* (Exod. 15. v. 11.)

X. Claudant ergo præsentem Tractatum ea, quæ S. Leo Serm. 80. in Martyrio SS. Petri & Pauli de Nerone primò Persecutionis auctore dicit: *Cujus furor per omnium vitiorum inflammatus excessum, in hunc eum torrentem suæ præcipitavit insaniæ, ut primus nomini Christiano atrocitatem generalis Persecutionis inferret, quasi per Sanctorum neces gratia Dei posset extingui: cujus hoc ipsum erat maximum lucrum, ut contemtus vitæ hujus occiduæ perceptio fieret felicitatis æternæ.*,,Pretiosa ergo in conspectu Domini mors Sanctorum ejus,,:*nec ullo crudelitatis genere destrui potest Sacramento Crucis Christi fundata Religio. Non minuitur Persecutionibus Ecclesia sed augetur; & semper Dominicus ager segete ditiori vestitur, dum grana quæ singula cadunt multiplicata nascuntur. Unde duo ista præclara Divini seminis germina in quantam sobolem pullularint, Beatorum millia Martyrum protestantur, quæ Apostolicorum æmula triumphorum, Urbem nostram purpuratis & longè latèque rutilantibus Populis ambierunt, & quasi ex multarum honore gemmarum conserto uno diademate coronarunt.* Hæc Sanctus Leo. Aliæ quidem Persecutiones superessent, ut Saporis Persarum Regis, Juliani Apostatæ & aliorum. Sed has omiti-

timus, quia ad ostendendam Christianæ Religionis Veritatem, quæ hujus Operis argumentum est, prænarratæ abundè sufficiunt.

XI. Pro hujus Libri coronide solùm adjiciam id quod refert S. Augustinus L.18. de Civit.Dei cap. 54., nimirùm quòd Pagani stultissimo mendacio spargebant, Christianam Religionem non ultrà tercentos sexaginta quinquaginta annos duraturam. Qui anni cùm tempore, quo scribebat S. Doctor, fuissent jam completi, & Christiana Religio adhuc nedum perseveraret, sed magis ac magis floreret atque extenderetur; proinde illius Dæmoniacæ Divinationis falsitatem his verbis irridet: *Numeratis proinde Consulibus trecenti sexaginta quinque anni reperiuntur impleti per easdem Idus* (Majas à Missione Spiritus Sancti) *Consulatu Honorii & Eutychiani. Porrò sequenti anno Consule Manlio Theodoro, quando jam secundùm illud oraculum Dæmonum, aut figmentum hominum, nulla esse debuit Religio Christiana, quid per alias terrarum partes forsitan factum sit, non fuit necesse perquirere. Interim quod scimus, in Civitate notissima & eminentissima Carthagine Africæ Gaudentius & Jovius comites Imperatoris Honorii quarto decimo Kalendas Aprilis falsorum Deorum Templa everterunt, & simulacra fregerunt, ex quo usque ad hoc tempus* (an. 429. quo scribebat) *per triginta fermè annos, quis non videat, quantum creverit cultus nominis Christi; præsertim postea quàm multi eorum Christiani facti sunt, qui tanquam verâ illâ divinatione revocabantur à Fide, eamque completo eodem annorum numero inanem ridendamque viderunt*? Si ergo ridenda tanquam fabula fuit, Augustino scribente, illa divinatio, quia Religio Christiana triginta annis post prænuntiatum tempus magis florebat, quo risu exsufflanda non erit modò, cùm post elapsos ab eo tempore annos supra mille tercentos Religio Christiana adhuc permaneat, nec sit toto Orbe Regio in quo nomen Christi non personet? Stat ergo & stabit ejusdem promissum Matth. 28. v. 11.: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Perierunt violenti Persecutores Pagani, peribunt fraudulenti Hæretici: Ecclesia Christi stabit, donec Evangelii prædicatione toto Orbe completâ, desinat Ecclesia cum Christo esse in terris, ut cum eo in æternum regnet in Cœlis.

INDEX RERUM

Quæ in hoc ſexto Tomo continentur.

A

S.Any-

B

C

Col-

D

E

Fi-

G

H

I

Ve-

L

pri-

N

Duo

O

P

S. Pho-

De

Eo-

S. Xan-

FINIS.

